Digitized by Google

*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR,

SUPPLEMENTA.

TOMUS IV.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud MAURIT. GEORG. WEIDEMANNUM, B. LANCKISII hæredes, & CASP. FRITSCHIUM.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM, & FRANC. PITTERUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTENII officinis.

MDCCXLII.

*3.1.K.

Digitized by Google

WIEN

Digitized by Google

Lectori Salutem!

Ampliſſimus eſt literarum orbis, tantumque novorum in omni genere doctrinæ librorum videmus hoc inprimis tempore proventum eſſe, ut nemo, quantumvis horum curioſus, leviter inſpiciendis, nedum cum cura perlegendis, omnibus ſufficiat. Huic igitur, ſi quod eſt, incommodo mature remedium inventum eſt ab his, qui ſumma librorum, ſi non omnium, at eorum inprimis, in quibus ſuccum ineſſe atque ſanguinem intelligunt, argumenta in quadam quaſi tabula repræſentare, & ex illis, ſi quid maxime venire in cognitionem omnium meretur, hoc ita excerpere, & ſermone breviori complecti, ut ad doctos homines idem hinc, qui ex librorum lectione ipſa, redundet fructus, inſtituerunt. In quorum numero, diu eſt, quod ipſi nos profeſſi nomen noſtrum, id pro virili noſtra parte egimus, ut recte gerere hoc munus diceremur, nec in noſtro ſtudio, bona colligendi & utilia, deſiderari quidquam poſſet. Itaque, jam olim hoc intelligentes, non poſſe omnem copiam librorum meliorum menſtruis laboribus concludi, mature Actis *ipſis* Supplementa *adjunximus, operamque dedimus, ut, ſi non æqualem hæc cum* Actis *ipſis haberent curſum, æquale tamen noſtrum ſtudium oſtenderent. Prodit igitur nunc horum* quartum decimum

)(Volu-

Digitized by Google

Volumen, *quod, ſatis nobis eſt, ſi ad formam compoſitum priorum judicetur, nec minorem, quam illa, gratiam lectorum ferat. Conjecimus huc, quicquid in* Actis *ipſis, arcto nimis circumſcriptis ſpatio, locum invenire non poterat, & curam tamen aliquam ſtudiumque noſtrum requirebat. Itaque hic vetera nonnulla, & novorum bene multa, nec levia tantum, aut ubivis obvia, ſed ſelecta maxime, & in his certe terris rariora, collegimus. Quod autem ad noſtram de aliorum laboribus judicandi rationem attinet, hanc ſi in* Actis *probas, non poteris in* Supplementis *improbare; eſſe enim eosdem utriusque Operis Autores, dudum noſti. Videmur igitur in poſterum etiam tempus rem non inutilem, nec lectoribus ingratam, facturi, ſi* Supplementorum *hoc Opus eodem, quo* Acta *ipſa, ſtudio, eademque alacritate, perſequamur, &, ut aliquando Annales literarum abſoluti atque locupletes exſtent, noſtra opera perficiamus. Sed, ut noſtrum, ſi Deus optimus voluerit, nunquam ſtudium ceſſabit, ita, lectorum etiam favore nobis opus cumprimis eſſe, probe intelligimus, rogandique ſunt vel ii maxime, qui doctiſſimis operibus literarum ſolent fines amplificare, ut, hæc ipſa diligenter ad nos mittendo, rei librariæ, in hac urbe peſſime ſe habentis, inopiæ ſubveniant, ne, qui noſtra hæc libenter legunt, his, per noſtram non incuriam, ſed paupertatem, librorum notæ optimæ, omniumque ephemeridum præconiis digniſſimorum, cognitione ſit carendum.*

* * *

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio I.

TRATTENIMENTO ISTORICO E CRONOLOGICO, &c.

hoc eſt,

TRACTATIO HISTORICA ET CHRONOlogica, in tres Libros diviſa, à D. FRANCISCO MARIA BIACCA, cive Parmenſi, inter Arcadas Romanos Parmindo Ibicenſi, oppoſita Tractationi hiſtoricæ ac chronologicæ Patris CÆSARIS CALINI, oſtendens, Hiſtoriam Antiquitatum Judaicarum Joſephi Judæi nec falſam eſſe, nec a ſacris literis diſcordare, quarum loca diſcutiuntur ſingula. Adduntur Tabulæ Chronologicæ, tam recentiores, quam antiquæ, eæque inter ſe conciliatæ. Loco Appendicis adjectæ ſunt duæ Diſſertationes de Hebdomadibus Danielis.

Tomi II.

Neapoli, ſine mentione typographi, 1728, 4.
Alph. 4 plag. 17½.

Occaſio librum hunc conſcribendi Autori Cl. ſubnata eſt ex tractatione hiſtorica, quam P. *Cæſar Calinus* edidit ſub titulo: *Trattenimento Iſtorico e Cronologico ſulla ſerie dell Antico Teſtamento.* Quo in volumine *Calinus Joſephum*, Hiſtoriographum Judaicum, atro paſſim carbone notavit, vix

Digitized by Google

ſeſe moderatus, quin illum ordini impoſtorum ac falſariorum adſcriberet. *Tertullianus*, *Hieronymus*, aliique Patres, omnino longe aliter de *Joſepho* ſenſerunt, ac *Calinus*. *Joſephus* ſane videtur commemoraſſe, ſe lingua patria expoſuiſſe olim bellum Judaicum. Sed, ſi Præfationem ipſam inſpicere lubeat, bello Judaico præmiſſam, ipſum de Antiquitatum libris ita tradidiſſe, apparebit. *Calinus*, hiſtoriam *Joſephi* e diametro ſacris literis repugnare, propemodum docuit. *Biacca* autem in eo eſt totus, ut, illam diviniori Codici congruere, perſuadeat lectori. *Baronius* quidem *ad A. 34 pag. 211* putat, de rebus Chriſti, ab eodem *Joſepho* deſcriptis, parum eſſe, quod *Joſepho* debeamus. Sed Noſter addit merito, eum de *Joannis* baptiſmo, de morte *Herodis Magni*, de *Jacobo* minori, de *Quirinio*, de *Pontio Pilato*, de *Feſto*, de *Felice*, de *Caipha*, de *Joanne* & *Alexandro*, *Act. IV* memoratis, de *Herodiade*, de *Agrippa*, aliisque rebus, tradidiſſe congruenter Fœderis Novi monumentis. Quod quidem argumentum *Nathanael Lardnerus*, Anglus, in *Fide hiſtoriae Evangelicæ* pleniſſime optimeque fuit perſecutus. *Joſephus* tacuit quidem cædem Bethlehemiticam, ab *Herode* admiſſam; *Huetius* vero, Judæos eum mutilaſſe ac truncaſſe, credit. At nec tres Evangeliſtæ, præter *Matthæum*, eam commemorarunt. *Baronius* & *Bellarminus* multa utique in *Joſepho* notarunt. Ipſos tamen falſi inſimulaſſe eum, Noſter inficiatur. Et, cum *Bellarminus* aſſerit, *Joſephum* multas in quodam loco immiſcere fabulas, id ipſe in benigniorem partem de elocutione diſerta interpretatur. Nihilo minus *Joſephus contra Apionem Lib. I pag. 873* in veram Chronologiam impingere videtur. Ita enim diſſerit: *Quinque millium annorum numerum hiſtoriam continentem ex noſtris ſacris libris Græco ſermone conſcripſi.* Sed id non admodum tuetur Apologeta. Inprimis *Joſephus* fide dignus videtur, eo quod ex libris Vet. Teſt. canonicis, quos XXII enumerat, ex Judæorum & Græcorum libris melioribus, ex Chronologia Pontificum, a *Moſe* ad *Chriſtum* deducta, ſua depromſit, *per omnia autoritatem ſacrorum voluminum ſecutus*, *Antiq. Jud. Lib. XX Cap. ult.* In fine vitæ ſuæ perhibet, ſeſe libris ſacris a *Tito* Cæſare

ſare

Digitized by Google

ſare donatum fuiſſe. Quare ſatis videtur dilucere, eis præſidiis inſtructum fuiſſe *Joſephum*, quæ ad ſcribenda tanta Opera conferre aliquid poterant. Multa enim volumina incendiis ac viciſſitudine rerum interierunt, quibus veteres uſi ſunt opportune. *Joſephus* calculum LXX virorum ſecutus fuit. *Calinus* id ei vitio vertit. Cl. *Biacca*, Alexandrinos interpretes e contrario olim approbatione publica exceptos eſſe, ſibi perſuadet, ac *Joſephum* defendit, ab exordio mundi ad excidium Hieroſolymitanum 6000 annos ſupputantem, Patrum teſtimoniis in ſubſidium adſcitis. *Calinus* adhibuit interpretationem *Joſephi* Latinam, a *Sigismundo Gelenio* profectam, ac A. 1584 Francofurti ad Mœnum editam in forma maxima, vel conſimilem, eo quidem eventu, ut *Joſepho* eos tribueret nævos, qui ad interpretem, *Joſephi* ſenſa haud ſatis aſſecutum, referendi ſunt, nequaquam ad *Joſephum*. Translatio doctiſſimi *d'Andilly* plerumque eſt admodum luculenta & elegans, licet haud ubique exiſtat fideliſſima. Noſter ea paſſim uſus eſt, ſed ita, ut *Hudſoni* editionem duxerit ei anteponendam. De hebdomadibus *Danielis* ſeptuaginta *Calinus*, quæ ſibi viſa ſunt meliora, ediſſeruit. Suo peræque judicio confiſus fuit *Biacca*, de eis commentatus, a *Calino* paſſim diſcordans. Cum Cl. *Biacca* Opus ſuum fere ad umbilicum adduxiſſet, altera editio Rev. P. *Calini* jam in lucem exibat, qui in calce libri ſui, *Trattenimento iſtorico e cronologico*, indicem nonnullarum mutationum adjecerat, quo ſphalmata, in priori editione admiſſa, correxit. Cl. *Biacca*, cenſor, eas præfixit Operi ſuo, id ſatis ſignificantes, *Calinum* paſſim errores ſuos chronologicos emendare, eosque præ ſe ferre. Addit & *Biacca* eis virgulam cenſoriam, & emendationes *Calinianas* denuo ſub judicium vocat ac emendat. Ut vero Lectores, quantopere inter ſe honeſtiſſimi Viri diſſideant, coram intueri, ſolideque intelligere, poſſint, complexum eorum nævorum, quos in *Joſepho Calinus* notavit, & in quibus diluendis retundendisque *Biacca* vires ingenii exercuit, huc apponemus. *Calinus Joſephum* carpſit & accuſavit, quod 1), Evam extra Paradiſum formatam, narraverit; 2) quod exiſtimarit, *Cainum* condidiſſe civitates duas, ac *Lame-*

 cho

Digitized by Google

cho fuiſſe 70 filios; 3) quod retulerit, diluvium duraſſe 80 dies, & ante illud duas columnas eſſe erectas; 4) homines timuiſſe diluvium ſecundum; 5) *Saram* exſtitiſſe *Lothi* ſororem; 6) *Pharaonem* multa *Abrahamo* dediſſe dona, & hunc in Ægypto docuiſſe Arithmeticam; 7) *Lothum* ſuppetias tuliſſe Sodomis obſeſſis; 8) *Rebeccam* marito nupſiſſe, patre ſuo non amplius vivo, *Abrahamum Iſaaco* hæreditatem ob *Rebeccam* toro adſcitam denegaſſe, eumque obiiſſe eo, quo id prorſus improbabile, ævo; 9) *Jacobum* ſerviiſſe ſeptem annos, ut *Rahelem* in uxorem impetraret; 10) vatem aliquem Ægypti natales *Moſis* prædixiſſe; 11) principem Ægypti appellatam eſſe *Termutin*, eamque luſiſſe ad Nili ripam; 12) natandi peritos arculam, *Moſe* oneratam, debuiſſe allevare in altum, multas nutrices aluiſſe *Moſen*, *Pharaonem Moſis*, ulnis excepti, impoſuiſſe diadema capiti, in humum ab hoc projectum; 13) *Moſen* belligeraſſe cum Æthiopibus, ac *Sipporam* inde uxorem duxiſſe; 14) in *Pharaonis*, *Moſen* conſectati, exercitu fuiſſe ſexcentos currus falcatos, Deumque renovaſſe miraculum, quo mare rubrum Iſraelitæ tranſierunt, Macedonum in gratiam, juxta mare Pamphylium contra Perſas moventium; 15) aquam amaram, quæ in dulcedinem injecto ligno abiit, e puteo fuiſſe deſumtam, per *Moſen* effoſſo, aquam hanc naturali ratione, depoſita amaritudine, exſtitiſſe dulcem, Mannam ſua adhuc ætate cœlitus delabi, *Jethronem* veniſſe ad *Moſen* in deſerta ad ſalutandam uxorem ſuam *Sipporam* ſuosque nepotes, Cherubinos arcæ avibus fuiſſe ſimiles; 16) *Moſen* duxiſſe uxorem Africanam, a *Sippora* diverſam, ipſumque potius e vivis in cœlos raptum eſſe, quam obiiſſe; 17) tranſitum Jordanis exſtitiſſe aliter, ac in ſacris literis commemoretur; 18) effluxiſſe 610 annos ab exitu ex Ægypto usque ad conditum a *Salomone* templum, a condito autem orbe ad diluvium annos 2656; 19) Hierichuntinos ſub *Joſuæ* adventum ſonitus inſtituiſſe cornibus bellicoſis; 20) *Samgarem* judicem ad gubernaculum anno uno ſediſſe, in exercitu *Siſaræ* 10000 equitum ac 300000 peditum, nec non 3000 curruum exſtitiſſe falcatorum, prælioque fervente ingruiſſe grandinem

ac

Digitized by Google

ac procellam, imbrem procelloſum Cananæis, a *Baraco* profligatis, fuiſſe exitioſum; 21) cornua arietina adhibita eſſe ad excitandum ſonum bellicoſum; 22) *Rutham* coram adſuiſſe in judiciali actione, quæ interceſſit inter *Booz* & alterum *Ruthæ* cognatum; 23) *Abimelechum* abſcidiſſe ramum ſiccum, cum milites juberet igne expugnare rupem Jovis Berythenſis, numerum cæſorum in ea pugna excedere veritatem ad 500; 24) judicem *Tholam* per annorum incertorum ſeriem populo præfuiſſe; 25) Ammonitas, olim prævalentes reliquis nationibus, tranſiiſſe Jordanem; 26) Regem Ammonitarum Legatos ad *Jephtham* miſiſſe; 27) arcam fœderis per 4 menſes penes Philiſtæos fuiſſe detentam, hominesque, nulli ſacerdotio adſtrictos, ob arcam illam inſpectam obiiſſe 70; 28) tres viatores, qui Bethlehem ibant ſacrificatum, non niſi hædum unum obtuliſſe, atque *Samuelem* repræſentaſſe inſtar deſperati; 29) delineaſſe *Nahaſum* orbem univerſum ceu maxime barbarum, ultraque quod par erat numerum exercitus Iſraelitici fuiſſe copioſum, nec non pluviam, quæ ad preces *Samuelis* e cœlo emittebatur, conjunctam fuiſſe cum grandine; 30) Philiſtæos, caſtello Gibeæ exercitum admovenres, 30000 pedites adduxiſſe militatum, *Davidem* vero inter Philiſtæos ſeſe continuiſſe 4 menſes ac 20 dies; 31) ſtaturam *Goliathi* exſtitiſſe majorem ea, quæ in ſacris commemoratur literis, *Goliatho* occiſo pugnam conſeruiſſe cum Philiſtæis Iſraelitas cruentam atque ſecundam, *Davidem* capita Philiſtæis, non præputia, præcidiſſe, ſtragemque Amalecitarum *Davidicam* cœpiſſe a prandio, ac ad ſeram duraſſe noctem; 32) *Joabum*, prælio defunctum adverſus Iſraelitas, nocte illa ſeſe tenuiſſe ſub colle Aman; 33) Philiſtæis, adverſus *Davidem* armatis, immixtos fuiſſe Syros ac Phœnicas, *Uſam*, qui arcam inauſpicato contingebat, ac morte plectebatur, non exſtitiſſe ordinis Levitarum, Levitam fuiſſe *Obed Edom*; 34) in bello, quo *Davides* infeſtavit Moabitas, periiſſe duas tertias, unam vero tertiam evaſiſſe incolumem, Syros, quibuscum *David* pugnavit, ex Euphratis confinio acceſſiſſe, exercitum Syrorum 80000 peditibus ac 10000 equitibus conſtitiſſe, & in obſidione Rabbæ Ammoniticæ ea, quæ ſacer

Digitized by Google

ſacer Codex tacet, accidiſſe; 35) capillos *Abſalomi* aliter, ac ſacræ literæ memorant, fuiſſe comparatos, filiosque *Zadoci* & *Abjatharis* ab agmine celeriorum equitum dete-ctos ac denuntiatos fuiſſe, allaturos *Davidi* famam de eis, quæ in pugna, adverſus *Abſalomum* commiſſa, fuerant geſta; 36) *Joabum* per proditionem *Amaſam* confodiendum curaſſe; 37) filiis ſeptem *Sauli* in crucem ſublatis, pluviam cœlo ex-cuſſam cecidiſſe; 38) proſelytos, ad laborem ſaxis impen-dendum, quæ templo exſtruendo fuerant deſtinata, fuiſſe 180000, *Davidem*que coacervaſſe ad ædem Dei exſtruendam myriadas auri ac argenti; 39) quod *Joſephus* multa paſſim mendacia intexuerit; 40) quod in deſcriptione epuli Ado-niæ fefellerit, in exponendo *Davidis* ſepulcro erroribus ſeſe maculaverit, *Salomoni* tribuerit artem therapevticam ſcientiam-que incantandi aves, *Eleazarum* vero coram *Veſpaſiano* dæmo-niacos exſolviſſe vinculis diaboli tradiderit; 41) quod *Joſe-phus* reginam Sabæorum, *Salomonis* hoſpitem, *Nicaulem* ap-pellaverit, ratus, eam Ægypti ac Æthiopiæ dominam exſtitiſ-ſe; 42) quod perhibuerit, *Salomonem* fabricandos curaſſe 12 boves æreos ad ſuſtinendum templi lavacrum, thronumque ſuum 14 leonibus minoribus exornaſſe, immo, quod majus eſt, regnaviſſe annos 80. De hiſce capitibus controverſia utrinque vertitur, de hiſce argumentis a Duumviris diſcepta-tur. Nec Cl. *Biaccæ* ſatis fuit, *Joſephi* fidem pro virili pro-pugnaſſe. Notavit prætera obelo inſignem numerum pro-nuntiatorum, quæ *Calinus* paſſim approbavit. *Calini* ſunt hæc dogmata, quibus affirmatur, Deum octavo die creatio-nis animantia monſtraſſe *Adamo*, nono autem *Evam* fuiſſe con-ditam, Regem Geraræ donaſſe *Saram* numo argenteo ad reti-culum capitis comparandum, *Phicolem* exſtitiſſe *mareſchallum*, *Eliezerem* fuiſſe *nobilem* genere (*gentilbuomo*), *Keturæ* filios fuiſſe ſeptem, *Potipharem* vero coquorum antiſtitem, arcu-lam, cui *Moſes* injectus fuerat, ſub ripa ſicca, non in aqua, fuiſſe collocatam, eamque a matre *Moſis*, *Jocabeda*, fabri-catam, & ad amnem allatam, *Amramo* patre jam defuncto. *Calinus* multum operæ inſumſit, ut, *Jacobidas* 430 in Ægy-

pto

Digitized by Google

pto hæſiſſe, contenderet: duos e majoribus eſſe inter *Kahatum* ac *Amramum* in ſacro Codice omiſſos progenitores, credidit; genealogiam *Manaſſitidarum* & *Ephraimitarum* ita concinnavit, vt *Biacca* eum haud parum cenſura dignum exiſtimaverit, ratus, *Kahatum* *Amrami* fuiſſe patrem. *Calinus* tranſitum Iſraelitarum per mare rubrum ita exponit, ut fingat, ventum auſtralem vehementiſſimum, ſine tempeſtatis gravitate, mare ita diviſiſſe, ut ſpatium ſuperfuerit in ſicca arena ad tranſeundum. Idem ſupputat multitudinem hominum ex Ægypto egreſſorum ad ſex myriadas, opinatus, fulmine ſacerdotes *Nadabum* & *Abibu* periiſſe. Credit, *Joſuam* vixiſſe decennium modo, poſtquam Jordanem tranſierat, ac annos illos 480, ab exitu Ægypti ad *Salomonei* templi exſtructionem, inchoandos eſſe a tranſitione per Jordanem. Idem, naves *Hirami* ac *Salomonis* in Americam tetendiſſe, Regesque Abasſinorum per reginam Sabæorum ex *Salomone* ortos eſſe, *Salomonem* tandem pœnitentiam male actorum feciſſe teſtatam, ac ipſum æterna ſalute impertitum, ſibi perſuadet. Cl. *Biacca* creberrime tenet *Calino* contrarium, rebusque dubiis, vel in controverſiam deductis, lucem affundit. Et hæc quidem de ſumma *Libri primi.* In *ſecundo* haud minor ubique elucet induſtria Autoris, *Joſepho* periclitanti ſuppetias euntis. *Joſephum Calinus* eo culpat nomine, quod Prophetam, divino juſſu miſſum *Jeroboamo*, vocaverit *Jaddum;* Prophetam *Michal*, licet miraculis boni Prophetæ commonefactum, a *Jeroboamo* in prava doctrina retinendo haud deſtitiſſe, retulerit; in hiſtoria *Eliæ* & *Eliſæi* errores commiſerit; percuſſorem *Achabi* vocaverit *Amanum;* minus recte indicaverit plagam, *Achabo* illatam, eamque funeſtam, atque in Anatomes ſcientiam peccarit. *Calinus Joſepho* vertit vitio, quod commemoraverit, *Joſaphatum* vixiſſe propemodum 70 annos; non expoſuerit hiſtoriam *Naemanis Syri*, lepra liberati; quod maritum viduæ, cujus in amphora oleum ad preces *Eliſæi* crevit, *Abdiam* & præfectum domus *Achabi* appellarit; quod *Benhadadum*, Regem Syriæ, ex dolore, ob Samariam a ſeſe non ſubactam concepto, obiiſſe ſcripſerit; quod de *Eliſæo* multa minus curate narraverit;

Digitized by Google

rit; quod in hiſtoria de *Jehu* ceſpitaverit; quod *Jojadam* appellaverit ſummum Pontificem. Adjicitur tabula chronologica Regum Judæ & Iſraelis a *Biacca*, qui Regum res exponit ita, ut ubique notet *Calini* errores. *Biacca* impugnat *Calinum* eo, quod hic *Sennacheribum* a *Sargone* diſtinxerat. Ipſe de Canone *Ptolemæi* diſſerit; de *Manaſſe*, de *Sobna* & *Eliakimo*, Pontificibus, de *Oloferne* & *Nebucadnezare*, Rege Babyloniorum, & de reliquis Judæ Regibus, exponit; de fuga *Zedekiæ* per portam agit; *Darium Hiſtaſpidem Eſtheræ* maritum fuiſſe, it demonſtratum; in *Danielis* hiſtoriam inquirit; de Regibus Babyloniæ Perſidisque, in ſacro Codice commemoratis, ita diſputat, ut paſſim a *Calino* diſſideat; initium hebdomadum *Danielis*, quod in primo *Cyri* anno collocat *Calinus*, ex epochis, quas Patres approbarunt, deducit; de exordio Olympiadum ſecus, ac *Calinus*, ſtatuit; *Alexandri Magni* tempora examinat; principium æræ *Seleucianæ* expendit; *Antiochum Epiphanem* repræſentat, & res ab eo geſtas ediſſerit; de reliquis Syriæ Regibus exponit, in quorum deſcriptione ſubſiſtit, tabulasque chronologicas ſubjungit. Longa proinde Viros doctiſſimos diſtinet diſceptatio, longa eſt querela, longæ ambages. Nos, quibus jam vix ſumma ſaltem hic licet ſequi rerum faſtigia, delibabimus hinc inde paucula, ut Lectori ſuppeditemus rationes, quibus inductus, de Duumvirorum lite *Joſephina*

Lib. I pag. 4 ſeq. judicium ferre queat. *Evam* intra ſextiduum fuiſſe creatam, *Biacca* ita it demonſtratum. Ipſe exiſtimat, Deum intra id temporis perfeciſſe cœlum & terram, & *omnem ornatum eorum*, *Gen. II, 1*, immo *terram & mare & omnia, quæ in eis ſunt*, *Exod. XX, 11*, atque creaviſſe ante ſextidui finem maſculum & fœminam, eisque benedixiſſe, *Gen I, 37*. Quo quidem argumento ſatis collabefecit opinionem *Calini*, qui, *Catharinum* ſecutus unicum, *Evam* die a creatione mundi nono creatam contenderat; ſimulque refellit *Calinum*, qui, *Evam* extra paradiſum fuiſſe conditam, animum induxerat ad credendum. *Cornelius a Lapide* de *Capite Geneſios ſecundo* judicaverat hunc maxime, eumque genuinum, in modum: *Redit hic Moſes ad opus ſex-*
7. *tæ diei, ut formationem hominis luculentius explicet.* Deum pelles

pelles loco veſtium dediſſe *Adamo* ac *Evæ*, ut oſtenderet materiam convenientiorem corpori foliis ficuum, *Biacca* ſibi perſuadet, impugnans *Calinum*, qui, pelles adhibitas fuiſſe ad frigus arcendum, crediderat. *Joſephus* memoriæ prodidit, *Cainum Najada condidiſſe*, non ut urbem munitam vel concluſam, ſed ut locum ſuo labore exculturn. De regione *Jo-* Pag 10.
11.
ſepho eſt ſermo, non de urbe. Hæc eſt *Biaccæ* expoſitio, qua *Joſephi* autoritatem a ſeſe defenſam eſſe arbitratur. Rev. P. *Calinus*, *Joſephum Caino* initia urbium duarum, Najadæ & Henochiæ, tribuiſſe, ſibi perſuaſerat. *Cainum* latrocinia & rapinas exercuiſſe, Cl. *Biacca*, *Joſepho* præeunte, non inficiatur, ſiquidem iſte exſtiterit ſceleratus, inſidiator, fratricida. Poterat & hoc addere, *Abelis Caini*que jam tum, cum *Abel* 12.
occideretur, exſtitiſſe progeniem poſteroſque. *Joſephus Calino* vapulat eo, quod diluvii *Noachici* incremento adſcripſerit dies 90. *Biacca* e contrario oſtendit, in Græcis *Joſephi* verbis exſtare *τεσσαράκοντα*, *dies quatuordecim*, pariter a 14.
Moſe conſignatos *Gen. VI, 12.* Quantum ad duas *Sethi* columnas attinet, de quibus *Joſephus* mentionem injecit, *Biacca* lectorem remittit ad *Petri Danielis Huetii Demonſtr. Evang. Prop. IV n. XV p. 56 ſeq.* Terram, in qua columnæ illæ *nepotum Sethi* exſtiterunt, ipſe vocat Syriam. Sed lectio ipſa *Joſephi* variat, ac jam olim admodum variavit, id quod conſtat ex *Hadriani Relandi Palæſtina Lib I Cap. 53*, qui *terram Seriada* (ſic enim in Græco legitur,) putat eſſe regionem Serum in India, a quo Cel. *Furmontius* diſſentit, quemadmodum propediem in ipſis *Actis* indicabimus. Patres veteris Eccleſiæ de columnis illis nequaquam dubitaſſe, eſt in aprico. Id porro male habuit *Calinum*, quod, homines diluvio remoto in planitie habitare veritos fuiſſe, metuentes diluvium aliud, *Joſephus* retulit. *Biacca* autem, illum pavorem vel metum non adeo fuiſſe vero diſſimilem, reſpondet. Natura maris ac terrarum, nondum ſatis confirmatarum intra planities, paulo poſt funeſtiſſimum illud diluvium obvia, huic metui ſatis congruit. *Abrahamum* obſervationes de eis concinnaſſe, quæ in terra, mari, ac cœlo, accidere ſolebant, ac a Chal-

Digitized by Google

dæis varia inſectatione fuiſſe, petitum, *Joſephus* tradit. Id
pro mendaciis habet *Calinus*. Sed quis negabit, *Abrahamum*
infeſtatum fuiſſe a familia ſua, eo quod religionem ejus impu-
riorem ferre non poterat, Deumque unicum univerſi orbis
conditorem, ex creatarum rerum indole, & obſervationibus
inde collectis, comprobabat? Hoc enim eſt illud, quod *Jo-*
Pag. 16. *ſephus Abrahamo* ducit laudi ac honori. Addit *Biacca*, hunc
fuiſſe morem Patriarcharum & hominum piorum, ob *Pſ. XIX,*
1 ſeq. Liceat & nobis hoc adjungere, quod jam *Thara*, *Abra-*
hami pater, Deos alienos coluerit, *Joſ. XXIV, 2.* Qui itaque
Abrahamus ſuis potuit placere, ſimul ac Deum unicum ſupre-
17. ma dignum reverentia duxit? Ipſum primo eundem admiſiſſe
progenitoris errorem, *Biacca* ex *Eſ. XLIII, 27,* evincere labo-
rat, ubi Deus Judæis hæc exprobrat: *Pater tuus primus pec-*
18. *cavit.* *Joſephus* vocavit *Saram Lothi* ſororem. Id minus pro-
batur *Calino*. Regerit *Biacca*, conſanguineos, proxima co-
gnatione junctos, ea ætate dictos fuiſſe *fratres* ac *ſo-*
rores, *Gen. XIV, 14.* *Calinus Joſephum* vocat mendacem ac
perfrictæ frontis calumniatorem, quippe qui ſcripſerit, *Abra-*
hamum in Ægyptum iviſſe agendi cauſa cum Ægyptiorum ſa-
cerdotibus de Numine ſupremo, eosque ſequendi, ſi meliora
ipſum edocturi fuiſſent. *Biacca* recurrit ad complexum
orationis *Joſephi*, qui commemoravit, *Abrahamum* in Ægy-
ptum conceſſiſſe, tum ut commeatu & proventu frugum ibi
frueretur, tum ut ſententiam Sacerdotum de divinitate co-
gnoſceret, aut ſecuturus illorum opinionem, dummodo ea eſſet
melior, aut ipſe rectiora eis commonſtraturus. Deinde oſten-
dit, veroſimile eſſe, antiſtites Ægyptiorum ſacros egiſſe cum
viro tam celebri ac Propheta de recta infiniti Numinis co-
19. lendi ratione. *Abrahamus* certe exteris quoque fuit notiſ-
ſimus, uti vel ex *Juſtino* pateſcit. *Joſephi* ætate ſuperfue-
runt multa per manus tradita, ac plurima fidis monumentis
literarum commendata, quibus dudum caremus. *Paulus*
mentionem facit de *Joanne* & *Jambre*, *Judas* de *Henochi*, re-
prehendentis ſuos, ſermone. Veteris codicis tabulæ ſilent.
Nihilo minus de earum rerum fide hiſtorica nullus oriri debet
ſcru-

Digitized by Google

ſcrupulus. *Calino Joſephi* id teſtimonium minus arridet, quo
Abrahamus a *Pharaone* traditur multa munera ſuſcepiſſe. *Bi-* Pag. 20.
acca monet contra, *Abrahamum*, Ægypto egredientem, ad-
modum fuiſſe divitem, *Gen. XIII, 2,* & *Pharaonis* in ipſum
maximam exſtitiſſe benignitatem, quæ eluxerit ex comitatu
deducentium *Abrahamum* e regno, *Gen. XII, 20. Joſephus*, *A-*
brahamum Ægyptios docuiſſe Arithmeticam & Aſtrologiam, do-
cuit. *Calinus* id virgula notat cenſoria. *Biacca* breviter re- 21.
ſpondet, conſenſione Patris *Zucconii* ac *Cornelii Muſſati* uſus,
qui *Joſephi* autoritatem in hoc rerum *Abrahami* momento
habuerint ſanctam, fideique plenam. *Calini* ſuffragia *Joſephus*
haud meruit, eo quod *Lothum* dixit in captivitatem fuiſſe ab-
reptum, cum Sodomis eſſet auxilio futurus. Ipſe *Calinus* ſuas
ita ſubduxit rationes, ut credat, *Lothum* intra Sodomorum
mœnia hæſiſſe, ideoque eis ſuppetias ire haud potuiſſe. Sed
vellicat ei aurem *Biacca*, remittitque eum ad locum *Gen. XIII,* 22.
12, ubi *Lothus* dicitur *moratus in oppidis, quæ erant circa*
Jordanem, & habitaſſe in Sodomis. Adjicit hanc quoque anno-
tationem de *Elieſere*, *Abrahami* ſervo, quem *Calinus* vocave- 23.
rat generoſæ nobilitatis conſortem, admonens, illum exſtitiſſe
domus & aulæ *Abrahami* ſervum ſeniorem, *Gen. XXIV, 2,* ea
ætate, qua de nobilitatis dignitate nondum fuerit cogitatum a
quoquam. *Calinus* notat *Joſephum*, quippe qui *Bethuelem* tra-
didit defunctum jam fuiſſe, cum *Labanus* excepit petitorem
Rebeccæ, ſervum *Abrahami*, *Iſaaci* matrimonio conſulturum.
Argumenti profugiique loco ei eſt illud *Gen. XXIV, 50: re-*
ſponderunt Laban & Bethuel. Sed in promtu eſt *Biaccæ*, quid 26.
ad vindicandum *Joſephum* reſpondeat. *Bethuel* hic non fuit
Rebeccæ pater, ſed frater. *Elieſer* enim dedit *Rebeccæ* arrham
nuptialem, *fratribus vero ejus & matri dona obtulit.* Niſi pa- 27.
ter tum in vivis eſſe deſiiſſet, ipſe certe non abiiſſet indona-
tus. Addit *Biacca* ex ſacro Codice illas quoque formulas:
reſponderuntque fratres ejus & mater, imprecantes proſpera ſo- 28.
rori ſuæ, atque dicentes: Soror noſtra es. *Rebecca* proinde fuit
ſoror *Bethuelis*. *Calinus Joſephum* porro reprehendit, eo
quod commemorare omiſit, *Abrahami* ætatem vivendo atti-

Digitized by Google

giſſe *Jacobum* & *Eſavum*. Sed *Joſephus* in eo narrationis filo
pertexendo ſacrum Codicem fuit ſecutus, *Gen. XXV*, 7, ad
Pag. 29. quem (*v. 8.*) *Cornelius a Lapide* egregiam eo fine expromſit
annotationem. *Jacobus*, poſt hebdomada (annorum) transactam,
30. duxit *Rachelem* uxorem, *Gen. XXIX, 27. Joſephus Lib. I Antiq. Cap. 19* ſcripſit: *ſeptennio altero exacto duxit uxorem.* Heb-
domas *dierum* eſt in Vulgata, abeſt ab Hebraico & Chaldaico
31. contextu. Et ſic rurſus *Joſepho* & ſacris literis ſua conſtat
32. concordia, licet eam *Calinus* haud perſpexerit. *Potipharem*
Ægyptium *Joſephus* appellavit *Principem*, ſacer Codex *evnuchum Pharaonis, Gen. XXXIX, 1.* Diſſenſionem id exiſtimat
Calinus, Præfectum domus interpretatur *Biacca*, & ita nodum
putat eſſe diſſolutum. Scribam *Pharaonis* prædixiſſe natalem
Moſis, *Joſephus* tradidit. Faſtidit narrationem *Calinus*, a ſacro Codice alienam. Sed fama volavit inter Judæos, ipſos
definito tempore Cananæam repetituros, ideoque duce uſuros ſtrenuo. Unde ejusmodi ſcribæ prædictio nata eſſe potuit,
33. haud adeo improbabilis. *Cornelius a Lapide in Exodum I, 10: Quod vates quidam Ægyptius prædixerat, brevi naſciturum quendam, qui, ſi adoleſceret, imperium everteret Ægyptiorum. Joſephus* filiam *Pharaonis*, *Moſis* educatricem, vocavit *Ther-*
34. *mutin. Artapanus Merin* appellat apud *Euſebium. Zucconius*,
id quo minus notet, a ſeſe impetrare haud potuit. Arca, in
qua *Moſes* ad ripam alvei Tanitici delituit, dicitur a *Joſepho miſſis natatoribus* educta. Contendit *Calinus*, ripam fuiſſe ſiccam. Sed, inter juncos ſeu papiri plantas ſtagnaſſe ac reſediſſe
35. undas, veroſimile arbitratur *Biacca*. Nonne *Moſes* ex aqua
fuit extractus? Qui itaque in nuda arena vel ripa collocatus
36. dici poteſt? Suffragatur *Zucconius. Calinus*, tum *Moſen* jam
e vivis nondum egreſſum fuiſſe, credit. *Calinus* eum vivis
jam ereptum opinatur. Res ipſa vertitur in pronuntiato *Moſis Exod. II, 1. Paulus* certe, *Amramum* tum adhuc vixiſſe,
perhibet *Ebr. XI, 23*, licet id falſum ſit, quod pater in flumen demiſerit filium, arcæ mandatum. Hoc enim matri tribuitur *Exod. II, 2*, ſimul ac Hebraicum ſermonem contuleris.
37. *Biacca*, hoc negotium *Amramo* tribuens, erravit ſane, ſi quid
judi-

Digitized by Google

judicando valemus. Addit *Joſephus*, *Thermutin* impoſuiſſe
diadema *Moſis* capiti, idque *Moſen* humi projeciſſe. *Moſes* hæc
non habet. *Calinus Joſephum* eo nomine caſtigat. Sed id
Joſephi pronuntiatum adeo non eſt vero abſimile, ut potius Pag. 40.
probabilitatem accipiat ex *Actor. VII*, 22, ſi *Biacca* accedi-
mus. Expeditionem *Moſis* Æthiopicam, ejusque in ea conci-
liatas nuptias, exagitat *Calinus*. Rabbini autem aliique priſci
Patres eam easque confirmant, nominatim *Eupolemus* & *Arta-
panus*. Fuit certe *Moſes potens in operibus ſuis*, *Exod. VII*, 41.
22. *Moſes* certe multa humilitatis ſtudio de ſe ſuaque vita
ante acta prætermiſit, 40 annis in aula non otioſus & deſes.
Serpentes alati & ibides verſus Æthiopiam frequentarunt vias.
Ammianus Marcellinus eſt teſtis locupletiſſimus. *Moſen* primo 43.
uxorem Æthiopem, ac deinde etiam *Zipporam*, duxiſſe, opi-
natur cum *Joſepho* ipſe *Biacca*, ſiquidem *Num. XII*, 1, de
uxore כושית *Æthiopiſſa* mentio injiciatur. Dudum *Zipporam*
alii vocarunt *Caſioticam*, &, *Caſiotin* dici כוש haud ſecus
ac Æthiopiam, viri docti oſtenderunt. *Biacca* autem monet,
Zipporam exſtitiſſe Midianiticæ originis, ad quam ortus *Chu-* 46.
ſæus ſeu Æthiopicus haud quadret. *Auguſtinus Serm. 86 de* 48.
Temp. de *Moſe: Accepit Æthiopiſſam in uxorem. Calinus*
porro *Joſephum* notat, ratus, hunc ſcripſiſſe, gentem Judai- 49.
cam in Ægypto inde a morte *Joſephi* Patriarchæ 400 annos la-
boraſſe ærumnis. *Biacca* autem *Joſephi* verba parentheſi in-
cludenda, & ab *Abrahami* pergrinatione Ægyptiaca credit eſſe
ſupputanda, quæ ſic habent: *Atque in hunc modum per 400
annos fuit laboratum*, *Antiq. II*, 5, *pag. 50.* Clara utique ſunt
Joſephi verba *Lib. II Cap. 6 pag. 59: Reliquerunt* Judæi *Æ-
gyptum menſe Xanthico, luna 15, anno 430, poſtquam pater no-
ſter in Cananæam venit, & poſt Jacobi migrationem in Ægy-
ptum anno 215.* Qui itaque *Joſephus* commemorationi Judæ-
orum Ægyptiacæ, *Joſepho* demortuo tranſactæ, potuiſſet alibi
400 annos attribuere? Loca obſcuriora per evidentiora ſunt
omnino exponenda. *Calinus* annos illos 430 ſoli Jacobida-
rum domicilio Ægyptiaco aſſignat, idque ut evincat, *Kaba-* 50.
tum inter & *Amramum* duos familiæ Leviticæ progenitores in-

 feren-

ſerendos arbitratur. Deus vero annos 400 non ſervituti ſoli *Abrahamidarum*, ſed ſimul vitæ extra patriam exigendæ, adſtrinxit *Gen. XV, 13.* *Calinus* ad *Exod. XII, 40*, profugit. *Bi-*
Pag. 52. *acca* e contrario calculum ſuum ita ſubducit:

A vocatione *Abrahami* ad natalem *Iſaaci* effluxerunt anni	25
Jacobus natus fuit anno *Iſaaci*	60
Joſephus natus eſt anno *Jacobi*	91
Joſephus vixit annos	110
A morte *Joſephi* ad *Moſis* natalem effluxere anni	64
Moſes exiit ex Ægypto cum ſuis, natus annos	80
	430

Alexandrini interpretes hanc Chronologiam confirmant *Exod. XII, 40*, inſertis vocibus nonnullis, contextui lucem affundentibus, quibuscum concordat vaticinium Dei, *Abrahamo*
54. inſtillatum *Gen. XV, 13.* *Biacca* ſolide deinceps oſtendit, exiiſſe Iſraelitas ex Ægypto anno ab orbe condito 2454. *Ka-*
56. *hatum* exſtitiſſe *Amrami* patrem, comprobat ex *Exod. XII, 14*, *1 Chron. VI, 1, 16, 18, 22*, *XXIII, 12, 13*, *Num. XXVI, 59*, & ipſo *Joſepho Antiq. Jud. II, 5.* Dolemus ſane, rationem inſtituti noſtri id non permittere, ut reliquam Cl. *Biaccæ* tractationem perſequamur. Ex eis, quæ attulimus, indubie jam perſpiciet Lector, quantam diligentiam & ſoliditatem adhibuerit Vir hic, encomiis noſtris ſuperior, ad tempora recte diſtribuenda, ad Chronologiam & Hiſtoriam ſacram firmo talo imponendam, & ad *Joſephum*, rei judaicæ incomparabilem ſcriptorem, citra ullas ſtili moleſtias vindicandum. De cetero nos liti huic haud immiſcemus, Duumviris merita ſua volumus inviolata per nos ſtare, ipſisque gratulamur de ea controverſia, quæ in uſus publicos exoptatiſſime redundat. Ceterum optamus, ut, qui controverſias agitant eruditas, Cl. *Biaccæ* animum ab aculeis & dicteriis immunem, ſtilum humanitatis plenum, modeſtiam omni laude dignam, &, quod præcipuum eſt, tractationis ſoliditatem, imitentur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIONS HISTORIQUES ET Critiques, &c.

h. e.

DISSERTATIONES HISTORICÆ ET Criticæ in diverſa argumenta, conſcriptæ a PETRO RIVALIO, V. D. M. ad Sacellum Gallicum Regis Britanniæ in Palatio S. Jacobo dedicato.

Tomi II.

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, & Londini apud Jo. Peletum, 1726, 12.

Tomus I plag. 17, Tomus II plag. 16½.

CL. Autor, qui paulo ante Examine Diſſertationis Abbatis *Vertotii*, *de origine Legum Salicarum*, inclaruerat, novum hic præclaræ diligentiæ ſpecimen exhibet. Ipſi libro Dedicatio ad Sereniſſimam Walliæ Principem præfixa eſt, cujus ad calcem elegantiſſimæ obſervationes occurrunt de *Joachimo II*, Principe Electore Brandenburgenſium, avo paterno Principis, qui parens fuit Celſiſſimæ Domus Marchionum Anſpacenſium. Ubi non ſolum, contra *Buſſierium* diſputans, maxime illius Principis hiſtoriam luculenter exponit, ſed etiam ſimul innuit, ad eos ſe pertinere, qui, diſſenſum inter Reformatum & noſtrum cœtum non ad rem ipſam pertinere, ſed ſaltem nominalem eſſe, exiſtimant, atque utriusque partis amicam conſenſionem exoptant. Ipſarum autem Diſputationum numero *decem* ſunt, quarum priores jam in libro paulo ante commemorato promiſerat. *Prima* reſpicit hiſtoriam *Amalaſunthæ*, Oſtrogothorum, in Italia celebrium, Reginæ, prudentiſſimæ, *Eutharici* uxoris, *Athalarici* matris, *Theodorici* filiæ, cujus in genus, fata, atque virtutes, ſtudioſiſſime Cel. Autor inquirit, eamque adeo tanquam ſeculi ſui gloriam proponens, formæ pulchritudinem, animi magnitudinem, ſapientiam, & juſtitiam, miraculi fere plenam, & non ſolum in educando filio, ſed & in adminiſtrando imperio, demonſtratam, *Procopio* duce, prædicat, quocum *M.* etiam *Aur. Caſſiodorus Variar. Lib. XI Epiſt. I* amice conſpirat, ut *Agathiam*, *Jornandem*, atque alios, taceamus.

Occa-

Digitized by Google

Occaſio ſimul datur *Rivalio*, in hiſtoria Pontificum plura illuſtrandi, atque etiam nonnullos Papæ fautorum errores, e. g. calicis rapinam, acriter ac juſte tangendi. *Altera* Diſputatio, occaſione narrationis, a *Brianvillio* Abbate ſine omni fundamento propoſitæ, quod *Philippo Longo* Legis Salicæ poteſtas, præſente Pontificis Legato, confirmata fuerit, inſignem iſtam quæſtionem tractat: num *Zacharias* Papa de ſolio *Childericum III* dejecerit, atque in ejus locum *Pipinum* ſurrogarit. Anſa data, alias ſimul res maximi momenti Vir egregius illuſtrat, & ſingulatim contra varios Autores probat, *Gregorium VII* non primum fuiſſe Papam, qui ſacris interdicere, ac de imperiis deturbare Reges atque Principes auſus ſit, atque omnia illa revellit, quæ *Launojus* & alii ſcripſerunt, ut confirmarent, a *Gregorio I Leonem III* Imperatorem neque de cœtu ſacro excluſum, neque Italiam adverſus eum concitatam. Hæc *ſecunda* Diſputatio reliquis omnibus originem dedit. *Tertia* ſcilicet inquiritur, quatenus caſum *Childerici* Pontifex juverit, numque, a Gallis de hoc propoſito conſultatus, civilium rerum periti bonive caſuum diſceptatoris partes laudabiliter obſervarit; ubi ſimul omnes *rationes ſtatus* æque ac *religionis*, quæ dicuntur, a P. *Daniele* in celebri illa *Hiſtoria Franciæ* ad eum excuſandum allatæ, refutantur, atque oſtenditur, nihil hac deciſione injuſtius, nihil crudelius, fuiſſe. Excuſatur etiam aliquatenus *Conſtantinus Copronymus*, Imperator Conſtantinop. qui non niſi cultum imaginum abolere voluerit, illarum in templis uſum improbarit, finemque ſibi propoſuerit, antiquos cœtus ſacri mores reſtituendi & confirmandi. Inde Diſputatione *quarta*, quæ prima eſt ad id pertinens, quod *P. Daniel* de controverſia, propter cultum imaginum, Seculo præſertim octavo, fervente, in libro citato protulit, quodque ad decem hic propoſitiones invenimus redactum, de tribus maxime prioribus diſceptatur: ſcilicet, quod certum ſit atque exploratum, primis temporibus, quibus cœtus Chriſto colligeretur, imaginum cultum non adeo fuiſſe frequentem, quam hodie, deinde quod non minus uſus imaginum, in vaſis ſacris cælatarum, inde a primis Seculis obti-

obtinuerit, tum demum, quod luculenter ſatis appareat, earum cultum a Patribus Seculi tertii eſſe conſtitutum. Sequenti Diſputatione *quinta* duo hæc expenduntur: quod Legati Pontificii in Concilio Nicæno ſecundo præſidium habuerint, & quod Galli nihil habuerint monendum adverſus hoc ipſum Concilium, amicitiam colentibus *Carolo M.* atque *Irena*, quæ quidem mutua benevolentia integra fuerit eo ipſo anno, quo congregatio Nicæna coacta fuerit, ita quidem, ut non altius inquireretur, niſi tribus annis poſt, cum *Carolus* aulæ Conſtantinopolitanæ eſſet offenſus, propter nuptias, inter *Irenæ* filium & *Rotrudin, Caroli M.* filiam, miſſis Legatis, antea conciliatas, nunc vero, contra jus faſque, a matre diſſolutas. Et hæc ipſa eſt *prioris Tomi* concluſio. *Poſterioris* ſub initium comparet ſextæ propoſitionis refutatio, quod Concilii videlicet Francofurtani pronuntiata nitantur falſa Nicæni expoſitione, ac temeraria decretorum ipſius intelligentia. Inde *ſeptima* Diſſertatio ſeptimam atque octavam theſin convellit, ſcilicet, quod *Carolus M*, mittens Pontifici libros *Carolinos*, noluerit videri aliquid decreviſſe, ſed judicium potius ſuum, ad adorationem imaginum quod ſpectet, ſuſpendiſſe: & quod *Adrianus*, ad iſtas *Caroli M.* literas reſpondens, reſpexerit ſolum epiſtolam aliquam S. *Gregorii*, excitatam in libris *Carolinis* adverſus cultum imaginum, & ope aliarum ejusdem Pontificis epiſtolarum monſtrarit, ipſum re vera iſtiusmodi venerationem admiſiſſe. *Octava* vero, quam nono loco Cel. Autor extraxit, conſideratur, quod nempe patres Francofurtani obligati fuerint, æque ac Concilium Nicænum fecerit, ad diſtinguendum inter cultum ſimplicem religioſum atque inter cultum λατρείας, quoniam, licet rejecerint cultum imaginum, admiſerint tamen venerationem crucis ac reliquiarum. Tum *nona*, quæ ultima eſt, ad id pertinens, quod *P. Daniel* de cultu imaginum diſputavit, propoſitum ejus refutatur, quaſi Concilium Nicænum accuratam ſuppeditet explicationem diſtinctionis inter cultum religioſum, qui Sanctis, tamquam amicis divinis, exhibeatur, & inter cultum λατρείας, qui ſoli ſupremo Numini tanquam omnium rerum potentiſſimo arbitro,

bitro, domino, ac conditori, debeatur. Ad *poſtremam* deni-que Diſputationem quod attinet, ea pariter ex ſecunda origi-nem cepit, occaſione loci cujusdam *Maimburgiani*, in tracta-tione hiſtorica, de *Eccleſia Romana*, ubi *Calvinus* ſupinæ in Hiſtoria ſanctiore ignorantiæ poſcitur, qui quidem verboſius excuſatur, & diverſa capita Hiſtoriæ ſacræ exponuntur, præ-ſertim vero de Concilio quinto generali, in orbe terrarum tam famoſo, tractatur. In ipſa Præfatione Cel. Autor eruditiſſi-mas excurſiones, atque in diſputando adhibitam vehementiam, excuſat, ut & illuſtri Adverſario, aut aſſeclis ejus, rationem præ-ſcribit ſe defendendi, ſimulque Pontificiorum fraudes rete-gens, Epiſtolam *Miſſionarii* cujusdam, quo ſe nomine Autor Pontificius appellat, ad Nobilem quendam, de vera fide cœ-tus Pontificii, adverſus temerarias aliorum imputationes, quæ in Diario doctorum virorum (*Journal des Sçavans*) percenſita legi-tur, ad preces cœtus Anglicani publicas, male ab iſto homine corruptas, refutat, ut reliqua, notatu non indigna, compen-dii ergo taceamus.

OEUVRES MESLÉES DE M. ***, &c.

hoc eſt,

OPERA VARIA, AUTORE DOMINO ***, quæ continent Diſſertationem de fine, quem ſibi propo-ſuerit Virgilius Bucolica ſcribendo; Eclogarum illius in verſus Gallicos converſionem; aliam Diſſertationem de regulis Eclogæ; Paraphraſin metricam Pſalmorum Davidis, & Capitum quorundam e Proverbiis Salomonis; Epiſtolas, pedeſtri pariter ac ligata oratione conſcriptas; Conſiderationes morales, Odas quasdam, atque alia Car-mina; et tandem Tractationem de ratione eruditas conſcriptiones dijudicandi.

Pariſiis, apud Barrois, Nully, & Alix, 1732, 12.

Plag. 19.

Plura

Plura ſunt, quæ in elegantiſſimis iſtis Commentationibus notatu præſertim digna occurrunt, ſtrictim a nobis ac breviter enarranda. Primo quidem loco reperitur tractatio de fine Bucolicorum *Virgilii*, quem duplicem eſſe, evincitur, utilitatem ac delectationem. Utrumque verboſius exponit Autor, ſimulque, ad priorem quod attinet, objectionem ſibimet ipſe format, quod *Epicuri Maro* doctrinis addictus, ad ſolam quævis delectationem contulerit. Statim vero reſpondet, non adeo ſervilem iſtius magiſtri fuiſſe aſſeclam, ut non ſimul virtutem, & gloriam, morumque demum elegantiam, reſpexerit. Ad ordinem Eclogarum quod ſpectat, primo loco *Sileni* nomine conſpicuam ponendam eſſe exiſtimat. Fidem facit huic aſſerto tribus potiſſimum argumentis: initio nimirum hujus Poematis, quo illud ipſum perſpicue ſatis aſſeratur; porro quod ſe ac *Varum* commilitonem in ſchola *Sironis*, Philoſophi *Epicurei*, collocatos proponat; & tandem ipſo ſtilo, qui nondum genio paſtorali plane videatur conveniens, & ſublimitate ſua deficientem hac in forma exercitationem demonſtret. Nos facile induceremur ad argumentis iſtis nonnihil veriſimilitudinis tribuendum, ni finis *Georgicorum:*

Carmina paſtorum qui luſi audaxque juventa,
Tityre, te patulæ cecini ſub tegmine fagi;

et *Naſonis* illud:

Tityrus, & ſegetes, Æneiaque arma, legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit,

quippe ubi initium Eclogarum *Tityro* manifeſte ſatis tribuitur, obſtare viderentur. Sed ceteris etiam Noſter alium locum aſſignat; ſecundum quidem *Tityro*, tertium *Lycidæ*, quippe quam non niſi continuationem eſſe antecedentis arbitratur. Quartam Eclogam facit *Pollionem*, quam *Marcelli* nomine proponit, quippe cujus nativitas in alterum ſtatim annum, quo Bucolica ſcripſerit *Maro*, inciderit; proximam *Palemonis* titulo inſignem; hinc *Alexin* collocat, inde *Daphnin*, poſtea *Melibæum*: quippe quod illa diſcipulum invitet *Virgilius*, iſta formatum ſiſtat, hæc denique in duorum profectus inquirat, *Ce-*

betis nimirum atque *Alexandri*. Penultimum locum habet *Pharmaceutria*, & poſtremum denique *Gallus*. Nemo non videt, hunc etiam ordinem, ſi fundamenta reſpexeris, plus, ingenii, quam veritatis, habere. Quis enim eſt, qui ſibi perſuadeat e. g. *Alexin* a Poeta ad diſciplinam ſuam tot promiſſionibus, totque formæ ipſius deſcriptionibus, invitatum? Anne ardet diſcipulum magiſter? Ad ipſam vero interpretationem quod attinet, illa quidem bene ſe habet, ſed ita, ut habeat etiam nonnunquam Cl. Autor, cur veniam poſtulet; e. g. in *Tityro*, ubi *Melibœus* de Deo quæſiverat, *Tityrum* protegente, ille autem paſtor ruſtica ſimplicitate urbem loco Principis deſcripſerat, Interpres noſter caſtigat *Melibœum*, quaſi ſtulte neſciat, *Cæſarem* hic *Auguſtum* fuiſſe indicatum, ad quam ſane reſponſionem, quæ deinde ab ambobus diſputantur, minime quadrant. Poſt, ubi *Corydon* allicit *Alexin*, ex capreolis agnas facit, quod cum contextu haud leviter pugnat, atque ita etiam alibi ultra poeticam fingendi pariter ac mutandi licentiam nobis quidem progredi Noſter videtur. Quæ de Ecloga ſubjunguntur meditationes, rationem illius ac vitia eleganter demonſtrant, & cautiones de re pariter ac ſtilo minime negligendas ſuppeditant. Pſalmi, quorum poſthæc interpretatio poetica ſubjungitur, ſunt I, XCIV, CIX, CX, CXV, CXXVII, CLIII, ſi quidem numerum ineas ſecundum verſionem vulgatam; quos deinde quatuor priora Proverbiorum Capita excipiunt. Epiſtolarum privatarum ac familiarium ſunt numero XLIII, in quibus non pauca notatu digna inveniuntur, e. g. in Epiſtola XXIV conſilia dantur nobiliſſimæ cuidam matronæ de filio laudabiliter educando. Ubi, poſt cautiones, quæ ad magiſtrum curioſius exquirendum pertinent, quomodo & mens & animus formari debeat, præcipitur. Scilicet ex Autoris mente quatuor ejuſmodi puero, præter ea, quæ huic ætati ordinarie tradi ſolent, ſunt reſpicienda: principia religionis, atque accurata ſupremi Numinis cognitio; mythologia, ſive de falſis Diis profanarum gentium doctrina; Hiſtoria Romana; & tandem Hiſtoria recentior, patria inprimis, ea tamen lege, ne obruatur animus, ſed ut omnia inſtillentur potius, quam uno cun-

cta

Digitized by Google

cta tempore ac copioſe nimis infundantur. Comitantur iſtas Epiſtolas privatas publico nomine exaratæ, ſcilicet Gallorum Regis ad Hiſpanicum de morte Delphini ac ſororis, una cum Hiſpanici reſponſione. Porro ſuccedunt XL Obſervationes morales, acute atque eleganter prudentiam vitæ commendantes; Odæ, quibus victoria vitiorum in mortem *Bolæi* deſcribitur, & contra fortunam diſputatur, atque alia Poemata minora. Denique agmen claudit tractatio de judiciis in aliorum ſcripta ferendis, ubi maxime docetur, quod legitima objurgatio primum ſecreta, & tum demum publica, emendare laboret, poſtea vitia intempeſtivi judicii depromuntur, & legitimi regulæ traduntur. Ex his paucis allatis ſatis ſuperque erit manifeſtum, quantam ingenii atque eruditionis vim hic quaſi in compendio deprehendamus.

LE CYRUS MODERNE, OU DISCOURS SUR les moiens de rendre un Etat heureux & puiſſant, &c.

hoc eſt,

CYRUS ÆTATIS NOSTRÆ, SEU ORAtio de Modis, quibus Reſpublica & felix & valida redditur, recitata, cum erigeretur Cathedra nova Profeſſoris Oeconomiæ Halæ juſſu Regis Boruſſorum A. 1727, a JOANNE PETRO DE LUDEWIG, Cancellario Academiæ Halenſis, Conſiliario intimo & Regiminis Magdeburgici, Domini de Bendorff, Prez, Gatterſtadt, &c. in Gallicum converſa a GODOFREDO SELLIO, Conſiliario Aulico, Prof. Jur. O. & Philoſ. Sodali Academiæ Imperialis & Societatis Regiæ Londinenſis.

Hagæ Comitum, impenſis Adriani Mœtjens, 1737, 8. Plag. 17.

Qui ex Gottingenſi in Halenſem conceſſit Academiam Ill. *Sellius*, Collegæ novi, quem ſibi omni tempore amicum habuit,

Orationem Gallice reddidit, ipſe Gedani natus. Ill. *Jo. Petr. de*
Ludewig, Regi ſuo potentiſſimo ut probetur, nil facit reliqui;
Sellius autem ſtudet, ut Cancellario placeat ea, quam fecit,
interpretatio. Anſa Orationi nata fuit ex Profeſſione nova, Ha-
læ conſtituta, ſumma & argumentum ex exemplo *Cyri,* Per-
ſarum Regis, profluxit, qui, artem regnandi in exercitu de-
lecto & frugalitate ſibi ſubjectorum conſiſtere, exiſtimavit.
Oratio ipſa maximam partem eſt panegyrica, in qua Autor
virtutes ſuas ſubinde prædicavit. Romani, in ſolo exercitu
ſalutem ſuam eſſe ſitam, rati, tandem exteris ſubjacuerunt,
deſtituti prudentia œconomica. Miles ipſis *oſtenſionalis*
Pag. 11. cordi erat. Commercia negligebantur. *Columella* in Præfa-
tione ad Libros de re ruſtica eum Reipublicæ Romanæ nævum
haud diſſimulavit. *M. Terentius Varro, M. Cato,* & *Palla-*
37. *dius,* eorum imitator, de re ruſtica quidem ſcripſerunt; ſed
pauciſſimi ſtudia illorum magni fecerunt. Græci Imperato-
res, *Juſtiniano* poſteriores, nec milite delecto, nec pruden-
40. tia rei moderandæ œconomicæ, excelluerunt, quare ipſo-
rum potentia in dies minor & vilior fieri cœpit. *Henricus*
vero IV, Rex Galliarum, ſcientiæ utriusque fuit compos ac pe-
43 ſeq. ritus. Rex Boruſſorum potentiſſimus utroque adminiculo
51 ſeq. dudum præmunitus merito exiſtimatur. Miles ipſi eſt
& oſtenſionalis, & fortis, & perpetuus. Pueros generoſarum
ſtirpium curat recte educandos. Orbos ſeu orphanos 1200,
& quod excurrit, ſingulis quibusque diebus alimento animæ
corporisque nutriendos curat Potzdami. Pauperibus per pro-
vincias ipſi ſubjectas pie conſulit. Ergaſtulis eos coercet, qui
68. 70 laboribus & correctionibus a pravitatis libidine ſunt ſemoven-
ſeq. di. Hoſpitia publica fecit fieri, quibus milites emeriti ac
71. minus valentes curantur. Inſtituit Collegia Medicinæ, Chi-
73. rurgiæ, & ſanitatis tuendæ, præſtantiſſima, præcipue Berolini.
Inſpectiones corporum mortuorum, & anatomes ſtudia, ubique
80. per terras ejus eximie peraguntur ac exercentur. Colonis
84. novis Boruſſiam exornavit. Ipſe fovet defenditque artes &
ſcientias; pannificia & artem textoriam præclare evexit, ac
88. ubique ad perfectionis laudem adduxit; vetuit, ne quis lanam
rudem

rudem ad exteros exportet; interdixit ſuis lino & xylino Indico, immo ſuos juſſit vitra, & arma bellica, quantum uſus poſtulat, fabricari; nitrum & pulverem pyrium haud exquirit ab exteris, ſed ipſe parare ſuos jubet; munimenta urbium auget & promovet; controverſias, de limitibus regionum ſuarum exortas, dudum diremit; terras, uligine & paludibus obductas, uſibus culturæ aptavit: ſalibus provincias ſuas impertit propriis; conductiones prædiorum regalium optime determinavit; Collegiis juris dicundi aſſidere auditores, experientia imbuendos, juſſit; Jus commune ſuis præſcripſit; menſuras & pondera reduxit ad eandem normam; Dux Würtembergicus ſuo exemplo præierat; Rex potentiſſimus Boruſſorum porro ſervitia nobilium Vaſallorum equeſtria æſtimavit certo æris pretio, quotannis ſibi expendendo; tributa extraordinaria haud impoſuit ſuis; numos & antiquos & minutulos per terras ſibi ſubmiſſas ſuppreſſit; Collegia inſtituit ſupputantium rationes, quæ examinant tabulas accepti & expenſi conductorum, negotiatorum, publicanorum; Reſcriptis ipſe nomen ſuum ſubſignat; litibus controverſiisque, ab advocatis agitari pro aliis ſolitis, terminos modumque poſuit, patronosque cauſarum ad numerum determinatum reſtrinxit; ærarium ſuum optime conſtituit, atque citra gemitus ſuorum ditavit; ſolennium cerimonialium pompam ſuſtulit; tabulas geographicas, quibus provinciæ ipſius comprehenduntur, adornari juſſit accuratiſſimas, limitumque indices; operas ruſticorum tributarias & vecturarum publicarum onera aboluit; Collegia rerum bellicarum & fiſci domaniorum conjunxit, ut litibus mederetur, inter utraque exoriri ſolitis. Hiſce expoſitis, Autor ad telam pertexendam, exemplo auguſtiſſimo hactenus illuſtratam, redit. Adjungit nonnulla de rebus œconomicis, quarum in vitis Principum deſcribendis ratio utique ſit habenda. *Daniel Morhoſius* in *Polyh. Tom. III Lib. 3*, & *Chriſtianus Becmannus* in *Politica parallela Cap. X §. 10*, exoptaverant, ut Principes Collegia excolendæ rei œconomicæ & Profeſſores conſtituerent. Satisfecit Rex Potentiſſimus Boruſſorum huic pio deſiderio. *Ariſtotelis* Libri duo *Oeconomicorum* tam ſunt macilenti ac infœcun-

Pag. 89. 91. 95. 99. 102. 109. 119. 125. 145. 148. 152. 154. 159. 161. 167. 172. 175. 195.

Pag 197. fœcundi, ut *Averroes* in eos commentari operæ pretium haud exiſtimaverit. Exſtant tamen ex innumerabilibus libris deperditis bene multi, de Oeconomia ſalubriter ſcripti. *Flori-*
224. *ni Oeconomus prudens & legalis* congeſſit ea, quæ a peritioribus ſibi ſuppeditari ſtuduit. *Joannes Chriſtoph. Donaverus*
226. Oeconomiæ adjecit jura citra rationem. *Andreas Glorez* Oeconomiam a reliquis diſciplinis haud ſatis diſtinxit Melior
228. eſt *Wolfgangus Helmbard*, Baro *de Hohenberg*, qui ſcripſit *Georgica curioſa*. Principatum, Noſtri ſi ſtamus judicio, te-
229. net *Julius Bernhardus de Rohr*, cujus etiam exſtat *Bibliotheca*
231. *œconomica*. Tandem reſpondetur eis, qui libros œconomicos nullius penſi faciunt. Ne quis vero credat, Virum Illuſtrem *de Ludewig* de conſiliis ſuis, ſuis ſcriptis, & ſuis prædiis equeſtribus, nihil diſſeruiſſe, haud inconſultum fuerit, Lectores noſtros remittere ad *pag. 52, 105, 120, 134, 135, 215*, & *217*.

L'ORDINE DEL PROCEDERE NEI GIUDICJ civili del foro di Verona, &c.

h. e.

ORDO JUDICIORUM CIVILIUM VERONENſium, *Autore* DOMINICO MICHELI, *Advocato.*

Veronæ, typis Dionyſ. Ramanzini, 1733, 4.
Alph. 1 plag. 10.

Librum hunc typographus dicavit *Michaeli Burio*, Comiti, ejusque gentis ornamenta præcipua laudibus extulit. Autor in Præfatione inſtituti rationem paucis exponit, Opusque ſuum in *tres Partes* diſtribuit. *Prima* jurisdictionis varia genera tradit; in *altera* ordo litis tractandæ explicatur; *tertiam* denique occupant nonnullæ actiones atque exceptiones. Jurisdictio autem ei eſt triplex, tribunalium ſcilicet, officiorum, & feudorum. Tribunalia ſunt tria, *prætorium*, *præfectitium*, &
Pag. 2. 3. *rectoriale*. Prætorium primum & iterum cauſas poteſt cognoſcere, quod prima & ſecunda inſtantia præditum eſſe dicunt. Prima,

Digitized by Google

Prima, eaque ampliſſima, omnes pæne cauſas, alia ratione
non exceptas, capit, dummodo pretium centum librarum
Veronenſium excedant. Ad ſecundam inſtantiam provocatur
a ſententiis *palatii* & *vicariorum villarum*. In tribunali præ-
fectitio iterum duo fora deprehenduntur; alterum primum ju-
dicat de cauſis ſtatus politici, ut aquarum, ædificiorum, &c.
alterum, quod appellationis eſt, inquirit in ſententias judicis fiſca-
lis & quorundam vicariorum. Rectorialis itidem duæ dicun-
tur eſſe inſtantiæ. In prima agitantur lites ex contractibus or-
tæ; in ſecunda ii admittuntur, qui a *domo mercatorum*, & ab
Abbate S. *Zenonis*, provocant. Officiorum duo ſunt genera;
alterum Aſſeſſorum, quod continet *vicarium*, *gryphum*, &
reginam; alterum Conſulum, ex judicibus advocatis lectorum.
Præterea officiorum alia in palatio, e. g. quaſimaleficiorum,
S. *Georgii*, &c. alia extra palatium, exercentur, veluti domus Pag. 5.
mercatorum, cujus vicarius, Prætoris urbani elogio inſigni-
tus, primam in civitate dignitatem tuetur. Adſunt Prætori
Quatuorviri, Eques unus, & tres Conſules, quanquam eorum
ſuffragia ad cauſas decidendas non valeant. Neque vero mer-
catoribus ſolis, verum etiam artificibus, hoc forum patere, eo-
rumque archivum cuſtodire, jubetur. Extra palatium officiis 6 ſeq.
quoque præſunt Judex fiſcalis, Epiſcopus, Capitulum Canoni-
corum, Præſides rei ſericæ, &c. Inter hæc, quæ diximus, fo-
ra, nonnulla appellantur mixta, quæ, præter ſatisfactionem, 10.
pœnam pecuniariam exigunt. Horum alia ſua ſponte, ſive ex
officio, agunt; alia precibus alterius; alia utroque capite ni-
tuntur. Tribunal rectoriale mixtorum numero habetur in
cauſis uſurariis, ſi quis querelam moverit. Ejuſdem fori eſt
etiam *quaſimaleficium*, quod ſuam cuique poſſeſſionem con-
ſervat, ac damna, altero petente, vindicat. Damni æſtiman- 13.
di cauſa interdum in rem præſentem ire oportet, e. g.
in ſervitutibus inveſtigandis. Ad præſcriptionem itineris
40 annorum exercitium neceſſarium eſt; &, ſi quis fundum
ſuum adire nequeat, niſi per prædium alterius, hic ad ven-
dendam aliquam terræ partem, ut iter inſtitui poſſit, cogatur. 16.
Accedunt denique *Equites communitatis*, qui rebus ad victum

Digitized by Google

pertinentibus provident; *ducales*, quibus aquæductus curæ ſunt, & domus mercatorum; at hæc mixta fora inquirendo
Pag. 19. cauſas tractant. Judicibus annumerantur arbitri, qui ſunt vel neceſſarii, vel voluntarii. Neceſſarii inter conſanguineos usque ad ſextum gradum lites componunt, hac ratione electi: uterque litigantium 25 viros in ſchedula deſignet; ſi in duos eosdem incidunt, hi conſtituantur arbitri; ſi plane diſſentiunt, denuo uterque 25 nominet. Sin plurium nomina conveniant; ex illis duo vel arbitrio partium, vel ſorte, eligantur. Voluntario-
23. rum alii ſunt ex uſu Veronenſium, alii ex uſu Venetorum. Id privilegii tenet civitas Veronenſium, ut lites per conſilium prudentis, ex Doctorum collegio lecti, quem conſultorem vocant, poſſint decidi, dum ne lis ſit minor 10 libris Veronenſibus, nec perſonarum miſerabilium, nec exterorum, nec Patriciorum Venetorum, conſultore ante litis conteſtationem rogato. Ex tribus Doctoribus in ſchedis ſcriptis ille conſultor exiſtit, quem uterque litigantium petunt; ſi nullus utrique probatur, ex duobus unum ſors conſtituat. In tertia inſtantia tribus conſultoribus opus eſt. Ejusmodi vero Doctoris eſſe ſtatuitur, ut tres menſes poſt inceptam litem conſilium edat, ejusque rationes adjungat. Judices Veronæ delegare poſſunt, exceptis foris mixtis. In *Terra firma* ex ſingulari favore Principis delegationes conceduntur, ſi alter litigantium eſt potentior, ſi commoda judicis ordinarii ſubſunt, ſi denique diver-
29. ſæ jurisdictiones concurrunt. Judices alia viſione dividuntur in *extraneos* & *civitatis;* illi ſunt rectores, vicarius, maleficium, gryps, quaſimaleficium, & regina, nec per octiduum
32. ſub initium & finem officii judicare poſſunt. Sequitur expoſitio munerum advocatorum & cauſidicorum; illi cauſam diſputant veſtitu Doctoris induti, hi ordinant. Tandem diſſeritur de norma judicandi. Inſpicienda vero ſunt 1) Statuta municipalia, &, ubi his non adverſantur, Statuta domus mercatorum; 2) conſuetudines ſcriptæ & non ſcriptæ. Ad non ſcriptas pertinent uſus populares, qualis eſt venditio larvarum,
39. ad d 26 Decembris Veronæ reſtricta. Per eundem uſum poſt 24 horam cuicunque ſigna tabernarum mercatorum tollere, atque

Digitized by Google

atque in cauponam deferre, licet; caupo victum illi, qui inſigne affert, 6 libr. 4 ſol. conſtantem, parare, eosque nummos a tabernæ poſſeſſore petere, debet. Aliud exemplum præbet viduaticum. Scilicet tanto ſuperior ætas odio proſequebatur ſecundas nuptias, ut a viduis, ad altera vota tranſeuntibus, pueris ejusdem regionis mulctæ quaſi nomine centeſimam poſtulare liceret; quam ſi ſponte non exſolverent, illi turbas excitabant, immo adhuc excitare ſolent, quas *Baccinelle* dicunt; aut a judicio, quod ſibi debetur, petunt. In Gallia tumultus iſte vocabatur *charivari*, quem Concilium Turonenſe A. 1445 abrogavit. Ceterum non omnes conſuetudines legibus contrariæ rejiciendæ ſunt, cum leges nonnullæ fomenta malorum eſſe videantur. Exempla ſuppeditant Statuta Veronenſium. Iniquum erat, ut dotis cautionem validam non judicarent, niſi uxor a marito ſeparata fuiſſet. Fœminas honeſtiores de præmio curſus (*palio*) certare volebant contra decorum. Meretrices notam turpitudinis, *pigno lato* dictam, in veſtimento, lenones campanulam ſonoram in capite aut ſuper humeris, præ ſe ferre jubebant; aſt hæc omnia jam in deſuetudinem abierunt. 3) Auxilium præſtent Statuta Veneta, & 4) prudentia judicis, quæ interdum præſumtionibus, re periculoſa, nititur. In *Parte ſecunda* diſtinctius exponitur ordo judiciorum, qui quatuor partibus conſtat: *inchoativa*, citationem & actionem continente; *præparatoria*, ad quam referuntur legitimatio, ſcriptorum exhibitio, & litis conteſtatio; *perſecutoria*, quæ profert probationes, exceptiones, replicationes, &c. & *conſummativa*, cujus negotia ſunt ſententiæ latio & executio. Judicium non incipit a citatione, ſed a tempore, quo quis primum comparuit. Uxores non poſſunt ſtare in judicio, niſi maritus adſit; nec minores 25 annis, niſi *optimati*, h. e. venia ætatis muniti, fuerint. Exhibito libello, progrediendum eſt ad probationes. Poſitiones ſint certæ, & ad cauſam pertinentes; ſi negentur, reducantur in unum vel plura capitula, quæ magis neceſſaria ſunt, quam poſitiones. Ad ſingula capitula plura quam quatuor interrogatoria ne ſtruantur. Si lis 10 aureos excedat, duobus teſtibus maribus, aut

Margin: Pag. 49. (beside "riculoſa, nititur. In Parte ſecunda…"); 56. (beside "quo quis primum comparuit…"); 68. (beside "grediendum eſt ad probationes…"); 74. (beside "ra capitula, quæ magis…")

Digitized by Google

tribus fœminis, opus eſt; ſin vero minoris æſtimetur, aut ſi de mer-
Pag. 80. cede ſoluta controverſia oriatur, unico teſti fides habetur. Inter actus, cauſam finientes, referuntur *deputatio*, ſive decretum, quo litigantibus dies diſputationis præfigitur; *relaxatio*, qua partes litem finiri debere ſignificant, & *admonitio*, ad ſententiam audiendam. Generatim notetur, terminum ordinarium
84. eſſe triduum. Victori debentur expenſæ, etiamſi ſententia de iis non loquatur. Cauſidicus dimidiam partem mercedis Advocati accipit. Si ſententia in altero foro reformatur, appel-
92. lare licet ad *Auditorem novum*, ad quem omnes pertinent appellationes *Terræ firmæ*; ſin confirmatur, neque appellatio permittitur. Prohibitum eſt, ab actibus voluntariis, ſententiis interlocutoriis, arbitrorum, turbatæ poſſeſſionis, pretium 10 librarum non ſuperantibus, &c. provocare. Terminus appellationis in domo mercatorum ad triduum reſtrictus eſt. In executione pignoris loco boves & inſtrumenta ruſtica capi non poſ-
98. ſunt. Poſthæc latius exponuntur ea, quæ in ſubhaſtatione notanda ſunt. Beneficium *novi deductus* conceditur, ſi novæ
104. chartæ repertæ fuerint. *Regreſſus* datur, ſi quis ad evictionem præſtandam obſtrictus eſt. *Partis tertiæ* initia oſtendunt varios modos, quibus nominum ſecuritati conſuli ſolet. Privi-
110. legium *notificationis* præfert creditorem notificantem aliis non notificantibus, licet tempore prioribus. Hujusmodi vero notificatio, ad ſolas res immobiles reducta, *officio notificationum* exhiberi debet, ut ex ea omnis contractus indoles perſpiciatur. Nam a notificatione immunia ſunt nomina publica, dos ratione mariti, proprietaria jura, & fideicommiſſa. Obſignatio & ſequeſtratio præferunt creditores primum ſignantes aliis, hoc beneficio non utentibus, in re mobili. Ex præſcripto Statutorum citatio debitoris præcedere debet; id vero praxis non obſervat; at intra menſem adverſus debitorem actionem inſti-
115. tui jubet. Executio, perſonalis dicta, non decernitur ob nomina communitatis vel alea contracta, neque contra parentes. Ex carcere debitor non liberatur, niſi ignominiam *fori veteris*
120. ſubire velit. Sigillatim docetur, quomodo dotem ſecuram reddi oporteat. Vidua, præter dotem, veſtitum vidua dignum

Digitized by Google

gnum & annulum pronubum accipit; neque ex domo deſun-
cti mariti poteſt ejici, ſi vel filiorum nepotumve cuſtodiam ſu-
ſcipiat, vel votum perpetuæ viduitatis edat. Ratione hæredi-
tatis ſecuritatem præſtat beneficium legis & inventarii; unde Pag. 130.
occaſio ſuggeritur, explicate differendi de hæreditate jacente,
teſtamentis, codicillis, ſchedulis, legatis, fideicommiſſis, & de 141.
ſucceſſione ab inteſtato, quam Autor in libro ſingulari A.
1732 expoſuit. Apprehenſionis bonorum tria capita com-
memorantur: 1) propter canonem (*livello*) non ſolutum; 161.
2) irrequiſito domino; 3) ob executionem rei judicatæ.
Plura alia de locatione conductione in medium proferuntur,
quæ ſequitur Caput de *depoſitis in monte*, præter pecuniam, ni- 166.
hil recipientibus. Tria eorum genera producuntur: cenſua-
ria, pro quibus mons fructus porrigit; voluntaria, quæ quan- 171.
docunque revocari poſſunt; & neceſſaria, jubente judice, vel
ſatisdationis gratia, exhibita. Poſthæc loquitur Autor de jure
retractus, de fraterna ſocietate poſt mortem patris, de deci-
mis, & de diviſione partis ruſticæ. Proventus vero ruſtico-
rum exſtantes ita dividuntur, ut mares 14 annorum dimidiam 177.
partem portionis capiant, 18 annis majoribus debitæ; fœminæ
contra 12 annorum dimidia portionis filiorum 14 annorum; 195.
& majores 18 annis dimidia portionis marium ejusdem ætatis
contentæ eſſe jubeantur. Explanatur denique natura contra-
ctuum, inſtrumentorum, & præſcriptionum; finemque libro
imponit breve Gloſſarium vocum quarundam obſcuriorum, in
Statutis Veronenſibus obviarum, cum Indice rerum. Ceterum
Statutorum loca, tum recentiorum, tum antiquiorum, juſto loco
excitavit Autor, quæ maximam partem cum Jure Romano 198.
conveniunt. Inter ea Conſtitutio quædam, A. 1313 publicata,
vetuſtiſſima videtur. Accurate monſtravit Autor in ſingulis capi-
tibus, quid abrogatum ſit, quid uſu vigeat; hinc nemo dubi-
tabit, quin liber hic ad fora Veronenſia ſit accommoda-
tiſſimus.

TRIBUNAL REFORMATUM, IN QUO ſanioris & tutioris juſtitiæ via Judici Chriſtiano in Pro-

Digitized by Google

ceſſu Criminali commonſtratur, rejecta & fugata Tortura, cujus iniquitatem, multiplicem fallaciam, atque illicitum inter Chriſtianos uſum, libera & neceſſaria Diſſertatione aperuit JOANNES GREVIUS, Clivenſis, quam captivus ſcripſit in ergaſtulo Amſterodamenſi, ob raritatem, elegantiam, & varium uſum, recuſa, accurante JO. GEORG. PERTSCH, JCto.

Guelpherbyti, ſumtibus Jo. Chriſtophori Meiſneri, 1738, 8.
Alph. 1 plag. 17.

Qui de re literaria, inprimis Hiſtoria Eccleſiaſtica, Jure Canonico, & omni Jurisprudentia, præclare meruit meretque, Vir Celeberrimus, *Joannes Georgius Pertſchius*, librum *Joannis Grevii*, ad lites criminales imminuendas compoſitum, jam dudum raritate ſua commendabilem, in manus oculosque hominum e ſilentio tenebriſque revocandum bonis avibus ſuſcepit. Quem in finem Præfationis loco de modo illo moleſto, quo veritas per tormenta exprimitur, de utilitate Opuſculi, de fato Autoris libellique, nec non de judiciis eruditorum, in eum latis, eleganter & digne diſſeruit. Scripturæ genus, quo *Grevius* eſt uſus, eſt ſatis comtum, compoſitum, & procurrens, ſed non infrequenter impurum, minusque terſum. Utilitas libelli in eo conſiſtit, ut ii, qui cauſas in foro criminali perorant, & jus dicunt, diſcant, quantopere vacillent illa indicia, quæ ex communi opinione ad quæſtionem habendam, & tormenta adhibenda, ſufficere exiſtimantur. Id tamen inficiari non poſſumus, *Grevium* plerumque Oratorem magis agere, quam Philoſophum & Jureconſultum. Nec præterit notitiam noſtram, *Paradoxon*, quod *Jacobus Schallerus*, Th. D. & Prof. Phil. Pract. Argentoratenſis, *de Tortura in Chriſtiana republica non exercenda* propoſuit, annexum fuiſſe *Auguſtini Nicolai*, JCti Verontini, & Conſiliarii Regis Galliarum, ac in ſupremo Sequanorum Senatu ordinario ſupplicum libellorum magiſtri, Tractatui: *An quæſtione per tormenta criminum veritas elucescat?* Argentorati

Digitized by Google

rati A. 1697, 8, edito. *Gribnerus* noſter in Diſſ. *de Repetitione tormentorum, confeſſo inficiante, Opuſculor. Tom. V pag. 120*, ſcribit: *paſſim hujus Opuſculi videas mentionem*, (*Greviani* puta) *rariſſimum tamen eſt, neque id nobis contigit videre. Chriſtianus Thomaſius* in Epiſtola, adjecta *Diſſertationi de Tortura ex foris Chriſtianorum proſcribenda*, opinatur, *Antonium Matthæi*, Jureconſultum Belgam, in *Tract. de Criminibus*, ad Titulum *de Quæſtionibus*, contra torturam variis argumentis diſputaſſe, quæ ex *Grevio*, licet ipſe eum haud nominet, deſumſerit. *Schallerum* ex eodem *Grevio* ſitim & arva rigaſſe, ſuſpicamur. Qua de cauſa operæ pretium fecit Ill. Editor, qui *Grevium* in communem notitiam perduxit. *Grevius* Eccleſiaſten egit Heudenæ, celebri urbe Hollandiæ auſtralis, Cliviæ natus, gaviſus præceptore *Conrado Vorſtio*. Eo quod Synodi Dordracenæ decretis ſtare, eisque ſubſcribere, recuſabat, A. 1619 dimiſſus & exilii pœna affectus fuit. Abiit itaque Embricam, Cliviæ oppidum, ac inde clanculum excucurrit ad incolas Campii, Arminianas doctrinas diſſeminaturus. Hanc ob cauſam interceptus atque captivus Hagam abductus fuit, ibidemque in publico carcere per ſemeſtre circiter detentus, *poſt longum & varium examen*, per quod nonnulli *torturam* quoque intelligunt, in ergaſtulum Amſtelodamenſe perpetuum eſt detruſus. Evaſit tamen ex munitiſſimis ergaſtuli anguſtiis, induſtria & fide amicorum. Opuſculum, in carcere quod ſcribere cœperat, in libertatem aſſertus expolivit, eo quidem fine, ut *patrocinium famæ ſuæ pararet*, quemadmodum in Præfatione commemoravit ſub finem. Probabilis itaque eſt ſententia *Jac. Frid. Ludovici*, exiſtimantis, *Grevium* tormenta omnino ſuſtinuiſſe. Reliqua apud *P. Baylium* & *Georg. Brantium* in *Hiſtoria Reformationis Lib. 50* & *55* ſunt evolvenda. Noſtrum vero eſt, Ill. Editori ampliſſimas pro Opuſculi denuo editi opera gratias publico nomine agere & habere.

JOANNIS HUMMELII, MED. DOCT Commentatio de Arthritide, tom tartarea, quam ſcorbutico,

tica, ſeu, ut vulgo dicunt, Podagra atque Scorbuto. Acceſſit ejusdem Topiarium-Hermetico-Chemicum recluſum, magni momenti experimentis refertum.

Budingæ, apud Jo. Chriſtoph. Stœhr, 1738, 8.
Plag. 10.

Fuit hic libellus Diſſertatio quondam inauguralis doctiſſimi Autoris, poſtquam a ſacro, quod in Reformata Solingenſium Eccleſia per aliquot annos obierat, munere remotus, ad Medicinam, quam jam olim impenſius fere, quam Theologiam, amaverat, & cujus fundamenta in privatis Cel. *Nebelii*, Heidelbergenſis Medici, ſcholis jecerat, excolendam magis exercendamque ſe recepit. Multum ſe etiam in rebus Medicis Chemicisque debere ait *Dippelio*, cujus & ſcribendi genus prorſus imitatur. Præcipue Medicos, qui *Stahlianis* placitis adhæreſcunt, acriter ubique perſtringit & caſtigat, eodem fere modo, quo ex illis nonnulli, ſuæ ſectæ hypotheſibus nimium confiſi, Medicos diſſentientes, & maxime quidem Mechanicos, contemtiſſimorum abjectiſſimorumque verborum plauſtris onerare propemodum conſueverunt. Neque tamen inter Mechanicos Autor ſuum profitetur nomen, imo in iis, quæ ad animæ imperium in corpus attinent, prorſus cum *Stahliana* ſchola conſentit. Podagram derivat a muco & pituita ſpiſſa, in ſanguine & reliquis corporis noſtri humoribus collecta, quam dum ſeponere, atque expellere, conatur natura, hic atque illic motus ſpaſticos excitat. Occaſionem malo dare contendit Venerem & Bacchum. Iram vero non tam materiam iſtam parere, quam potius jam collectam movere, atque hinc paroxyſmum celerius arceſſere, atque augere. Verum atque optimum ejus remedium eſſe in victu tenui, & inprimis aquæ potu, moderatoque omnium rerum uſu, quærendum, neque hic venæſectionem, pulveres nitratos antiſpaſmodicos, & pilulas balſamicas, quidquam valere; iis vero, qui, rejecta iſta victus vivendique ratione, gulæ ſuæ venerique indulgent, medelam eſſe ferendam, ut coagulum &

materia

Digitized by Google

materia podagrica ſolvatur, & eliminetur, quod optime fit per oleum vitrioli, itemque tincturam quandam balſamicam, & alcalia volatilia; exhauſti ſpiritus victu evpepto, humectante, & nutriente, inſtaurentur; & denique ægrotus convaleſcens in ſtatu recuperatæ jam ſanitatis, vitato vini, venerisque, & aliarum rerum minus ſalubrium, uſu, & adhibitis per vices menſtruas aliquot elixiris polychreſti doſibus, conſervetur. Ad arthritidem vagam & ſcorbuticam, ſive ſcorbutum ipſum, altera Parte progreſſus, originem ejus cauſasque prorſus huc usque fuiſſe ignotas, pronuntiat. Quandoquidem vero ſanguinem ex ſale volatili, acido, oleo, & aqua, componi arbitratur, omnem hujus morbi culpam in defectum acidi rejicit, eundemque ex nimia ſalſugine ortum. Ipſam vero ſalſuginem ad cibos ſale, pipere, aliisque Orientis aromatibus, conditos, cereviſiam craſſam, ſpiritusque ardentes, refert, utpote quæ victus ratio locis ſeptentrionalibus, nautisque in ſua navigatione, familiaris ſit. Ita vero omnia conjunctis veluti viribus conveniunt, quæ acidum & fermentum ventriculi deſtruere, maſſam ſanguineam corrumpere, vinculum ſuorum principiorum, acidum ſcilicet, tollere, ſalſedine nimia, & fixa quidem, lympham ejus replere, volatilem vero, jam ſui factam juris, &, acido ceſſante, non, ut natura exigit, amplius implicitam, aucto per ſpiritus ardentes & aromata calore, expellere, atque ita toti machinæ pretioſam ſuam ſupellectilem, ſpiritus nimirum, ſubducere, valent. In morbi curatione id agendum eſt, ut, remotis iis, unde ſuam habet originem, contraria ſubſtituantur. Ex medicamentis autem congruunt, quæ reſtituunt acidum, herbæ recentes acidæ, fructus acidi, atque, loco herbarum acrium & volatili ſale abundantium, ipſum ſal volatile ex regno animali per Chemiam paratum, ſpiritusque, ut vocantur, urinoſi, vino Rhenano, vel alio, ſoluti, dilutique. Omnium vero remediorum in hoc morbo caput & compendium cognominat acidum vitrioli, domando illi maxime oportunum. Accedit ſub finem experimentum medico-diæteticum ſingulare, quo, viginti dierum, vel trium hebdomadum, ſpatio, homo macilentus, cetera

tamen ſanus, & integris cumprimis reſpirationis organis præditus, beneficio ſpiritus cujusdam & pauci panis triticei bis coſti, in tantum ſui corporis mole augetur, ut pro menſura ſtaturæ & dimenſione ſceleti 60, 70, 80, imo 100, librarum incrementum capiat, licet toto hoc temporis tractu non niſi 7 libræ cibi potusque ſimul computatorum aſſumantur. Debetur hæc methodus Medico cuidam Amſtelodamenſi, *Bronckio*, Noſterque eam a *Dippelio* accepit. Multos is Medicus feliciter ſaginavit; ipſe autem, poſtquam nimia ex curioſitate remedii illius uſui ultra tres hebdomades inſtiterat, pinguedine tandem ſuffocatus periit. Spiritus ille paratur ex quatuor ſeminibus majoribus, totidemque minoribus calidis, ad uncias duas æqualiter ſumtis, herbarum ſiccarum, meliſſæ ſalviæ, roris marini, & lavendulæ duabus itidem æqualiter unciis, quibus omnibus, prius inciſis, contuſisque, & inter ſe mixtis, affunduntur gtt. viij ſpiritus vini rectificati, ac in balneo deſtillatur, quicquid ſpirituoſi adſcendere poteſt, idque denuo de novis ſpeciebus avocatur. Inde fit ſpiritus vini, oleo volatili harum ſpecierum calidarum ſatis gravidus. Modum autem eo utendi, totiusque medicationis, hic repetere, nimis longum foret. Autor vero illum proponit, tum ut inde evincat, incrementi nutritionisque cauſam materialem eſſe materiam maxime ſubtilem, & ab omni fœculentia ſeparatam, ſive, ut vocat, ſpiritus ipſos, tum ut alii ad experimentum hoc in uſum generis humani, quod homines ad eum pinguedinis gradum evecti non admodum fame ſitive urgentur, magis excolendum incitentur. In Topiario Hermetico-Chemico recluſo multa itidem experimenta nova atque rara, vera tamen, ut ipſemet aſſeverat, ad uſus Alchemicos præcipue comparata, expromit. Primum pertinet ad materiam quandam pituitoſam, viſcoſam, albam, aliquando nive candidiorem, aliquando ſubrubro, ſanguinis inſtar, colore per ſtrias conſperſam, aliquando ſpurcam penitus, & ad nauſeam contaminatam; quæ de cœlo delabatur, atque inter meteora non ultimum locum teneat, & a Weſtphalis Lieverſee appelletur. Materiam hanc, quam Alchemicorum ſtilo univerſalem credidit,

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum omnes ſuas qualitates & forma & figura propendere aliquando vidit ex corpuſculo animalculi quadrupedis, frigore hiulco, atque ejusmodi animalcula, velut meteora, excuti a nubibus, & præcipue quatuor his menſibus, Novembre, Decembre, Januario, & Februario, noctu potiſſimum, vento zephyro aquiloni juncto, nimbisque grandine & nive commiſtis, decidere, & igneo quodam micare ſplendore, certisque tantum & fixis locis reperiri, & lacus præcipue amare, verum non omnes, ſed maxime quercubus circumdatos, & ab his obumbratos, arbitratur. Reliqua experimenta inſtituit cum antimonio, ſulphure, vitriolo, metallisque perfectis; ubi copioſiſſime de Mercurio agit, quem longis & conceptis precibus obteſtatur, ut ſibi interiorem ſuam formam & fixitatem intuendi veniam concedat, ad quæ omnia Lectorem earum rerum cupidum remittimus. Quamvis enim Autor argumentum de Podagra & Scorbuto non adeo diligenter accurateque tractaverit, nec ordo ejus, ſtilique ratio, multo minus acerbiores locutiones, nobis placeant, multas tamen ineſſe libello obſervationes non omnino contemnendas, cuilibet inſpicienti patet.

DESCRIPTION DE LA CATHEDRALE de Strasbourg, &c.

h. e.

DESCRIPTIO BASILICÆ CATHEDRALIS Argentoratenſis, ex optimis Autoribus, qui eam ſcribendo attigerunt, collecta.

Argentorati, impenſis Jo. Dan. Dulſeckeri, filii, 1737, 4.
Plag. 3.

Baſilicam illam Argentoratenſem Europæ eſſe ſpectaculum, turre altiſſima præclarum, haud facile quis ignorat. Vocatur vulgo *Münſter*, id eſt, *Monaſterium*, eo quod Clerici, Eccleſiæ illi adſtricti, usque ad A. 1031 in communione, ac regulæ cuidam convenienter, vixere. Regnante *Henrico II* eos evaſiſſe ſeveriorem vitæ cultum, Canonicorumque ſecularium li-

 bertati

bertati nomen dediſſe, tradunt, Ædis illius initia latent in obſcuro. Epiſcopos primos definivit nemo. Conjecturis res ſolet agi. Exiſtimant vulgo, *Sitmandum*, qui Seculo VII floruit, primum Argentorati Epiſcopum exſtitiſſe. Sed rectius ab *Arbogaſto* primordia deducuntur, cui *Flores* ſucceſſit. *Dagobertus II* reditibus perpetuis donavit Epiſcopale templum, *Arbogaſto* ætate ſuppar. Canonici Cathedrales jam olim viros
Pag. 5. ſibi tantum adſciverunt primariæ nobilitatis, quam ipſam conſuetudinem videmus confirmatam *Cap. Venerabilis X de Præbendis*. *Carolus Magnus* Epiſcopos Argentoratenſes, qui antea neminis ephoriæ erant obnoxii, Archiepiſcopo Moguntino ſubjecit. Poſteri, e *Chlodevæo* orti, ruderibus Argentorati veteris inædificarunt urbem novam *Strateburg*, & templum minus inſigne. Ad annum 1015 *Wernerus*, Epiſcopus, fundamentum
7. vetus eruendum curavit, profundiusque jecit. *Henricus II*, Rex, eodem accedens, liberalitatem ſuam effuſam piamque prodigalitatem ad illud ipſum templum ornatius reddendum applicavit. A. 1028 ad tecti ima ædificatio proceſſit, ſimulque *Wernerus* debitum reddidit naturæ. Coronis fabricationi
8 A. 1275 demum fuit impoſita. Lentius inceſſerat deſtinatio tanta, eo quod ſubſtructioni recenti incendia A. 1130, 1140, 1150, & 1177, erant exitioſa. Seculo XIII magiſtratus Argentorati numos, qui quotannis *ad fabricam templi*, ſeu reficiendam Baſilicam, redibant, accepit expenſos ea lege, ut ædificia ejus curarent. Turrim cœpit ſtruere prodigioſam, Baſilicæ impoſitam, Epiſcopus *Conradus* Lichtenbergenſis, archite-
9. cto *Erwino de Steinbach*, quem mors A. 1318 abſtulit. *Erwini* defuncti in locum & munia ſurrogatus eſt *Joannes*, A. 1339 defunctus, cui porro in opere turris exſtruendo ſucceſſit *Joannes Hiltzen*, Colonienſis, ac hinc quidam Suevus. *Erwini* filia, *Sabina*, ſacrario S. Mariæ ex parte animum manusque admovit, unde factum eſt, ut in duobus hexametris, in ſaxum ibi inciſis, memoria ejus perennet. A. 1298, incendio opus af-
12. fabre cœptum paſſim accepit detrimenta. *Virgo triſtis* ex Bohemia fuit allata, ac A. 1404 ſolenniſſime in Baſilica collocata, A. 1525 vero inde ablata. A. 1439 die *Joannis* crux

Digitized by Google

crux cum pulchra Deiparæ *Mariæ* figura fuit apici impoſita, cui ſucceſſit effigies illa, quæ hodieque ibi exſtat. Turris altitudo eſt 594 pedum Rhen. Mirabilis videtur ejus duratio, Pag. 13.
quippe quam ne quidem terræ motus, A. 1728 factus, ſuo loco agitavit. Primus in Baſilica concionator ſacer exſtitit A. 1478 *Geylerus*, Keyſersbergæ natus, cujus in gratiam *Wilhelmus*, Epiſcopus, A. 1486 ſuggeſtum, præclariſſimum ſane, conſtituendum in medio templo curavit. Horologii, quod exſtat, A. 1571 a *Conrado Daſipodio*, Mathematico famoſo, 15.
inventa fuit ratio. Illud ipſum A. 1574 numeris abſolutum fuit cunctis. Multiplex in eo ars cum ornamentis videtur certare. Tantæ molis erat, Cathedralem condere talem!

Geographiſche und Hiſtoriſche Merckwürdigkeiten des Ober-Hartzes, &c.

hoc eſt,

GEOGRAPHICA ET HISTORICA HERCINIÆ ſuperioris memorabilia, quibus exponuntur ea, quæ in locis Hercinicis Principatus Grubenhagici, Comitatibus Hohenſtein & Stolberg, urbe imperiali Goslaria, nec non in nonnullis confinibus oris, earumque oppidis, vicis, caſtris, monaſteriis priſtinis, vetuſtis ac exeſis ædificiis, fodinis metallicis, montibus, ſpecubus, fluviis, lacubus, fontibus Hygiænes, machinisque metallurgicis, ſpectatu digna exſtant; Autore JULIO BERNHARDO DE ROHR.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Michaelis Blochbergeri, 1739, 8. Alph. 1 plag. 14.

Fidem, quam publice dederat, Generoſiſſimus Autor oportune præſtitit, edita tandem *Parte altera*, qua tractus Hercinicus inſigni perfunditur luce. Id unum præfiſcini in Præfatione indicat, ſeſe ab eis ſcribendis abſtinuiſſe, quæ

 ulli

Digitized by Google

ulli mortalium jure diſplicitura, vel minus futura grata, exiſtimaverit. Uſus libri in eo conſiſtit, ut ii, qui Herciniam haud ſalutarunt, domi noſſe poſſint potiora tractus montani momenta; ceteri vero, qui eam luſtrare apud animum habent conſtitutum, præparati veniant, mediocriter jam gnari rerum, quas juga montium Hercinicorum præbent viſendas. De Principatu Berenburgenſi ac Northuſa ipſe *Parte* jam *priori* expoſuerat. Quæ vero omiſerat intacta, vel minus plene ediſſeruerat de utroque tractu, jam ſupplet. Multa ex obſervationibus propriis addidicit; multa etiam ab aliis accepit. Iter inchoavit Berenburgi, fontem ſalubrem Atzenſchwenderenſem prædicatione copioſa nobilitavit, Stolbergenſem Comitatum peragravit, proceſſit per Comitatum Hohnſteinenſem, inviſit Northuſam, ac rei mineralis, lapideæ cumprimis, peritiſſimum Eccleſiaſten Frauenbergenſis templi, Rev. *Leſſerum*, acceſſit, profectionem proſecutus per Herciniam ſuperiorem, eamque finivit Goslariæ, veluti termino itineris. Inprimis placent metallurgica. Moneri quidem poteſt, ſermonem, metalli foſſoribus fuſoribusque conſuetum, haud ubique ſervatum fuiſſe; at res eſt ſalva, ſiquidem liber non in horum, ſed aliorum, gratiam potiſſime fuit concinnatus. Adjutores operæ collaudat *Riedelium*, Ilefeldenſis ſcholæ Prorectorem, nuper defunctum, *Albertum Ritterum*, ibidem Conrectorem, Eccleſiaſten Northuſanum *Fridericum Chriſtianum Leſſerum*, nunquam ſine laude prædicandum, ac par nobile fratrum Goslarienſium, *Trumphios*, Doctorem & Eccleſiaſten. Si vixiſſe ei diutius licuerit, loco Supplementi edet ſucceſſu temporis *tertiam Partem*. Gratulamur Autori laborem, huc usque fideliter & glorioſe exantlatum. Ut autem ſpeciatim ſignificemus, quid *Parte* hac fuerit expoſitum, ſupervacuum haud videtur, monuiſſe, librum conſtare *Sectionibus octo*. *Prima* agitur de Principatu Berenburgenſi ac Hartzgerodenſi, *ſecunda* de Comitatus Stolbergenſis locis rebusque naturalibus, nominatim de Rosla, de ſpecu Steyerthalenſi & Uffterungenſi, de præfecturis Stolbergicis Hahne & Rothleberode, de monte Uhrberge ad Stolbergam, de caſtro ac præfectura Queſtenburg,

burg, de naturalibus rebus ad illud inveniri ſolitis, de caſtelli Hohnſtein ruderibus. *Sectione tertia* exponitur de urbe imperiali Northuſa, & petrefactis lapidibusque figuratis, ad eam obviis. Quæ in Muſeo *Leſſeri* conſpectui ſeſe offerunt, generatim percenſentur. *Sectione quarta*, diſſeritur de Comitatu Hohnſteinenſi, ejus priſcis Comitibus, de Klettenberga, præfectura Lohra, de eccleſia Elendenſi, de oppido Bleicherode, de urbe Elrich, & de vico Sachſe. *Sectione quinta* agitur de Cœnobio Walckenredenſi, ac curioſioribus corporibus mineralibus, juxta illud obviis. *Sectione ſexta* diſſeritur de Hercinia ſuperiori, metallurgicis rebus, de Andreæmontano oppido, de urbe Altenau, de caſtro Hartzburg, de ſalinis Julii, de Lutterberga, de caſtro permunito Schartsfels, de caſtro & oppido Hertzberg, de oppido Oſterode, de vico Gittelde, de Stauffenburgo, oppidis Grunde, Clausthal, Cellerfelde, præfectis rerum metallicarum ac lignariarum, aliisque officiorum adminiſtris. *Sectione ſeptima* inſtituitur expoſitio de Goslaria, foſſilibus Goslarienſibus, ac propinquo Cœnobio Grauhof. *Sectio octava* inſervit percenſendis machinis metallurgicis, quibus metalla e cavernis eruuntur, extrahuntur, comminuuntur, expurgantur, liquantur, emundantur, explorantur, & in formas numorum adiguntur, ne quid dicamus de molendinis varii generis ac furnis, quibus calx ſolet parari & excoqui. Jucunda ſunt ea, quibus recenſentur τȣ̃ πάνυ *G. G. Leibnitii* deſtinationes, fodinis metallicis ab aquarum copia liberandis accommodatæ. Jucundior autem ratio illa univerſa, qua nitrum ſulphurque purgandum, pulvis pyrius conficiendus & explorandus, metalla tractanda, ignibusque per varios caſus & tot diſcrimina rerum ad puritatem redigenda. Recentiora, quæ ad machinas attinent, ex *Leupoldo* ac *Lehmanno*, quorum nomina Lipſiam illuſtrant, ſunt deſumta. Figuræ in æs inciſæ deſunt libro, eamque ob cauſam multa metallurgiæ momenta iis, qui eam haud ipſi tractant, manent obſcura & incomperta. Sed hoc incommodum multiplici rerum amœniſſimarum recenſione compenſatur.

Pag. 79 ſeq.

497 ſeq.

LOTHA-

Digitized by Google

LOTHARINGIA BELLIFERA OLIM, nunc pacifera, Autore JO. HENR. SCHRODT, Gymn. Martin. Brunſu. Rectore.

Brunſuigæ, typis Arnoldi Jacobi Keitel, 1739, 4.
Plag. 2.

Lotharingia, a *Lothario*, *Lotharii* Imperatoris filio, ſic appellata, nunquam non inde a *Lotharii I* Imperatoris ævo inter Germaniæ Galliæque Reges exſtitit Eridos pomum, donec A. 1735 ea *Stanislao*, bis renuntiato Poloniarum Regi, ſed renuntiato tantum, in omne vitæ tempus tradita, ejusque poſt mortem regno Galliæ æternum inſerenda viſa fuit. Cl. Autor omnem Lotharingiæ hiſtoriam ſuccincte diſtincteque ad noſtram usque ætatem expoſuit in nuce, ita tamen, ut Secula priora tria ſuæ in diligentiæ partes potiſſimum devocarit, uſus inprimis *Gundlingianis*, Autore libri *Defence de la Lorraine*, Cel. *Maſcovii* Diſſ. *de Nexu Lotharingiæ regni cum Imperio Romano-Germanico*, aliisque præſtantiſſimi commatis hiſtoriæ magiſtris. Quam vellemus, deductam hanc eſſe per ſingulos articulos Commentationem, ſuisque numeris abſolutam! Hæc enim promulſis ſalivam movet juſti libri, quo hiſtoria Lotharingiæ dominorum, rariſſimum ſane ferculum, eſt in lucem proferenda. Ne vero nihil ex dapibus appoſitis delibaſſe videamur, notabimus & unum & alterum momentum. Autor *Ludovici II* Imperatoris uxorem *Angelbergam* vocat §. 2 *Ludovici* Germanici filiam. Ut fidem enuntiato huic faciat, rogamus eum ſtudioſe. Nobis enim, præter *Carolomannum*, *Ludovicum*, Franciæ Orientalis Regem, ac *Carolum Craſſum*, haud innotuit ulla *Ludovici Germanici* proles. Præterea idem §. 6 applaudit *Nic. Hier. Gundlingio* ac *Jo. Ge. Eccardo*, qui, in libello, cui Germanica eſt inſcriptio: *de Reineke Voſs*, Comitem *Raginerium*, cujus ope callidiſſima *Ludovicus Infans*, Germaniæ Rex, Lotharingiæ ditionem ſuſcepit, repræſentatum fuiſſe, fuerunt ſuſpicati. Liceat ſuſpicionem ſuſpicioni opponere, ac, quoniam libellus ille Seculo ineunte XIII compo-

ſitus

Digitized by Google

ſitus eſt, de alio *Renardo*, ſeu *Vulpe*, cogitare. Rogamus Autorem Cl, ut filo diductiori commentari ac ſcribere de Lotharingiæ Ducatu velit, poſtquam tam inſigni ſpecimine eruditos ſibi reddidit plane devinctos.

VINDICIÆ HARENBERGIANÆ, oder ILICRINII Irenophili Auszug &c.

hoc eſt,

EPITOME EX JO. CHRISTOPH. HARENBERGII, G. S. I. Societ. Scient. Reg. Berol. Sod. modeſta Reſponſione ad nonnullas objectiones, quibus quidam Viri meritiſſimi ac doctiſſimi adverſus Hiſtoriam Eccleſiæ Gandershemenſis Diplomaticam, ab eodem olim editam, inſurrexerunt, edita ab H. A. R. S. F.

Francoforti & Lipſiæ, 1739, 4.

Plag. 9.

Libellus hic ex majori quodam libro, quem ipſe Cel. *Harenbergius*, Muſarum dulce decus ac delicium, loco vindiciarum ſtruxit, decerptus fuit, Germanice exaratus, & ab eo, quem divinare haud datur, publicæ luci datus. Ipſa *Reſponſio modeſta* hic *pag. 10* dicitur Erfurti prodiiſſe, plagulis viginti abſoluta. Inprimis in Vindiciis hiſce reſpondetur ad ea, quæ Ill. *Joannes Daniel Gruberus* paſſim monuit in contrarium. Paucula ſunt, & ea honorificentiſſima, quæ in gratiam *Jacobi Friderici Reimmanni* ac *Danielis Georgii Strubenii*, Virorum doctiſſimorum, qui nonnihil ad Hiſtoriam illam, de Eccleſia Gandershemenſi ſcriptam, attulerant admonitionum. Noſtrum non eſt, eriſtica ſectari. Quare ea ſeponemus, ac partibus altercantibus relinquemus intacta, quæ ad communem utilitatem haud ſatis facere videntur. Cardo autem rei in eo vertitur, ut Autor, *Harenbergium*, vel eum potius, cui manuſcriptum ejus demandatum erat, nonnihil peccaſſe, Cel. vero *Gruberum* nec in ſtricturis, contra emiſſis, nec in aliis ſcriptis ſuis hiſtoricis, ab erratis prorſus immunem perſtitiſſe, oſtendat. Quod ut demonſtratum eat, Præfationem, *Gottingenſi Topographiæ*, ejusque *Parti primæ*, præmiſſam, & *quar-*

Digitized by Google

tam Partem Epitomes recentiſſimi ſtatus eruditionis pag. 415 *ſeq.* nec non *ſextam* ejusdem *pag.* 693 *ſeq.* ubi judicium de Hiſtoria Eccleſiæ Gandershemenſis expromitur, revocat ſub cenſuram. Nos, omiſſis eis, quæ ad controverſiam ſpectant, ea decerpemus duntaxat, quæ ad fundum Hiſtoriæ Germanicæ propius noſcendæ aliquid conferunt. Autor ſignificat ex *Mar-*
Pag. 17. *quardi Freheri Originibus Palatinis Part. II Cap* 2 *pag.* 8, *Bochbardam*, villam olim regiam, haud eſſe ipſum oppidum Electoris Trevirenſis Boppardium, ſed locum in proximo ibi deſtructum ac deſolatum, *Bochbarden* vero, cujus ſit mentio in *Excerptis ex Necrologio Hildeshemenſis Eccleſiæ veteri pag.* 765. videri in Oſtfalia fuiſſe ſitam; erratum autem fuiſſe in *Chronico Gottwicenſi Tom.* I *Lib.* III *pag.* 461, ubi villa regia vocetur *Bolchbardia*, addaturque: *locus in Saxonia.* Autor porro docet, Cœnobium Derenburgum in Epiſcopatus Hildeshemenſis terra conditum fuiſſe a Comitibus Aſſeburgicis,
20. fratribusque *Hermanno* & *Henrico.* Addit, inſigne gentilitium Homburgenſe, quod in *Hiſt. Eccl. Gandersh. pag.* 873 exhibetur, eſſe *lanceam bannereti*, cui inſigne dominii Homburgenſe ſit affixum, quem in finem laudat Ill. *Frid. Wilh. de Piſtorius Amœnitates Juridico-Hiſtoricas Part.* V *pag.* 1358. Oſtendit porro, Cœnobia ex doctrina Juris Feudalis Germanici in feudum potuiſſe tradi, licet ea ex Jure Civili
21. Romano atque Canonico *rebus nullius* annumerentur, a quibus commercium humanum ſit disjunctum. Indicat præ-
22. terea, *Rudolphum*, Ducem Sueviæ, Reinfeldi dominum, fuiſſe, teſte *Alberico Monacho trium Fontium ad A.* 1077, Ducem Burgun-
25 ſeq. dionum. Notam characteriſticam Statuum Imperii in eo collocat, quod primores Germaniæ terris præſint immediate obnoxiis Imperio Germaniæ, in eas jurisdictionem territorialem teneant, & eapropter ſuffragiis & ſeſſione in Comitiis Imperii ſoleant gaudere. Ut vero hi ad onera Imperii pendenda contribuant immediate, atque in matriculam Imperii ideo relati ſint, judicat notæ illi characteriſticæ haud eſſe inſerendum, ſuffragatoribus ſeſe muniens *Henrico Coccejo, Friderico Ludovico de Berger, Rautnero, Moſero,*
27. *Burchardo Gotthelſio Struvio, Schwedero,* & aliis. Ut idem evincat, *Ludovicum II* jam A. 844 a patre *Lothario I* conſtitutum fuiſ-

ſe

ſe Coimperatorem, provocat ad *Jo. Andreæ de Aſteſatis, Brixiani, Epiſtolam, in qua annus 817 Bernardi, Italiæ Regis, emortualis oſtenditur, pag. 40 ſeq.* & ad juſſa patris, qui eum A. 844 Romæ voluit a Romana nobilitate & proceribus honore Imperatoribus debito excipi. Ut *Ludovicum* hunc oſtendat dictum fuiſſe ſatis recte *Romanorum Regem* in Charta Ducis *Ludolphi* Gandershemenſi, inter alia documenta collaudat compactum *Ottonis M.* cum *Leone VIII* Papa, A. 964 initum, in quo Imperator appellatur *Rex Romanorum & Rex Imperii Romani.* Nubem addit teſtium, quibus id compactum probatur ut genuinum. *Henricum Aucupem* Regem dictum fuiſſe in Chartis publicis *Imperatorem*, comprobat ex *Trad. Fuld. num. 572 pag. 237, ed. Schannati.* Comitem Palatinum & Comitem Palatii fuiſſe dignitatis ejusdem Principem, docuerat Pag. 28.
Hubertus Thomas Leodius in Commentatione *de Palatinorum origine,* in *Originibus Palatinis Freheri pag. 159, 173 ſeq.* Noſter tenet contrarium, tuens ſeſe ſuffragiis *Joannis Friderici Pfeffingeri* & *Joannis Davidis Kœleri*, nec non ipſius *du Freſne* dubitatione. 35.
Ottonem Magnum in Saxonia primos inſtituiſſe Comites Palatinos, inficiatur cum eodem *Kœlero.* Unicum duntaxat ſemper Saxoniæ præfuiſſe Comitem Palatinum, negat, ſiquidem *Otto III* in Diplomate A. 993 commemoraverit *Didericum* & *Hermannum*, Comites Palatinos; *Hermannum*, Comitem Palatinum Rheni, tunc jam obiiſſe, addit; *Dedonem* & *Fridericum* fratres A. 1053 æque in Saxonia fuiſſe 36.
Comites Palatinos, docet. Comitibus Saxoniæ Palatinis inſerendum, judicat *Eckehartum*, A. 1018 defunctum. Gruonam, cui *Henricus Auceps* a *Conrado* Rege incluſus fuit, eſſe Grondam, Viſurgi adjacentem, negat. Gronam, ubi *Henricus II* Rex A. 1012 Archiepiſcopum Magdeburgenſem, *Waltherum,* confirmavit, haud fuiſſe Grondam Viſurgi vicinam, ſed Gronam Multæ alvei prope Eulenburgum interceptam, ex 37.
Annaliſta Saxone it comprobatum. Contendit porro, Palatinatum Saxoniæ, Comitibus Sommerſeburgicis exſtinctis, translatum fuiſſe ad Landgravios Thuringorum, nec contineri di- 38 ſeq.
gnitate Ducali *Henrici Leonis*, ejusque ſucceſſorum, licet Cel. *Gruberus* ita ſenſerit. In *Speculo* certe *Saxonico* Ducatus &

 Pala-

Digitized by Google

Palatinatus Saxoniæ adhuc ſatis diſtinguitur luculente. Id au-
tem veritati conſentaneum credit, Seculo XIII intra interre-
gnum intercidiſſe poteſtatem ordinariam Comitum Saxoniæ
Palatinorum per Ducatum Brunſuico-Luneburgenſem, eamque
exemtionem ab Imperatoribus poſthæc fuiſſe huic confirmatam.
Pagum Leingau Autor ad Grenam usque haud pertigiſſe oſten-
Pag. 40. dit, a Grena vero circa Leinam flumen pagum Arehingin ſeu
Aringen decurriſſe ad Alicam ſeu Eletze usque, probabiliter
ſatis expedit. Diplomata nonnulla *Ottonum* ac *Henrici II*, Re-
gis Germaniæ, eſſe ſuppoſititia, contendit. Pagum Leingau
quoque Logingaham ſeu Lognigaham dictum fuiſſe, ſignificat
conciſe. Villam *Goddinga*, ubi *Carolus M.* Cœnobio S. *Dio-
nyſii* privilegia confirmavit, Gottingam eſſe, certe eſſe poſſe,
ſibi perſuadet, ratus, initio Octobris, anno Francici regni un-
decimo, ac quinto Langobardici, *Carolum* cum Oſtfalis rem
habuiſſe, ac circa Viſurgim tempore autumnali egiſſe. In-
primis vero demonſtrat, annos regni Francici a nono Octobris
43. die, non a 24 Septembris, eſſe ſupputandos, eo quod Caro-
lus d. 9 Octobr. demum a proceribus regni pro Rege fuerit agni-
tus, publiceque declaratus, quemadmodum ex *Hincmari* Epi-
ſtola ad *Ludovicum Balbum Tom. II Operum pag. 180*, ex *Annali-
bus Maſciacenſibus ad A. 768 pag. 734*, *Annaliſta Saxone ad eund.*
44. *A. pag. 164*, atque aliunde, conſtet. Vindiciarum conditor
definit deinceps locum *Widmidiburh*, in quo Comes Palatinus
Sigfridus, teſte *Annaliſta Saxone ad A. 1038 pag. 469*, huma-
tus fuit, eumque prope pagum Danckelſen in confiniis
Epiſcopatus Hildeshemenſis in Brunſuico - Luneburgenſi
præfectura Gandersheim ſitum fuiſſe oſtendit. Caſtro
hoc exuſto, in quo Comites per tractum Flenthigau jus
dixere, Wincenburgum in proximo ad occaſum in editis
montium fuit ab *Hermanno* Seniori exſtructum, teſte *Reinhar-
do* Abbate. *Hermanni II*, Comitis Wincenburgici, Sigillum,
52. in *Hiſt. Eccl. Gandersh. Tab. I Fig. 2*, allatum, Antagoniſta
Illuſtris eo nomine pro minus genuino habuerat, quod Comi-
tes in Sigillis haud repræſententur ſedentes, ſed potius ſtan-
tes. Sed hanc regulam diplomaticam novellam rejicit Autor,
luculente docens, Comites Aſcanienſes, *Alberti Urſi* prolem, ve-
xillo

Digitized by Google

xillo fuiſſe infeudatos, ideoque in Sigillis repræſentari ſedentes in equo. Quod ipſum de nonnullis Flandriæ Comitibus æque demonſtrat, ratus, *Hermannum* illum ſimul infeudatum fuiſſe banno regio per advocatias regias nonnullas, e. g. Ringelhemenſem, Corbejenſem, &c. Recenſet deinde notas Diplomatum, vel minus genuinorum, vel ſuſpectorum. Addit & enodat Pag. 56.
nonnulla pagi Ambergau, ad Herciniam ſilvam quondam ſiti, loca, e. g. *Pedel*, *Pathelecbe*, *Hammingorod*, ex quo reſtat Hammingerodenſis campus (*Hungerkampf*) inter oppidulum Seſen & Binderla. Monet, pro loco *Wurothuſon*, qui pago 58.
Ambergau attribuitur, reſcribendum eſſe *Murothuſon*, villam nunc deſolatam, Mortshuſen vulgo dici ſolitam, in præfectura Epiſcopali Hildeshemenſi Binderla, prope amnem Nette, haud procul ab urbe Seſa. Et, cum Cenſor contendiſſet, feuda, tributis ruſticis oneroſa, eſſe σιδηρόξυλα, Vindicarum Autor, hæc omnino dari admodum multa, docet. Ille tradiderat, *Muratorium* ea, quæ in *Parte prima Antiquitatum Eſtenſium ac Italicarum* pertractavit, pro conjecturis reputaſſe; hic vero contrarium potius ei tenet, *Muratorium*, ratus, pronuntiata ſua pro certis exploratisque veritatibus habuiſſe, quod ipſum putat luculente & plane a *Muratorio* doceri in *Præfatione*, Antiquitatibus illis præmiſſa, *pag. 5, 20 ſeq.* licet haud inficietur, Cel. *Muratorium* conjectaſſe, Marchionem *Adelbertum III* a Marchione *Guidone* progeneratum fuiſſe. Cenſor ferre non poterat formulam loquendi, *Horatio* probatam, qua adulteri dicuntur *permolere uxores alienas*. Verum reſpondet *Harenbergii* Vindex, locutionem illam eſſe ipſius *Jobi* ac Biblicam, *Job. XXXI, 10*, obviam. Reliqua ad nos nihil attinent, qui ea tantum cum orbe erudito communicamus, quæ proſunt publice, ab omnibus aliis, quæ eodem haud videntur collineare, merito calamum abſtinentes.

PAULI JACOBI ECKHARDI VINDICIÆ D. Lutheri & D. Melanchthonis ab infami pictura Commendatariorum Jutrebocenſium, in quibus vita, res geſtæ, ac fata, horum Duumvirorum celeberrimorum ordine recenſentur, atque eorum fama poſt duo Secula ſtrenue vindicatur, cum adjectis Figuris & Indice.

 Jutre-

Digitized by Google

Jutreboci, 1738, 4.
Alph. 1.

Quemadmodum anno hujus Seculi decimo ſeptimo Ven *Juſtus Schœpfferus* in *Luthero ſuo non combuſto*, occaſione imaginis heroici viri, ſingulari Dei T. O. M. providentia, bis in flammis, ratione miraculi plena, conſervatæ, brevem ejus vitæ hiſtoriam exhibuit; ita Cl. etiam Autori noſtro ſed infamis pictura anſam dedit, illius pariter atque *Melanchthonis* vitas breviter deſcribendi. Scilicet fuit olim apud Jutrebocenſes ſacrarium quoddam, B. *Mariæ* Virgini dedicatum, & templo D. *Nicolai* ſeptentrionem verſus contiguum, in cujus parte ſuperiore quinque ſacerdotes, Commendatarii a Commendis dicti, conſtitutis ad id ipſum horis, cecinerunt. Hi Commendatarii, ut verbis Autoris utamur, poſtquam, cultu antiquo abrogato, cedere ſunt coacti, imagines *Lutheri* & *Melanchthonis* ante abitum horribilibus figuris (quarum utraque in hoc ipſo libro delineata reperitur,) & maxime monſtroſis nigro colore in parietibus ſacrarii repræſentarunt. *Lutherus* depictus eſt denſo ac rotundo terribilique vultu, auribusque ſuillis dependentibus, qui os porcinum pariter, ut Cl. *Eckardo* videtur, utriusque manus digitis ad aures usque expandit & aperit, caput ornatus pileo Cardinalitio, cujus facies ad occidentem ſpectat; reliquum corpus admodum robuſtum, latisque humeris inſtructum, geſtat tunicam Dalmaticam, ſive ſacerdotalem, ut hodie vocatur. Non minus deformata *Melanchthonis* facies apparet, ubi pariter Autor aures ſuillas & acutum porci roſtrum demonſtrare contendit, utriusque rei non paucas rationes proferens. Acutum nempe pictum ait, quia Philoſophiæ & linguis ſacris operam dabat, & multo ſubtilius in dogmatibus inveniendis procedere, quam *Lutherus*, reputabatur; ſuillum autem eſſe, quia, vineam hos Duumviros Domini perfodiſſe & vaſtaſſe, finxiſſent. Aures præterea ſuillas, longas, & dependentes, iſtos homines affixiſſe docet, fortaſſis quia clamorem Pontificiorum magnus hic Germaniæ doctor exaudire noluerit, qui eum ſæpiſſime conati fuerint ad caſtra ſua revocare. Haſce ſuas narrationes, & conjunctas ſimul vindicias, ut illuſtriores

res redderet, utque non minus, quæ pluribus alioquin libris proponuntur, in compendio quaſi traderet, utriusque vitam ſequentibus momentis incluſam præfixit. Ad *Lutherum* nimirum quod attinet, eam inire rationem voluit, ut heroa iſtum prædicaret, de *Lutheri* natalibus, ejusque ſtudiorum initiis, de gymnaſticis porro, quæ vulgo elegantiores appellantur, literis, de altioribus & monaſticis, de muneribus in Academia Vitembergenſi adminiſtratis, ageret, initium pariter Reformationis, *Lutheri* conjugium, vitæ genus, mortem, atque ſepulturam, deſcriberet, atque excellentiſſimam denique eruditionem, res præclare geſtas, innumerabilia propemodum merita, famamque non minus ac fata, celebraret. In vita vero *Melanchthoniana* ſic verſatur, ut, poſt inſtituti rationem redditam, de natalibus, educatione, ſtudiis ſcholaſticis atque Academicis *Philippi*, de functionibus item in Academiis Tubingenſi ac Vitembergenſi, de opera *Luthero* in Reformationis negotio præſtita, tractet, conjugium deinde & vitam domeſticam deſcribat, merita & incomparabilia ſtudia, ac res etiam præclare geſtas, extollat, neque fatorum denique commemorationem reticeat. Vindiciarum ſub calcem mentionem facit tabulæ cujusdam rariſſimæ, in templi Oenenſis altari conſpicuæ, in qua *Lutherus* & *Melanchthon*, ceterique Profeſſores Vitembergenſes, legatorum loco, cum Chriſto ſacram cœnam celebrent, quam *Simon Dalichovius*, Sculteтus Oenenſis, Vitembergæ pingi, altarique Pontificio affigi, curarit, ea lege, ut ipſe his ſplendidis convivis infundendo famularetur, quo modo etiam, in habitu ruſticano, nudoque capite, cum cantharo & poculo, ſeſe repræſentet. Tandem vero una *Martini Lutheri*, & tres *Philippi Melanchthonis*, ad Paſtores Jutreboсenſes Epiſtolæ ſubjunguntur.

M. JO. LEONH. RECKENBERGERI, Ampliſſ. Philoſ. Ordin. in Jenenſi Academia Adjuncti, Collegium fundamentale Græcum, quod abſolvitur concifis linguæ Samaritanorum principiis, ſolidis linguæ Græcorum grammaticalibus ſyntacticisque regulis, quibus brevis tractatio de methodo ſcientifica Grammaticorum præmiſſa eſt.

Jenæ, ſumtibus B. Joh. Rudolphi Crœkeri viduæ, 1739, 8.
Alph. 1. Cl.

Digitized by Google

Cl. Autor ex lingua Samaritanorum Græcam derivare laboravit. Hæc ipſa etiam cauſa eſt, cur in ſcholis primum Hebræas, deinceps Chaldæas & Syriacas, poſtea Samaritanas literas & Græcas, & tunc denique Latinas, doceri optet. Id quod tamen, cum ipſe videat, quantum jam præ ſe ferat impedimenti, vento ſe locutum eſſe arbitratur. Inde pariter factum eſt, ut præcepta ſua ſic adornaret, quo Samaritana quidem lingua imbutus multas demonſtrationes perfectius comprehendere, ceteri tamen etiam Græcæ linguæ cognitionem his ipſis ſibi regulis acquirere poſſent. Quæ cum ita ſe habeant, nos quoque, illis omiſſis, Græcæ ſtatim linguæ præceptiones ſumus luſtraturi. Initium fit a definitione, quod ſcilicet *lingua Græca ſcientia ſit, de noſtris cum aliis apte & perſpicue communicandis ideis, aliorumque communicatis intelligendis, characteribus ſibi propriis nos erudiens.* Deinde pluribus verbis demonſtrat Cl. Autor, linguam Græcam linguam eſſe mortuam, quem ad modum etiam de natura literarum Græcarum, earundemque per *Cadmum* a Phœnicibus ſive Samaritanis origine, ſermonem inſtituit, & huc pertinentes ſcriptores allegat, quibus præ ceteris addi meretur *Montfauconius* in *Palæographia Græca*, quæque ſub finem ſplendidiſſimi Operis habetur eruditiſſimi cujusdam viri Diſſertatio. Præterea libellos Grammaticos, atque vocabulorum Indices, percenſet. Præcipuam vero, ſibique omnino ſingularem, operam dediſſe videtur in doctrina de vocalibus, de diphthongis, de ſyllabarum permutatione atque contractione, de apoſtropho, &c. ubi altius ſane omnia repetiit. Accentus Græcorum conjicit inde trahere originem, *quod illi, qui gratum elegantemque ſonum Autoris cujusdam, Græce luculenter ſcientis, audiverint, vocibus ſuis hiſce accentuum ſignis quaſi aliquid novi appinxerint, quod deinde imitati fuerint alii.* Syntaxin, quam verba Græcorum componendi coagmentandique rationem nuncupat, initio prorſus omittere voluit; deinde vero, graviſſimis rationibus motus, ad hunc pariter ſe laborem accinxit, ita quidem, ut exempla præſertim, quæ luculentiſſima judicavit, ex ſacro Codice atque ex aliis ſcriptoribus conferret. Quando curæ poſteriores accedent, fortaſſis etiam elegantias Græcæ compoſitionis, de quibus in Præfatione loquitur, conjunget, qua ſane opera multos harum rerum ſtudioſos maximopere ſibi devinciet. Nobis vero in præſenti, quod primum eſſe debebat, de methodo, quam etiam Grammaticis tribuunt recentiores Philoſophi, ſcientifica tria erunt verba ſubjungenda. Cl. Autor, ejusmodi & hic dari, ex evidentibus Grammaticæ principiis evincit, quo nomine illud affert: *Quicquid ſuam rationem in ipſa hujus vel illius linguæ natura & indole habet, illud in diſiniendis hujus vel illius linguæ regulis ubique obſervandum eſt;* atque illud: *Quiquid ſuam rationem in orationis partibus habet, illud in regulis de orationis partibus conficiendis ubique attendendum eſt;* item aliud: *Quicquid naturæ & indoli conſonantium, etiam vocalium & ſyllabarum, earumque affectionibus, convenit, illud attenden dum ſectandumque eſt in grammaticalibus regulis.* Cetera ſapientes harum lautitiarum æſtimatores ex ipſa, quæ lectu omnino digna eſt, haurire poterunt conſcriptione.

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio II.

RAGIONI DELLA SEDE APOSTOLICA NELle preſenti controverſie colla Corte di Torino.

h. e.

ARGUMENTA PRO SEDE APOSTOLICA in controverſiis, quæ ei cum aula Taurinenſi intercedunt.

Tomi II.

Sine mentione loci, 1732, fol.

Tomi I Pars I Alph. 5 plag. 10, Pars II Alph. 5 plag. 16½, Tomi II Pars I Alph. 5, Pars II Alph. 4 plag. 16.

Quæ inter curias Romanam & Sabaudicam agitatæ ſunt controverſiæ, non minus multæ, quam acres, ſuſpenſum tenere poterant uniuscujusque judicium, præſertim in tanto Sedis Apoſtolicæ, Taurinenſium ſcriptis laceſſitæ, ſilentio, quod tandem rumpendum fuit, quando adverſa pars inde cauſam infamare, juribusque curiæ Romanæ propter publicæ defenſionis defectum aliquid detrahere, ſategit. Ita certe Sedis Romanæ defenſor opus ſuum auſpicatur, ſplendidum illud & digna tantæ rei cura elaboratum, quo nihil omiſſum eſſe videtur, quod in ejusmodi aſſertionibus & vindiciis

diciis jurium controverſorum tam ad facti enarrationem, quam ad argumentorum diſpoſitionem, requiri poteſt. Pauca enim de acerbo Taurinenſium dicendi genere conqueſtus Anonymus Autor, rem omnem, & infinitam moleſtarum controverſiarum ſeriem, referre auſpicatur, & ab *Innocentio XII* usque ad *Clementem XII*, & præſentem rerum ſtatum, ſingula quæque prolixe proſequendo, decurrit. Orſus enim a prima litium origine, quando Comes *de Subernatis* filio ſuo ab *Innocentio XII* Abbatiam *de Sylva* petiit, magis id jure poſtulare poſſe viſus, quam ex gratia, mox alium controverſiarum fontem exponit, quando Ducis Sabaudiæ Edicto, in favorem Reformatorum, Arauſionenſis Principis inſtinctu, propoſito, & per S. Officium abolito, innumeræ lites ex aliis aliæ per plures Pontificatus ortæ, ac, fruſtra tentatis transactionibus, in hoc usque tempus, quo animi tantum exarſerunt, productæ ſunt, quarum vel ſumma capita attingere, infinitum foret. Abſolvitur autem *primi Tomi Pars prima* controverſiarum, ſub *Innocentio XIII*, *Benedicto XIII*, & *Clemente XII*, agitatarum, enarratione, cui examen & confutatio relationis, quam Sabaudi dedere, ſubjungitur, omnia vero documentis ſubjectis explicantur atque muniuntur. Claudit hanc *Partem* Tabula Chronologica, quæ uno obtutu jura Sedis Apoſtolicæ in regnum Sardiniæ, omnesque actus, quos Pontifices de illorum jurium exercitio ſolent allegare, ſubjectis probationum fontibus, proponit. *Altera Parte primi Tomi* controverſiam ipſam Autor aggreſſus, primum lites de immunitate & jurisdictione eccleſiaſtica, utpote præcipuas, attingit, & curiæ Taurinenſis ſcriptum, cujus titulus: *Progetto d' Accommodamento,* ita expendit, ut hujus transactionis vim ac veritatem omni modo enervet, cui ſubjecit diſquiſitiones de cauſa beneficiaria inter controverſias illas, quarum non poſtrema eſt, quæ occaſione indulti *Nicolai* V, quo, ſine conſenſu Ducis beneficia eccleſiaſtica ſe non eſſe unquam collaturum, pollicetur, diſputata eſt. Quibus denique finem imponit ſingulari diſceptatione, de jurejurando, quod Rex Sardiniæ, cum pater regno ſe abdicaret, ab Epiſcopis in frau-

ſraudem libertatis eccleſiaſticæ, ut Autor contendit, exegerat. Poſtquam vero hæc diſſeruit, ad argumenta quædam ſingularia *Tomo ſecundo* excurrit, cujus *Partem primam* unice tractationi de Feudis Eccleſiarum Aſtenſis, Taurinenſis, & Ticinenſis, deſtinavit, quæ ſupremo dominio ſuo Sedes Apoſtolica, inprimis præſcriptione nixa, vindicat, cum contra vindicent Sabaudi. Addidit Autor Tabulam Chronologicam, qua per annorum ſeriem argumenta Sedis Apoſtolicæ, & juris ſupremi exercitia, diſponit, & e regione ſtatim exceptiones Sabaudicas cum replicationibus collocat. *Ultima* denique *Pars* Operis Abbatiæ de S. *Benigno* deſtinata eſt, in qua, ut & ejus feudis, Sedes Apoſtolica ſibi dominium ſupremum, æque iterum negantibus Regis Sardiniæ Miniſtris, arrogat. His omnibus & ſingulis loco ſuo ſubjecta ſunt magno numero documenta, vindiciis hiſce corroborandis inſervitura. Ceterum, ut noſtrum non eſt, de ipſa re & argumentorum virtute judicium ferre, ita, dum diligentiam Autoris, Operisque nitorem, laudamus, non ideo cauſam noſtram facturi, potius profitemur, eſſe hinc & inde multa interſperſa, quæ juribus, S. R. Imperio in Italiam competentibus, plus, quam decet, detrahant, & diſcuſſionem ſingularem mereantur.

DE BAPTISMO IN NOMINE JESU CHRIſti, & de Hæreticis, qui Baptiſmi formam olim adulterarunt, Diſſertatio hiſtorica, in duas Partes diviſa, Autore Fr JOSEPHO AUGUSTINO ORSI, Ord. Prædicatorum, Cathedratico Caſanatenſi, &c.

Mediolani, 1733, 4.
Alph. 1 plag. 13.

Hujus Diſſertationis nigrum longe plus exhibet, quam rubrum quidem ejus pollicetur. Nam, præter Diſſertationem *de Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti*, quæ tantummodo primam Operis partem conſtituit, & præter alteram Partem de Hæreticis, qui Baptiſmi formam olim adulterarunt, additur alia, in Operis titulo nequaquam promiſſa, copioſa Diſſertatio *de Chriſmate confirmatorio*, velut largum auctarium. Nos,

quamvis in univerſum ab Autore in capite cauſæ, idque modeſte, diſſentiamus, teſtimonium tamen lectionis multijugæ, & diligentiæ in colligendo adhibitæ, non poſſumus non eidem
Pag. 1-62. perhibere. De *priore Parte* Diſſertationis proxime copioſius dicemus, cum, quam ei oppoſuit Diſſertationem doctus aliquis Italorum, in medium proferemus. *Pars altera* de Hæreticis, qui Baptiſmi formam olim adulterarunt, contra *Jo. Harduinum*, occaſione Canonis Apoſtolici 49, agit, & quidem de Eunomianis, qui in Chriſti mortem baptizabant, de quibusdam Cataphrygibus recentioribus, Photinianiſmi & Sabellianiſmi inculpatis, & Bonoſiacis, formulam baptiſmalem: *in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* reſpuentibus, porro de Pauliniſtis & Photinianis, ac demum de reliquis Hæreticis, ex Orientalis tantummodo Eccleſiæ, & quidem veteris ſolius, diſciplina rebaptizandis, ſeu potius, quoniam hæreticorum iſtorum baptiſmus irritus judicabatur, primo vel poſtliminio baptizandis, ac, quod gentiles eſſent, in Eccleſiæ gremium recipiendis. Tales ſunt Simoniani, Menandriani, Saturniliani, Baſilidiani, Gnoſtici, Nicolaitæ, Carpocratiani, Cerinthiani, Ebionæi, Valentiniani, Secundiani, Ptolemæi, Marcoſii, Colorbaſii, Heracleonitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellejani, Praxeani, Hermogeniani, &c. Aliis autem poſtea rationibus & conjecturis oſtenditur, recentiores Græcos (ſeu Eccleſiam orientalem recentiorem) de errore rebaptizantium nil participaſſe. Unde conficitur contra *Harduinum*, Baptiſmi formam ab illis hæreticis, quos Græci Patres in veteri Eccleſia orientali rebaptizandos eſſe ſanxerunt, fœde fuiſſe corruptam. Hiſce ita pertractatis, ſequitur nova illa, & in Operis inſcriptione haud commemorata, Diſſertatio *de Chriſmate confirmatorio.* Hujus *Cap. I* demonſtrare Autor nititur, chriſmatis uſum in confirmandis Neophytis inde ab ipſis Chriſtianæ religionis primordiis eſſe repetendum. Huc arceſſit locum ex *2 Cor. I comm. ult.* & ex Patribus contra *Baſnagium*, unctionis antiquitatem & γνησιότητα negantem, contendit, unctionis ritum non ab hæreticis Eccleſiam, ſed ab Eccleſia hæreticos, accepiſſe. *Cap. II* contra *Claudium de*
63.
64.
72.
82.
86.
96.
115.
126.
133.
136.
152.

Vert

Vert, Operis de Cerimoniis Eccleſiæ ſcriptorem, oſtendere conatur, Patribus Latinis, Concilio primo Arauſicano antiquioribus, Sacram unctionem fuiſſe diſtinctum a Baptiſmate Sacramentum. *Cap. III* contra eundem *du Vert* ex Canone II Concilii Arauſicani I, & æquævis Patribus, aliisque usque ad XII Seculum Latinis Scriptoribus, aſſerit, unctionem eſſe partem Confirmationis eſſentialem, quibus geminum ſuccedit *Caput IV*, tradens, Græcos & orientales ſcriptores Sacramentum Confirmationis aut unice, aut potiſſimum, in unctione ſacra conſtituiſſe, nec non *Caput V*, probaturum ex Græcis ac Orientalibus Euchologiis, unctionem aut unicam eſſe, aut præcipuam-Romano-Catholici Sacramenti Confirmationis materiam. *Capite* denique *VI* demonſtratum ivit Autor ex antiquis Latinorum Ritualibus, in unctione aut unice, aut certe primario, poſitam eſſe Confirmationis materiam. Pag. 161. 183. 208. 233. 256.

Peter Hanſſens Chriſtliche Sitten-Lehre, ꝛc.

id eſt,

PETRI HANSSENII ETHICA CHRISTIANA, ſeu Theologia Moralis, Partibus II ſecundum lumen rationis Sacrique Codicis tractata.

Lubecæ, impenſis Petri Bœckmanni, 1739. 4.
Alph. 4.

Si quod unquam Volumen hujus generis plena ſcribendi facilitate, dilucido ordine, diſtinctis completisque notionibus, perſpicua meditationum compage, ſeſe commendat, hic liber, cujus ſummam dare conſtituimus, ni principatum obtinet, nulli certe poſtponendus videtur. *Parte priori* comprehenditur tractatio de vita Chriſtiano digna generalis. *Capite primo* exponit S. Rev. Autor de ſtatu perfectionis ac imagine divina; *ſecundo* ſtatus percenſetur ejus imperfectionis, qua genus humanum per labem *Adami* fuit imminutum atque commaculatum; *tertio* ediſſeritur ſtatus reſtitutionis, ad quem homo per gratiam Chriſti evectus fuit, & vita virtutibus condecorata. *Parte ſecunda* recenſentar officia

ficia vitæ Chriſtianæ ſecundum utramque Decalogi tabulam, erga Deum, erga alium quemvis hominem, & nosmet, præſtanda. *Liber primus* repræſentat officia erga Deum exhibenda, nominatim cognitionem Dei, fiduciam in Deum, timorem & obedientiam erga Deum, ſubmiſſionem animi & venerationem Deo exhibendam, animum in Deo acquieſcentem, preces, mentem in Deum gratam, confeſſionem & laudationem Dei, cultum Dei externum. *Libro ſecundo* pertractantur officia erga proximum obſervanda, ſpeciatim amor in alium quemvis, Chriſtiana dolendi ſocietas & miſericordia, beneficentia & bona opera, gratus in alium quemvis animus, pax & concordia, manſuetudo & lenitas, facilitas redeundi cum inimico in gratiam, ſeu placabilitas, juſtitia, ſinceritas, humilitas animi demiſſi & modeſtia, atque humanitas. *Libro tertio* ediſſeritur amor ſui debitus, cura animæ, cuſtodia & cura corporis, tranquillitas, patientia, robur animi, prudentia, circumſpectio, taciturnitas, temperantia, caſtitas, laborioſitas, parſimonia & frugalitas, αὐτάρκεια, & conſtantia. Deſunt officia ſocietatum & ordinum, quibus mortales inter ſeſe continentur, fortaſſis novo *Volumine* ab eodem Autore pertractanda. Propoſitiones determinatæ, ſtilus terſus ac profluens, & demonſtrationis amœnitas, utramque hic paginam complent. Illuſtratio, declaratio uberior, tempeſtiva dictorum ſacri Codicis prolatio, identidem intexuntur, ne lector fatigetur. Exordium, a quo Autor telam inchoavit, deducitur a conſcientia perfectionis communi, & ab obſervatione, qua intime experimur, nos non tam eſſe perfectos, ut eſſe poſſemus, atque, quales ut exiſtamus, optemus. Addit porro, unum omnium caſuum modorumque, quibus vita humana tranſigitur, eſſe reliquis præſtantiorem atque perfectiorem.

Pag. 5. Idem comprobat ex ſacro Codice, qui docet, nos usquequaque omnes errare, labi, & a ſcopo deflectere, *Eccl. VII, 21*, *Jac. III, 2.* Vindicat quoque a ſiniſtris interpretationibus pronuntiatum *Moſis* de imagine Dei, ad quam primus homo fuit creatus, *Gen. I, 27.* Adjungit dicta *Eph. IV, 22, 23, 24,*

Col.

Digitized by Google

Col. III, 9, 10, ubi per novum hominem non Chriſtum, ſed regeneratum renovatumque hominem, intelligit. Statum Pag. 7.
primævæ perfectionis ſecundum ſingulas animæ facultates copioſe exponit, ut diluceat clariſſime ſcopus ille, ad quem homines anhelare reſtituique oportet, memor moniti *Apoc. II, 5.* Scopum hunc, perfectionem, nobis eſſe propoſitum, ut eum conſequamur, oſtendit ipſe Servator *Matth. V, 48.*
Imago itaque illa perfectionis divinæ, ad quam primus ho- 12.
mo fuit conditus, eſt adhuc finis & ſcopus noſter. Eſſen- 13.
tias rerum eſſe immutabiles & æternas, Pl. Rev. Autor docet, de reliquo *Leibnitii* & *Wolfii* doctrinarum amator, ita tamen, ut harmoniam præſtabilitam repudiet *pag. 113*, eo quod anima & corpus *ſint ens unum phyſicum*: ut neget *pag. 252*, dari legem naturæ, atheos in ſenſione ipſorum, qua talium, obligantem; nec in verba magiſtri juret. Recen- 15.
ſet perfectionem omnium partium ſubjectivarum & objectivarum, perfectionemque graduum intenſionis & extenſionis. Sanctitatem regenitorum collocat in perpetuo conatu gradus ulteriores ſanctimoniæ obtinendi, ac porro aſſequendi. Eoque ſenſu dici putat, eos, qui in Jeſu Chriſto manent, *non peccare, 1 Jo. III, 61, præcepta Dei obſervare, Jo. XIV, 23, 1 Jo. III, 22,* ſiquidem diligentiam omnem adhibeant, ut luctentur adverſus peccatum, *2 Pet. I, 5, Ebr. XII, 1,* deteſtenturque illud, *Rom. VII, 19, 20.* Hunc conatum vocant Theologi *perfectionem inchoativam*, ſeu *partium*, quæ eſt, ju-
dice *Joanne Gerhardo*, *ſerium & ſincerum obediendi Deo ſtu-* 17.
dium ſecundum omnia præcepta. In ſtatu autem innocentiæ præſto fuiſſet perfectio graduum. Doctrinam illam judicat periculoſam, quam nonnulli fovent, dictitantes, ſub œconomia Evangelii haud urgendam eſſe internam legis perfectionem. Oſtendit autem e contrario, noſtrum eſſe, adſpirare & progredi per gratiam a Chriſto acceptam ad perfectionem & continuum ſanctitatis incrementum, ob *Matth. V, 48, Eph. IV, 15, 1 Theſſ. IV, 1-10, Eph. V, 15, 1 Pet. I, 17, Ebr. XII, 14.*
Demonſtrat idem, Deum legem moralem tollere haud poſ- 19.
ſe, ideoque per fœdus antiquius *Jer. XXXI, 31 ſeq.* haud intelli-

Digitized by Google

telligendam eſſe illam: nec fœdus Evangelii in V. T. fuiſſe
aliud, ac in novo, ob *Act. XV, 11.* Lex vero cerimonialis, quæ
continebat umbram bonorum futurorum, ceſſare debuit,
ejusque finis eſt Chriſtus, *Rom. X, 4.* Nam lex moralis haud
poteſt tolli vel ceſſare, ſiquidem illa eſt immutabilis, & con-
tinet declarationem divinæ voluntatis de eo, quod omnibus
in eventibus eſt optimum atque convenientiſſimum. De
Adami intellectu & voluntate ſic commentatur Autor, ut
exiſtimet, eum ætate ſatis firma fuiſſe creatum, nec tamen
omniſcium, ſed ulteriorum cognitionis graduum capacem;
ad ideas per organa ſenſoria recipiendas habilem; organis
ſenſoriis, debilitatem haud contrahentibus, imaginatione, &
judicio, exornatum; valentem viribus dijudicationis caſuum
ſimilium atque conſecutionum, diſſimilitudinisque, quæ re-
Pag. 28. bus ineſt; ratiocinandi peritum ſecundum menſuram notio-
num exſtitiſſe; facultate cognoſcendi veritatem, eique aſ-
ſentiendi, fuiſſe inſtructum. In hisce facultatibus perfectio-
31. nem enituiſſe, comprobat ex exemplo Chriſti *Eph. IV, 11, 12,
13,* qui in ſtatu innocentiæ eſt conſtitutus, ac ad gradum ſu-
premum perfectionis, πλήρωμα, progreſſus fuit. In *Ada-
mi* intellectu abditam fuiſſe credit Pſychologiam puram,
34. Theologiam nitidam, ac aliarum ſcientiarum ſemina, ratus
tamen, myſterium ſacroſanctæ Trinitatis non niſi ex reve-
35. latione divina ab *Adamo* potuiſſe cognoſci, ſiquidem diſtin-
guendum ſit inter notitiam concreatam & concreatæ ſu-
36. peradditam. Denegat protoplaſtis, a labe adhuc immuni-
bus, notitiam gratiæ Dei œconomicæ, qualem nunc nos do-
cet Evangelium. Largitur autem ipſis notitiam exquiſitam
de officiis, ab homine ſecundum legem naturæ præſtandis.
38. Nexum coſmologicum ſuo aſſenſu dignatur, quem fuiſſe
inſtar ſpeculi perfectionum divinarum reputatum a proto-
plaſtis, adhuc puris, adjungit. Libertatem ab arbitrio ſe-
42. cernit. Diſtincte tractat facultatem τοῦ θέλειν, res delectui
expoſitas, rationes expetendi vel averſandi, ac libertatem.
Delectui expoſita & obnoxia ſunt ea, quæ vocamus contin-
gentia, ab immutabilibus rebus diverſa, & quibus adhæret
vel

vel bonum, vel malum. Rationem eligendi ponit in judicio
de bonis & malis. Libertatem definit per facultatem volun- Pag. 46.
tatis eligendi illud, quod inter plura poſſibilia eſt optimum.
Senſiones diſtinguit in phyſicas & morales ſeu excitatas. 51.
Actiones hominum in ſtatu innocentiæ florentium oſtendit
reſpondiſſe voluntati divinæ, congruiſſe & conſenſiſſe in- 63.
vicem, peractasque fuiſſe in libertate perfecta, immunes a
coactione & violento impulſu externo. Inde porro demon-
ſtrat profluxiſſe lætitiam, tranquillitatem, & beatitudinem.
Ut originem mali, in homines primos delapſi, exponat,
ſyſtema *Leibnitii*, *Wolfii*, & *Bulfingeri*, adoptat, ratus, pec- 71.
catum ſemper fuiſſe poſſibile, & eſſentiam hominis fuiſſe fi-
nitam, ex qua finitudine emanet inertia quædam & poten-
tia peccandi. Lapſum vero *Adami* imputatum fuiſſe uni-
verſis hominibus, ſtatuit, eo quod nemo eorum præſtantio-
rem ſeſe præſtitiſſet, ob *Rom. V, 12.* Non attingit objectio- 77.
nem, quam alii obmoliuntur, rati, Deum potuiſſe homini
indere perfectiones majores, immo confirmationem in bo-
no. Approbat pronuntiatum R. *Moſis Tranenſis* illud: *Eo-
dem peccato, quo peccavit primus homo, peccavit totus mun-
dus, quoniam hic erat omnis homo.* Recenſet deinde pravi- 78.
tatis innatæ turpitudinem, & a legibus divinis diſceſſionem,
ab homine adamari ſolitam, diſcordiam & diſconvenientiam 83.
cogitationum humanarum, quam ipſe *Seneca* agnovit *de Clem.
Cap. 7.* Homines exutos eſſe imagine divina, comprobat
ex *Rom. III, 23,* ubi per δόξαν τȣ̃ Θεȣ̃ eam intelligit, & ex
hoc defectu deducit torporem, tranquillitatis vacuitatem, &
beatitudinis denegationem. Oſtendit deinde, quidnam fa- 92.
cultatum humanarum hominibus ſit reſiduum, & quanta eis
perfectio deſit. Comprobat facultatum uſum minus perfe-
ctum ex ſuperſtitione, paralogiſmis quotidianis, diſſidiis
eruditorum pugnisque doctorum, ex inordinato ſui amore,
ex præjudicatis opinionibus, ex ignorantia animæ de ſemet
ipſa ſuoque cum corpore commercio. De harmonia præ-
ſtabilita ſic pronuntiat: *Quoties ab intellectu noſtro flagitavi- 113.
mus, ut ei aſſentiretur, toties in eo ſenſimus reluctationem.*

H *Vide-*

Videmur nobis a ratione humana plus juſto petere, ſi volumus, ut ea exiſtimet, unum phyſicum poſſe exiſtere ex duabus rebus, quæ modo per nexum metaphyſicum copulatæ ſunt. Dolendum ſane, doctos ipſos doctrinam de Deo ſaluberrimam ſæpius confudiſſe & intricaſſe, adeo, ut *Cicero* querulus ſcri-
Pag. 115. pſerit: *Cogimur diſſenſione ſapientum dominum noſtrum ignorare.* Eos, qui hiſtoriam atheiſmi ſcripſere, credit plus operæ & ardoris ſæpius impendiſſe, quam res ipſa exigat.
116. Statum imperfectionis illuſtrat porro diſſenſionibus mortalium de indole & momentis officiorum, earumque non unas
123. recenſet. Admiratur tamen, homines fuiſſe perſpicaciſſimos in adminiculis vitæ humanæ tuendæ & conſervandæ inveniendis. Enumerat deinde labem & imperfectionem, quacum conflictamur, dum volumus, dum rerum delectui operam damus, dum eligimus ex rationibus variis, voluntatem afficientibus. Peccatum inſedit tam altis radicibus defixum, ut homo de vera ſalute per ſe ſit incurius, emendationis & increpationis ſit impatiens, cupiditates dominas ſequatur incautus, ſenſionibusque indulgeat corpori ſtatuique præſenti gratis, e. g. magnis ſocietatibus, ludis variis, comœdiis, ſaltationibus, larvarum ſimulacris, venationibus, aliisque oculorum deliciis. Addit de hiſce hoc judi-
137. cium: *Dici haud poteſt, animam per haſce delicias ne tantillo quidem emendari poſſe.* Recenſet deinde oblectamenta oculorum, carnis, & arrogantiæ, quibus mortales ſibi relicti
149. litant. Refellit hominum molliculorum opinionem de reſtituendis ad vitam æternam cacodæmonibus, eorumque aſſeclis, quam carni gratam, ideoque aſſectatoribus placere multis, pronuntiat. Obiter notat quoque *Dippelii* aliorumque errores, qui ſyſtema ſubſtitutionis conantur labefactare. Felicitatem hujus vitæ pari & acquiri per obſervationem legis
178. naturæ, cum Cel. *Chriſtiano Wolfio* præcipit, & nil, niſi beatitudinem hominis ſempiternam, promovere ſtudet & amplificare. Dedimus hæc ſpeciminis loco, Lectorem ad amœna hæc animarum attentarum vireta remittentes.

D. JO-

Digitized by Google

D. JOACHIMI OPORINI, IN ACADEMIA Georgia Auguſta Profeſſoris Theologiæ Ord. Commentatio theologica de Uſu doctæ ſimplicitatis contra Scepticos, in qua primum efficacia illius in demonſtranda & vindicanda religionis Chriſtianæ divina origine explicatur; deinde imitatio hujus doctæ ſimplicitatis contra noſtræ etiam ætatis Scepticos tanquam ſufficiens & neceſſaria commendatur; denique præſtantia ejusdem præ nova Viri Cl. M. JAC. CARPOVII ſubtilitate contra Scepticos illuſtratur.

Gottingæ, apud Jo. Mich. Fritſch, 1739, 4.
Plag. 12.

Quemadmodum omnis tractatio acroamatica a definitione, determinatoque vocum primariarum uſu, debet proficiſci, ne ipſa, in controverſiis refellendis occupata, cum larvis umbrisque colluctetur; ita etiam, de docta ſimplicitate acturus, prius doceat, neceſſum eſt, quid per ipſam intelligat, quam ad exagitandas illas doctrinas, quibuscum ea videtur conciliari haud poſſe, deſcendat. Simplicitas autem ponitur vel in vitio, vel in virtute, capiturque vel grammatice pro eo, *quod nil admiſti, nil peregrini, habet,* vel theologice & philoſophice per eam *facultatem, qua quis nihil amplius ad rei demonſtrationem affert, quam ſcopus requirit.* Cum vero ſcopus evadat varius pro diverſitate lectorum vel auditorum, is certe non eſt unicus in ſpecialibus doctrinis, licet non poſſit a convincente methodo, & determinato vocum uſu, unquam ſeparari. Demonſtratio autem illa eſt vel theoretica, vel practica; illa propoſitionibus innititur, hæc exercitio ſolidæ virtutis ac pietatis eſt æſtimanda. Stili indoles, ad priorem accommodata, vocatur *ſimplicitas orationis.* Methodus, qua quis ſcopo vel generali, vel ſpeciali, qui in aliis convincendis ac corroborandis eſt poſitus, ſatisfacit, vocatur *ſimplicitas ordinis & œconomia logicæ.* Si ſimplicitati ordinis acceſſerit ſimplicitas orationis, & huic præluxerit illa, omnia ſeſe recte habent. Nulla de hiſce eſt

Digitized by Google

pugna, nihil ſupereſt controverſiæ. At, ſimul ac ad inveſtigationem doctrinarum & ad ſimplicitatem in hoc vel illo capite articuloque tractationum oſtendendam progreſſi fuerimus, neminem Doctorum ac Profeſſorum facile inveniemus, cui non ſua arrideat præcipue ratio tractandi, demonſtrandi, refellendi, eloquendi, ſcribendique, velut altera Diana, prouti honor, ambitio, applauſus cupiditas, lucrique bonus odor, quemque retinent & conſtrictum habent. Multis ſua ſic placent, ut diverſa ſordeſcant, & refutationibus videantur digna. S. Rev. Autor inprimis id agit, ut ſubtilitates minus ſolidas evertat, quibus noſtræ ætatis homines ex parte indulgent ad demonſtranda ea, de quibus nemo dubitat, vel ad intricanda & in perplexum propellenda ea, de quibus nemini eſt dubitandum. Ex definitione, quam de ſimplicitate theologica dedit, illico intelligimus, quantum a genuina methodo & purgatiori Philoſophia ſit ipſe inſtructus. *Simplicitas eſt*, hoc judice, *impermiſta doctrinæ ſinceritas, quæ veritatem ſacram nudam explicat aut propugnat, poſthabita partim ſubtilitate falſa, multorum errorum matre, excluſoque rationis ac Philoſophiæ abuſu; partim etiam rejectis ſubtilitatis vanæ & ſuſpectæ ambagibus, imo omni intempeſtivo atque immoderato rationis atque Philoſophiæ, ceteroqui optimæ, uſu eliminato.* Qui ſimplicitatem ponunt in perſpicuis propoſitionibus diſtinctisque ideis, illi fortaſſis in hac de ſimplicitate definitione ſimplicitatem ipſam requirent. Lectori enim nondum dilucet, quid Pl. Rev. Autor intellexerit per *doctrinæ ſinceritatem*, per *ſinceritatem permiſtam & impermiſtam*, per *veritatem nudam & veſtitam*, per *ſubtilitatem falſam, vanam, ſuſpectam*, per *uſum rationis tempeſtivum*, per *uſum Philoſophiæ moderatum & immoderatum*, per *errores ex ſubtilitate falſa originem trahentes*, per *Philoſophiam optimam*. Multa latent hic involuta. Diſtinguitur deinde ſubtilitas ſolida a falſa, ita tamen, ut de poteſtate vocum haud conſtet. Si quid conjectare licet, Autor eis exprobrat ſubtilitatem falſam, vanam, atque ſuſpectam, qui reſpuunt definitionum

por-

Digitized by Google

portenta, ordinemque tractandi obſcurum ac involutum; e contrario autem amant definitiones, quæ ſunt nil niſi *idearum completarum* declarationes: certos vocabulorum exigunt ſignificatus: idque præponendum volunt, quod inſervit poſterioribus demonſtrandis, ne lector vel auditor per circulum circumagatur. At nolumus conjecturam noſtram latius perſequi. Communicamus potius definitionem ſimplicitatis doctæ, ita inſtitutam: *Docta ſimplicitas eſt nihil aliud,* Pag. 2.
quam ſolidiſſima ἀκριβείας medulla ac centrum, ita, ut totus perſuadear, multorum contra Scepticiſmum merita majora fuiſſe exſtitura, ſi tanta cum ſoliditate ſcripſiſſent, quantam P. Baylius, *recentiorum Scepticorum oraculum, præ ſe ferebat.* Exponit is deinde uſum fructumque hujus ſimplicitatis doctæ adverſus Scepticos in atheiſmum pronos. Credit, in ſacris literis *Pſ. XCIV, 8 ſeq.* & *Rom. I, 19, 20, citra ſubtilitatem totius Phyſicæ atque Metaphyſicæ vim ſapientiæ unitam per palladia contra atheos exhiberi.* An ſacrarum literarum teſtimoniis ad atheos convincendos utendum ſit, alii diſputarunt. Argumenta vocat ſubtilia Autor, quæ contra 3.
atheos ab origine mundi, a finibus rerum, ab origine mentium humanarum, a ſyſtemate atheorum ad noſtrum comparato, & aliunde, ducuntur. Providentiam Dei per doctam ſuam ſimplicitatem ita propugnat: *Quia Deus in mundo præſens eſt, præſens audit & videt, &, quia audit & videt mundum, ſpeciatim homines, ſpeciali Dei providentia ſummopere indigentes, ea indignos cenſere nequit. Quin docta illa ſimplicitas addit monetque, quod univerſorum hominum naturalis conſcientia* (ni dormiat in nonnullis) *per cogitationes accuſantes & excuſantes juſtam & benignam providentiam teſtetur, & quod preces, ad quas univerſi homines, ad anguſtias redacti, omni tempore confugerunt, omnipotentis providentiæ argumenta ſint.* Videmus itaque, doctam ſimplicitatem in eis eloquendis eſſe æque occupatam ac magis apodictica methodus. Apparet proinde, doctæ ſimplicitatis objecta eſſe argumenta, plane & citra calamiſtra oratoria ac citra apodicticam catenam propoſita. Omnipræſentiam Dei

Digitized by Google

deinde illuſtrat Autor ex natura animæ humanæ, quæ non in uno puncto cerebri, ſed in punctis illius diverſis, ſenſionem capit & exercet. En ejus verba: *Docta ſimplicitas, difficultatem qualemcunque, omnipræſentiæ Dei oppoſitam, longiſſime abeſſe a contradictione, vel inde probat, quod anima humana, quæ eſt Deitatis ſpeculum, in extenſo præſens vere ſit.* Addit deinde, eum, qui omnipræſentiam Dei neget, *eum facere inermem, nec videntem, nec audientem omnia.* Quod quidem nobis ſic eſſe haud videtur. Si quis enim omniſcientiam & omnipotentiam Dei admittit, ſed de omnipræſentia ejus ἀδιαςάτῳ dubitat, aut eam in omni-operationem convertit, is nec Deum facit inermem, nec eum habet pro tali, qui nec videat, nec audiat omnia. Mallemus quoque, Autor indicaſſet, quid per præſentiam ac omnipræſentiam ſubſtantiæ ſimplicis in extenſo intelligat, ac obſervationem communicaſſet, qua convincere alios liceat, *animam humanam operari & ſentire non in puncto, ſed in punctis.* Ab hac enim obſervatione pendet determinatio commercii humanæ animæ cum corpore organico, cum ipſa conjuncto. Simul ac vero obſervationem illam, quam alii ad vitia ſubreptionis referunt, protulit, ſubjungit hæc: *En demonſtrationem a priori, quod omnipræſentia Dei non involvat contradictionem!* Addit deinde: *An is, qui omnia creavit & conſervat, abeſſe ab ulla re poteſt? An illi, qui omnium mentium lux eſt, cogitatio quædam noſtra abſcondita eſt?* Sperat deinde, eos, qui de ſpeciali providentia Dei inique ſentiunt, daturos, *Deum omnia creaſſe, adeoque tempore ſaltem creationis omnipræſentem fuiſſe.* Alii autem oſtendere laborant, creationem primam eveniſſe citra intervallum moraſque per eductionem ejus, quæ poterat exiſtere, momentaneam in actum. In puncto itaque creationis nullum collocari poteſt tempus. Quæſtio omnis videtur eo redire, 1) an omnipræſentia ἀδιάςατος e Philoſophiæ penetralibus poſſit demonſtrari; 2) an ea duntaxat e ſacris literis ſit ſuſcipienda ac haurienda; 3) an omnipræſentia ἀδιάςατος ſit conjuncta cum diffuſione ſui; 4) an ea repugnet eſſentiæ Dei ſimpli-

Pag. 4.

Digitized by Google

ſimpliciſſimæ; 5) an Deus omniſcius & omnipotens debeat ἀδιαςάτως adeſſe rebus, in quibus & quas operatur, quasque conſervat. Certi ſumus, Theologos dudum rem ipſam ſatis evolviſſe, poſſe tamen nonnulla momenta diſtinctius tractari. Redimus ad Noſtrum, animadvertentes, ipſum credere, dari æternam hominum vitam, eo quod *exiſtat communis hominum ſtimulus perfectiſſimæ felicitatis.* Li- Pag. 5.
bertatem deſcribit vel definit per *facultatem eligendi ſeu agendi, ut libet.* Alii hanc facultatem vocant arbitrium, & libertatem habent pro facultate bonum agnitum expetendi, ac ei congruenter agendi. Libertatis applicationem arbitriique uſum utique nos decet diſtinguere ab idea abſtracta, quam de arbitrio & libertate tenemus. Effectum certe ſine cauſa & ratione ſufficienti ponere haud licet. Autor inficiatur, *mentem ad utrumque oppoſitorum æqualiter propendere*, quo ipſo admittit rationem, cur potius in unam, quam alteram, ſentiendi expetendique vel averſandi partem ſit in dato caſu proclivis. Exiſtere leges naturales, (i. e. morales, ex lumine naturæ demonſtrabiles,) ipſe ita comprobat: *Dantur principia quædam theoretica ac* 6.
practica, per ſe nota, a nobis non pendentia, adeoque mutationi per homines non obnoxia, quorum ſenſu tota mortalium familia omni ſeculo & loco ita tacta eſt, ut iis, vellet nollet, aſſenſum præberet. Nobis vero videtur pace Pl. Rev. Autoris, ſimplicitatem doctam, cui hoc argumentandi genus refertur acceptum, ſibi arrogare omniſcientiam & καρδιογνωσίαν, remque ſummæ facilitatis in labyrinthos inextricabiles diffuſiſſimosque conjicere. Cui enim hominum innotuit 1) id, quod in animis hominum geritur & repræſentatur? 2) quid omni ſeculo & omni loco homines intra ſeſe ſenſerint? 3) an ficulna & tenebroſiſſima quorundam pectora attenderint ad ea, quæ ad ipſorum felicitatem pertinent? 4) an athei theoretici, ad tempus tales, aſſenſum præbuerint principiis legum iſtarum, earumque veritati? Dolendum ſane, haud exſtare monumenta hiſtorica de facie conſcientiarum, quibus gaviſæ fuerunt gentes, familiæ, & ſingulorum animæ. Gratias Deo agimus, quod reſtant argumenta bre-

breviora, planiora, & ad aſſenſum alliciendum expugnandumque accommodatiora. Poſtquam vero Autor docuerat, quantopere docta ſimplicitas ex opinione ſua de atheis triumphet, progreditur ad ſimplicitatis doctæ victorias, de Deiſtis ac Naturaliſtis reportandas. Hoſce vocat *Scepticos noſtros*, quamvis Naturaliſtas a Scepticis alii ſollicite diſtinguant. Contra hos propugnandam docet religionis Chriſtianæ veritatem eisdem argumentis, quibus divina ſacrarum literarum origo demonſtratur. Utramque igitur monet demonſtrari per prophetiam futurorum contingentium, eventu comprobatam, & miracula olim facta, faſſus tamen, ad **θεοπνευστίαν** omnium Scripturæ S. librorum atque verborum vindicandam, itemque ad canonem Scripturæ S. accurate definiendum, alia adhuc & plura argumenta requiri. Id quoque eximii habet, quod ſtatuat, *ex lumine naturali haud agnoſci revelationis neceſſitatem*, idque a *Paulo 1 Cor. I, 21*, ſignificari. Si id recolimus animo, quod Autor ex deſiderio felicitatis, hominibus innato, derivaverit certam ſpem vitæ æternæ, non poſſumus, quin credamus, ipſum ex lumine rationis obſtrictum eſſe ad admittenda adminicula, quibus ad vitam æternam perveniri poteſt. Qui hoc ipſum expendunt, non poſſunt non largiri, rationi humanæ conſtare de revelationis divinæ neceſſitate. Hoc quoque conſtat rationi, revelationem illam 1) Theologiæ naturali, aliisque veritatibus, naturaliter cognitis, haud contradicere; 2) ſupplere cognitionem naturalem, ideoque myſteria continere; 3) felicitatem ſempiternam ob oculos ponere; 4) inde ab ea ætate, qua homines nobis fuere ſimiles ratione corruptelæ innatæ, 5) ac univerſis gentibus, earumque animæ, eſſe accommodatam; 6) ipſam eſſe unicam; 7) ejusque ſingula criteria in ſacras literas noſtras quadrare. Hæc argumentandi ratio Deiſtam ex propriis principiis ac lumine rationis convincit. Sin vero ex lumine naturali haud agnoſcitur revelationis neceſſitas, is, qui ultra hoc lumen non ſapit, argumentis externis, eisque apodicticis, ad revelationem agnoſcendam deduci haud poteſt, ac tum *docta ſimplicitas* in eis proferendis fruſtra deſudat, ſiquidem Chriſtianis nondum in eo convenit, an miracula

Pag. 7.

racula, per ſeſe conſiderata, poſſint argumenta haberi ve-
ritatis credendorum ac agendorum a Chriſtiano, & argu-
menta, ex hiſtoricis petita, requirunt homines doctos & fi-
dei hiſtoricæ judices peritos. *Subtilitatem* Autor adeo non Pag. 8.
damnat, ut potius aperte fateatur, eam ad ſolvenda ſophiſ-
mata interdum (quidni ſæpius?) requiri. Relativa idea,
quam Autor de docta ſimplicitate animo informavit, ex *pag.*
10 elucet, ubi hæc leguntur: *Quamvis divina origo religio-
nis Chriſtianæ ex genuinis paſſim fundamentis repetita & do-
cte vindicata ſit; tamen hic ſaltem omnem mihi (aut doctæ
potius ſimplicitati) materiam nondum præreptam eſſe ſentio.*
Exponit deinde argumenta, quibus Patres Eccleſiæ Seculo- 11.
rum a C. N. primorum veritatem religionis Chriſtianæ pro-
poſuerunt, e. g. ex miraculis Jeſu, ex prophetia Vet. Teſta-
menti, ex chariſmatibus primitivæ Eccleſiæ, ex neceſſitate re-
conciliationis hominum cum Deo, & aliunde, deducta. Quid
vero de hiſce Autor ſentit? Ipſe ita: *Ex religionis Chriſtianæ* 12.
*excellentia & medio reconciliationis patefacto non tam clare &
neceſſario fluit ejus divinitas, quam ex prophetia V. T. &
miraculis N. T. Unde parum abeſt, quin affirmem, opti-
mos Patres aliquo modo commiſcuiſſe ea, quæ ad adverſario-
rum præparationem pertinebant, cum iis argumentis, qui-
bus convictio eorundem continebatur.* Nobis vero pace Viri
Pl. Rev. videntur illa Patrum argumenta eſſe evidentiora eis,
quæ vaticiniis de futuris contingentibus, & miraculis olim
factis, abſolvuntur. Illa enim religio utique eſt illa unica
divinitus revelata, quæ genuinum felicitatis ſempiternæ con-
ſequendæ adminiculum continet, quod in perfectiones Dei,
miſeriam hominis, & utriuſque habitudinem, optime quadrat.
Illa enim religio eſt vera, quæ præſentiſſimis miraculis, cha-
riſmatibus Spiritus ſancti, effulget, ſiquidem ſolus Deus ef-
ficere poteſt miracula, quibus mendacia & impoſturas certe
confirmabit nunquam. Idem judicium fert Autor de exter-
nis interniſque notis credibilitatis ſacrarum literarum, a
Joanne Muſæo in *Introductione ad Theologiam P. II Cap. V
ag. 303 ſeq.* allatis. Deſiderat deinde nonnihil in *Jo. Franc.*

Digitized by Google

Buddeo, qui *Inſtitut. Theol. Dogmat. Lib. I Cap. 2 §. 15* deduxerit veritatem religionis Chriſtianæ a formali ſacræ Scripturæ parte, ſcilicet a *veritate*, *ſanctitate*, & *ſufficientia* ejus.
Pag. 15. Deiſta utique hic exceptionem petitionis principii opponet, ſiquidem de veritate geſtorum ante diluvium *Noachi*, & de myſteriis, rationi, ſibi relictæ, nihil conſtat. At, ſi quid judicamus, veritas illa conſtabit ex perpetuo nexu, quo reliquæ Bibliorum partes myſteriis illis ac antiquiſſimis rebus geſtis egregie cohærent. Adde, antediluviana ex Fragmento Phœnicii *Sanchoniathonis*, commemorationibus Mythologorum, & ruderibus diluvii intra regnum minerale, ita confirmari, ut nihil ſolidi obmovere poſſit ſimplex credulitas, vel moroſus ſcepticiſmus, ſimplicitati doctæ. S. Rev. *Joach. Langius* in *Cauſa Dei adverſus Naturaliſmum* diſtinxit characteres præſtantiæ & divinitatis ſacrarum literarum.
16. Nihilo minus Autor credit, ipſum inter characteres divinitatis poſuiſſe nonnullos, qui præſtantiam comprobent, haud æque divinitatem, e. g. *myſteria ſalutis ingenio humano ſuperiora*, *harmoniam credendorum & agendorum admirandam*, &c. Nobis liceat diſtinguere inter argumenta, quibus ſolitariis magnum ineſt ad convictionem pondus, & inter argumenta, quæ eam adjuvant & corroborant intra demonſtrationis nexum. Ad hæc, non illa, referimus merito argumentum *Langii* utrumque. Faſtidit Autor argumenta, ex principiis rationis deducta. Notat *Joannem Conybearium*, Anglum, qui unicum characterem revelatæ religionis, ſcilicet miracula, retinuit.
17. Ipſe autem argumenta illa dividit in domeſtica & externa, quorum illa ſint duplicis generis: alia, e quibus θεοπρέπεια, veritas, ſanctitas, & excellentia, pateſcat; alia, ex quibus divina religionis aut Scripturæ origo immediate fluat. Externa dicit ea, quæ aliunde, quam ex penu Scripturæ S., majorem ſaltem partem, deſumuntur, ſeſeque aut inſtar effectuum, aut inſtar adjunctorum, religionis Chri-
19. ſtianæ ſive Scripturæ S. habent. Ad adjuncta refert antiquitatem, teſtimonium Eccleſiæ, propagationem Eccleſiæ ejusque conſervationem, & martyrum conſtantiam. Optima demonſtra-

monſtratio deſumitur ex vi Spiritus ſancti in animis fidelium.
Hæc enim ſola perſiſtit in omnibus humanæ rationis procel-
lis ac fluctuationibus. Sed ita veritas jam in ſubjecti emenda-
tionem, & fidem ejus divinam, tranſiit. At vero ad obtenta-
tos & ſcepticos ac infideles convincendos demonſtrationibus
quoque externis eſt opus. Hanc diſtinctionem accurate Au-
tor inculcat. *Paulus* Athenienſibus Theologiam naturalem & Pag. 23 ſeq.
veritatem reſurrectionis Chriſti proponit *Actor. XVII, 34 ſeq.*
Neceſſitatem & utilitatem revelationis copioſe evincit adver-
ſus *Tyndalium* ejusque aſſectatores, additque conformitatem
ejus cum ſana ratione. Vindicat deinde myſteria religionis 30.
Chriſtianæ, licet ſupra rationem poſita, nempe trinitatem,
incarnationem, & alia. Ipſe ſeſe putat clare pervidere, *Ho-
merum Odyſſea Lib. XVII* nihil aliud ac obſcuram recenſio-
nem apparitionum divinarum, a *Moſe* deſcriptarum, memo-
riæ prodidiſſe. Vindicias tum affert argumenti, a prophetiis 37.
deſumti, oſtendens, obſcuritatem quandam eis haud eſſe da-
mno, *Danielis* vaticinia fide ſua conſtare, licet *Collinſius* eis
inſultare haud erubuerit, vaticinia, in V. T. de Chriſto ob-
via, non pati Judaicam accommodationem, ſed ſignificare
doctrinas de Meſſia claras. Meditatur ipſe Commentationem 41.
de divino Mediatore noſtro, fuſius in ea oſtenſurus vim de-
monſtrationis, qua Chriſtus & Apoſtoli, ad Prophetas provo-
cantes, uſi ſunt, accommodationi Judaicæ repugnante. Hinc
profert vindicias argumenti, a miraculis Chriſti & Apoſtolo-
rum deſumti, adverſus *Tyndalii* nugas ac deliramenta. Te-
ſtimonia diſcipulorum Chriſti a ſtrophis infrunitorum defen-
dit. Miracula autem ſigilla veritatis Chriſtianæ recte appel- 43.
lat. Hæc ad *Caput primum*. *Capite ſecundo* exponit *de imi-* 50.
*tatione doctæ ſimplicitatis, contra noſtræ etiam ætatis Scepti-
cos Naturaliſtas ſufficienti & neceſſaria*, ratus, pugnandum
eſſe contra Naturaliſtas eisdem armis & argumentis, quæ
Chriſtus & Apoſtoli adhibuerunt, nec opus eſſe ad eos re-
frænandos, principia rationis communia urgere. Credit quo- 51.
que, *nihil ſupereſſe, ut Sceptici aut religioni Chriſtianæ pro-
pter domeſtica ſua omniſcientiæ & omnipotentiæ divinæ ſigilla,*

Digitized by Google

Buddeo, qui *Inſtitut. Theol. Dogmat. Lib. I Cap. 2 §. 15* de-
duxerit veritatem religionis Chriſtianæ a formali ſacræ Scri-
pturæ parte, ſcilicet a *veritate*, *ſanctitate*, & *ſufficientia* ejus.
Pag. 15. Deiſta utique hic exceptionem petitionis principii opponet,
ſiquidem de veritate geſtorum ante diluvium *Noachi*, & de
myſteriis, rationi, ſibi relictæ, nihil conſtat. At, ſi quid ju-
dicamus, veritas illa conſtabit ex perpetuo nexu, quo reli-
quæ Bibliorum partes myſteriis illis ac antiquiſſimis rebus
geſtis egregie cohærent. Adde, antediluviana ex Frag-
mento Phœnicii *Sanchoniathonis*, commemorationibus My-
thologorum, & ruderibus diluvii intra regnum minerale,
ita confirmari, ut nihil ſolidi obmovere poſſit ſimplex cre-
dulitas, vel moroſus ſcepticiſmus, ſimplicitati doctæ. S. Rev.
Joach. Langius in *Cauſa Dei adverſus Naturaliſmum* diſtin-
xit characteres præſtantiæ & divinitatis ſacrarum literarum.
16. Nihilo minus Autor credit, ipſum inter characteres divinitatis
poſuiſſe nonnullos, qui præſtantiam comprobent, haud æque
divinitatem, e. g. *myſteria ſalutis ingenio humano ſuperio-
ra*, *harmoniam credendorum & agendorum admirandam*, &c.
Nobis liceat diſtinguere inter argumenta, quibus ſolitariis
magnum ineſt ad convictionem pondus, & inter argumen-
ta, quæ eam adjuvant & corroborant intra demonſtrationis
nexum. Ad hæc, non illa, referimus merito argumentum
Langii utrumque. Faſtidit Autor argumenta, ex principiis
rationis deducta. Notat *Joannem Conybearium*, Anglum,
qui unicum characterem revelatæ religionis, ſcilicet mira-
17. cula, retinuit. Ipſe autem argumenta illa dividit in domeſti-
ca & externa, quorum illa ſint duplicis generis: alia, e qui-
bus θεοπρέπεια, veritas, ſanctitas, & excellentia, pateſcat;
alia, ex quibus divina religionis aut Scripturæ origo imme-
diate fluat. Externa dicit ea, quæ aliunde, quam ex penu
Scripturæ S., majorem ſaltem partem, deſumuntur, ſeſeque
aut inſtar effectuum, aut inſtar adjunctorum, religionis Chri-
19. ſtianæ ſive Scripturæ S. habent. Ad adjuncta refert antiqui-
tatem, teſtimonium Eccleſiæ, propagationem Eccleſiæ ejus-
que conſervationem, & martyrum conſtantiam. Optima de-
monſtra-

Digitized by Google

monſtratio deſumitur ex vi Spiritus ſancti in animis fidelium.
Hæc enim ſola perſiſtit in omnibus humanæ rationis procel-
lis ac fluctuationibus. Sed ita veritas jam in ſubjecti emenda-
tionem, & fidem ejus divinam, tranſiit. At vero ad obtenta-
tos & ſcepticos ac infideles convincendos demonſtrationibus
quoque externis eſt opus. Hanc diſtinctionem accurate Au-
tor inculcat. *Paulus* Athenienſibus Theologiam naturalem & Pag. 23 ſeq.
veritatem reſurrectionis Chriſti proponit *Actor. XVII, 34 ſeq.*
Neceſſitatem & utilitatem revelationis copioſe evincit adver-
ſus *Tyndalium* ejusque aſſectatores, additque conformitatem
ejus cum ſana ratione. Vindicat deinde myſteria religionis 30.
Chriſtianæ, licet ſupra rationem poſita, nempe trinitatem,
incarnationem, & alia. Ipſe ſeſe putat clare pervidere, *Ho-
merum Odyſſea Lib. XVII* nihil aliud ac obſcuram recenſio-
nem apparitionum divinarum, a *Moſe* deſcriptarum, memo-
riæ prodidiſſe. Vindicias tum affert argumenti, a prophetiis 37.
deſumti, oſtendens, obſcuritatem quandam eis haud eſſe da-
mno, *Danielis* vaticinia fide ſua conſtare, licet *Collinſius* eis
inſultare haud erubuerit, vaticinia, in V. T. de Chriſto ob-
via, non pati Judaicam accommodationem, ſed ſignificare
doctrinas de Meſſia claras. Meditatur ipſe Commentationem 41.
de divino Mediatore noſtro, fuſius in ea oſtenſurus vim de-
monſtrationis, qua Chriſtus & Apoſtoli, ad Prophetas provo-
cantes, uſi ſunt, accommodationi Judaicæ repugnante. Hinc
profert vindicias argumenti, a miraculis Chriſti & Apoſtolo-
rum deſumti, adverſus *Tyndalii* nugas ac deliramenta. Te-
ſtimonia diſcipulorum Chriſti a ſtrophis infrunitorum defen-
dit. Miracula autem ſigilla veritatis Chriſtianæ recte appel- 43.
lat. Hæc ad *Caput primum*. *Capite ſecundo* exponit *de imi-* 50.
*tatione doctæ ſimplicitatis, contra noſtræ etiam ætatis Scepti-
cos Naturaliſtas ſufficienti & neceſſaria*, ratus, pugnandum
eſſe contra Naturaliſtas eisdem armis & argumentis, quæ
Chriſtus & Apoſtoli adhibuerunt, nec opus eſſe ad eos re-
frænandos, principia rationis communia urgere. Credit quo- 51.
que, *nihil ſupereſſe, ut Sceptici aut religioni Chriſtianæ pro-
pter domeſtica ſua omniſcientiæ & omnipotentiæ divinæ ſigilla,*

Videmur nobis a ratione humana plus juſto petere, ſi volumus, ut ea exiſtimet, unum phyſicum poſſe exiſtere ex duabus rebus, quæ modo per nexum metaphyſicum copulatæ ſunt. Dolendum ſane, doctos ipſos doctrinam de Deo ſaluberrimam ſæpius confudiſſe & intricaſſe, adeo, ut *Cicero* querulus ſcri-
Pag. 115. pſerit: *Cogimur diſſenſione ſapientum dominum noſtrum ignorare.* Eos, qui hiſtoriam atheiſmi ſcripſere, credit plus operæ & ardoris ſæpius impendiſſe, quam res ipſa exigat.
116. Statum imperfectionis illuſtrat porro diſſenſionibus mortalium de indole & momentis officiorum, earumque non unas
123. recenſet. Admiratur tamen, homines fuiſſe perſpicaciſſimos in adminiculis vitæ humanæ tuendæ & conſervandæ inveniendis. Enumerat deinde labem & imperfectionem, quacum conflictamur, dum volumus, dum rerum delectui operam damus, dum eligimus ex rationibus variis, voluntatem afficientibus. Peccatum inſedit tam altis radicibus defixum, ut homo de vera ſalute per ſe ſit incurius, emendationis & increpationis ſit impatiens, cupiditates dominas ſequatur incautus, ſenſionibusque indulgeat corpori ſtatuique præſenti gratis, e. g. magnis ſocietatibus, ludis variis, comœdiis, ſaltationibus, larvarum ſimulacris, venationibus, aliisque oculorum deliciis. Addit de hiſce hoc judi-
137. cium: *Dici haud poteſt, animam per haſce delicias ne tantillo quidem emendari poſſe.* Recenſet deinde oblectamenta oculorum, carnis, & arrogantiæ, quibus mortales ſibi relicti
149. litant. Refellit hominum molliculorum opinionem de reſtituendis ad vitam æternam cacodæmonibus, eorumque aſſeclis, quam carni gratam, ideoque aſſectatoribus placere multis, pronuntiat. Obiter notat quoque *Dippelii* aliorumque errores, qui ſyſtema ſubſtitutionis conantur labefactare. Felicitatem hujus vitæ pari & acquiri per obſervationem legis
178. naturæ, cum Cel. *Chriſtiano Wolfio* præcipit, & nil, niſi beatitudinem hominis ſempiternam, promovere ſtudet & amplificare. Dedimus hæc ſpeciminis loco, Lectorem ad amœna hæc animarum attentarum vireta remittentes.

D. J O.

Digitized by Google

D. JOACHIMI OPORINI, IN ACADEMIA Georgia Auguſta Profeſſoris Theologiæ Ord. Commentatio theologica de Uſu doctæ ſimplicitatis contra Scepticos, in qua primum efficacia illius in demonſtranda & vindicanda religionis Chriſtianæ divina origine explicatur; deinde imitatio hujus doctæ ſimplicitatis contra noſtræ etiam ætatis Scepticos tanquam ſufficiens & neceſſaria commendatur; denique præſtantia ejusdem præ nova Viri Cl. M. JAC. CARPOVII ſubtilitate contra Scepticos illuſtratur.

Gottingæ, apud Jo. Mich. Fritſch, 1739, 4.

Plag. 12.

Quemadmodum omnis tractatio acroamatica a definitione, determinatoque vocum primariarum uſu, debet proficiſci, ne ipſa, in controverſiis refellendis occupata, cum larvis umbrisque colluctetur; ità etiam, de docta ſimplicitate acturus, prius doceat, neceſſum eſt, quid per ipſam intelligat, quam ad exagitandas illas doctrinas, quibuscum ea videtur conciliari haud poſſe, deſcendat. Simplicitas autem ponitur vel in vitio, vel in virtute, capiturque vel grammatice pro eo, *quod nil admiſti, nil peregrini, habet*, vel theologice & philoſophice per eam *facultatem, qua quis nihil amplius ad rei demonſtrationem affert, quam ſcopus requirit.* Cum vero ſcopus evadat varius pro diverſitate lectorum vel auditorum, is certe non eſt unicus in ſpecialibus doctrinis, licet non poſſit a convincente methodo, & determinato vocum uſu, unquam ſeparari. Demonſtratio autem illa eſt vel theoretica, vel practica; illa propoſitionibus innititur, hæc exercitio ſolidæ virtutis ac pietatis eſt æſtimanda. Stili indoles, ad priorem accommodata, vocatur *ſimplicitas orationis.* Methodus, qua quis ſcopo vel generali, vel ſpeciali, qui in aliis convincendis ac corroborandis eſt poſitus, ſatisfacit, vocatur *ſimplicitas ordinis & œconomiæ logicæ.* Si ſimplicitati ordinis acceſſerit ſimplicitas orationis, & huic præluxerit illa, omnia ſeſe recte habent. Nulla de hiſce eſt

pugna, nihil ſupereſt controverſiæ. At, ſimul ac ad inveſtigationem doctrinarum & ad ſimplicitatem in hoc vel illo capite articuloque tractationum oſtendendam progreſſi fuerimus, neminem Doctorum ac Profeſſorum facile inveniemus, cui non ſua arrideat præcipue ratio tractandi, demonſtrandi, refellendi, eloquendi, ſcribendique, velut altera Diana, prouti honor, ambitio, applauſus cupiditas, lucrique bonus odor, quemque retinent & conſtrictum habent. Multis ſua ſic placent, ut diverſa ſordeſcant, & refutationibus videantur digna. S. Rev. Autor inprimis id agit, ut ſubtilitates minus ſolidas evertat, quibus noſtræ ætatis homines ex parte indulgent ad demonſtranda ea, de quibus nemo dubitat, vel ad intricanda & in perplexum propellenda ea, de quibus nemini eſt dubitandum. Ex definitione, quam de ſimplicitate theologica dedit, illico intelligimus, quantum a genuina methodo & purgatiori Philoſophia ſit ipſe inſtructus. *Simplicitas eſt*, hoc judice, *impermiſta doctrinæ ſinceritas, quæ veritatem ſacram nudam explicat aut propugnat, poſthabita partim ſubtilitate falſa, multorum errorum matre, excluſoque rationis ac Philoſophiæ abuſu; partim etiam rejectis ſubtilitatis vanæ & ſuſpectæ ambagibus, imo omni intempeſtivo atque immoderato rationis atque Philoſophiæ, ceteroqui optimæ, uſu eliminato.* Qui ſimplicitatem ponunt in perſpicuis propoſitionibus diſtinctisque ideis, illi fortaſſis in hac de ſimplicitate definitione ſimplicitatem ipſam requirent. Lectori enim nondum dilucet, quid Pl. Rev. Autor intellexerit per *doctrinæ ſinceritatem*, per *ſinceritatem permiſtam & impermiſtam*, per *veritatem nudam & veſtitam*, per *ſubtilitatem falſam, vanam, ſuſpectam*, per *uſum rationis tempeſtivum*, per *uſum Philoſophiæ moderatum & immoderatum*, per *errores ex ſubtilitate falſa originem trahentes*, per *Philoſophiam optimam.* Multa latent hic involuta. Diſtinguitur deinde ſubtilitas ſolida a falſa, ita tamen, ut de poteſtate vocum haud conſtet. Si quid conjectare licet, Autor eis exprobrat ſubtilitatem falſam, vanam, atque ſuſpectam, qui reſpuunt definitionum

por-

Digitized by Google

portenta, ordinemque tractandi obſcurum ac involutum; e contrario autem amant definitiones, quæ ſunt nil niſi *idearum completarum* declarationes: certos vocabulorum exigunt ſignificatus: idque præponendum volunt, quod inſervit poſterioribus demonſtrandis, ne lector vel auditor per circulum circumagatur. At nolumus conjecturam noſtram latius perſequi. Communicamus potius definitionem ſimplicitatis doctæ, ita inſtitutam: *Docta ſimplicitas eſt nihil aliud, quam ſolidiſſima ἀκριβείας medulla ac centrum, ita, ut totus perſuadear, multorum contra Scepticiſmum merita majora fuiſſe exſtitura, ſi tanta cum ſoliditate ſcripſiſſent, quantam P.* Baylius, *recentiorum Scepticorum oraculum, præ ſe ferebat.* Exponit is deinde uſum fructumque hujus ſimplicitatis doctæ adverſus Scepticos in atheiſmum pronos. Credit, in ſacris literis *Pſ. XCIV, 8 ſeq.* & *Rom. I, 19, 20, citra ſubtilitatem totius Phyſicæ atque Metaphyſicæ vim ſapientiæ unitam per palladia contra atheos exhiberi.* An ſacrarum literarum teſtimoniis ad atheos convincendos utendum ſit, alii diſputarunt. Argumenta vocat ſubtilia Autor, quæ contra atheos ab origine mundi, a finibus rerum, ab origine mentium humanarum, a ſyſtemate atheorum ad noſtrum comparato, & aliunde, ducuntur. Providentiam Dei per doctam ſuam ſimplicitatem ita propugnat: *Quia Deus in mundo præſens eſt, præſens audit & videt, &, quia audit & videt mundum, ſpeciatim homines, ſpeciali Dei providentia ſummopere indigentes, ea indignos cenſere nequit. Quin docta illa ſimplicitas addit monetque, quod univerſorum hominum naturalis conſcientia* (ni dormiat in nonnullis) *per cogitationes accuſantes & excuſantes juſtam & benignam providentiam teſtetur, & quod preces, ad quas univerſi homines, ad anguſtias redacti, omni tempore confugerunt, omnipotentis providentiæ argumenta ſint.* Videmus itaque, doctam ſimplicitatem in eis eloquendis eſſe æque occupatam ac magis apodictica methodus. Apparet proinde, doctæ ſimplicitatis objecta eſſe argumenta, plane & citra calamiſtra oratoria ac citra apodicticam catenam propoſita. Omnipræſentiam Dei

Pag. 2.

3.

Digitized by Google

deinde illuſtrat Autor ex natura animæ humanæ, quæ non in uno puncto cerebri, ſed in punctis illius diverſis, ſenſionem capit & exercet. En ejus verba: *Docta ſimplicitas, difficultatem qualemcunque, omnipræſentiæ Dei oppoſitam, longiſſime abeſſe a contradictione, vel inde probat, quod anima humana, quæ eſt Deitatis ſpeculum, in extenſo præſens vero ſit.* Addit deinde, eum, qui omnipræſentiam Dei neget, *eum facere inermem, nec videntem, nec audientem omnia.* Quod quidem nobis ſic eſſe haud videtur. Si quis enim omniſcientiam & omnipotentiam Dei admittit, ſed de omnipræſentia ejus ἀδιαςάτῳ dubitat, aut eam in omni-operationem convertit, is nec Deum facit inermem, nec eum habet pro tali, qui nec videat, nec audiat omnia. Mallemus quoque, Autor indicaſſet, quid per præſentiam ac omnipræſentiam ſubſtantiæ ſimplicis in extenſo intelligat, ac obſervationem communicaſſet, qua convincere alios liceat, *animam humanam operari & ſentire non in puncto, ſed in punctis.* Ab hac enim obſervatione pendet determinatio commercii humanæ animæ cum corpore organico, cum ipſa conjuncto. Simul ac vero obſervationem illam, quam alii ad vitia ſubreptionis referunt, protulit, ſubjungit hæc: *En demonſtrationem a priori, quod omnipræſentia Dei non involvat contradictionem!* Addit deinde: *An is, qui omnia creavit & conſervat, abeſſe ab ulla re poteſt? An illi, qui omnium mentium lux eſt, cogitatio quædam noſtra abſcondita eſt?* Sperat deinde, eos, qui de ſpeciali providentia Dei inique ſentiunt, daturos, *Deum omnia creaſſe, adeoque tempore ſaltem creationis omnipræſentem fuiſſe.* Alii autem oſtendere laborant, creationem primam eveniſſe citra intervallum morasque per eductionem ejus, quæ poterat exiſtere, momentaneam in actum. In puncto itaque creationis nullum collocari poteſt tempus. Quæſtio omnis videtur eo redire, 1) an omnipræſentia ἀδιάςαλος e Philoſophiæ penetralibus poſſit demonſtrari; 2) an ea duntaxat e ſacris literis ſit ſuſcipienda ac haurienda; 3) an omnipræſentia ἀδιάςατος ſit conjuncta cum diffuſione ſui; 4) an ea repugnet eſſentiæ Dei ſimpli-

ſimpliciſſimæ; 5) an Deus omniſcius & omnipotens debeat *ἀδιαςάτως* adeſſe rebus, in quibus & quas operatur, quasque conſervat. Certi ſumus, Theologos dudum rem ipſam ſatis evolviſſe, poſſe tamen nonnulla momenta diſtinctius tractari. Redimus ad Noſtrum, animadvertentes, ipſum credere, dari æternam hominum vitam, eo quod *exiſtat communis hominum ſtimulus perfectiſſimæ felicitatis.* Libertatem deſcribit vel definit per *facultatem eligendi ſeu agendi, ut libet.* Alii hanc facultatem vocant arbitrium, & libertatem habent pro facultate bonum agnitum expetendi, ac ei congruenter agendi. Libertatis applicationem arbitriique uſum utique nos decet diſtinguere ab idea abſtracta, quam de arbitrio & libertate tenemus. Effectum certe ſine cauſa & ratione ſufficienti ponere haud licet. Autor inficiatur, *mentem ad utrumque oppoſitorum æqualiter propendere,* quo ipſo admittit rationem, cur potius in unam, quam alteram, ſentiendi expetendique vel averſandi partem ſit in dato caſu proclivis. Exiſtere leges naturales, (i. e. morales, ex lumine naturæ demonſtrabiles,) ipſe ita comprobat: *Dantur principia quædam theoretica ac practica, per ſe nota, a nobis non pendentia, adeoque mutationi per homines non obnoxia, quorum ſenſu tota mortalium familia omni ſeculo & loco ita tacta eſt, ut iis, vellet nollet, aſſenſum præberet.* Nobis vero videtur pace Pl. Rev. Autoris, ſimplicitatem doctam, cui hoc argumentandi genus refertur acceptum, ſibi arrogare omniſcientiam & *καρδιογνωσίαν*, remque ſummæ facilitatis in labyrinthos inextricabiles diffuſiſſimosque conjicere. Cui enim hominum innotuit 1) id, quod in animis hominum geritur & repræſentatur? 2) quid omni ſeculo & omni loco homines intra ſeſe ſenſerint? 3) an ficulna & tenebroſiſſima quorundam pectora attenderint ad ea, quæ ad ipſorum felicitatem pertinent? 4) an athei theoretici, ad tempus tales, aſſenſum præbuerint principiis legum iſtarum, earumque veritati? Dolendum ſane, haud exſtare monumenta hiſtorica de facie conſcientiarum, quibus gaviſæ fuerunt gentes, familiæ, & ſingulorum animæ. Gratias Deo agimus, quod reſtant argumenta bre-

Pag. 5.
6.

breviora, planiora, & ad aſſenſum alliciendum expugnandumque accommodatiora. Poſtquam vero Autor docuerat, quantopere docta ſimplicitas ex opinione ſua de atheis triumphet, progreditur ad ſimplicitatis doctæ victorias, de Deiſtis ac Naturaliſtis reportandas. Hoſce vocat *Scepticos noſtros*, quamvis Naturaliſtas a Scepticis alii ſollicite diſtinguant. Contra hos propugnandam docet religionis Chriſtianæ veritatem eisdem argumentis, quibus divina ſacrarum literarum origo demonſtratur. Utramque igitur monet demonſtrari per prophetiam futurorum contingentium, eventu comprobatam, & miracula olim facta, faſſus tamen, ad θεοπνευςίαν omnium Scripturæ S. librorum atque verborum vindicandam, itemque ad canonem Scripturæ S. accurate definiendum, alia adhuc & plura argumenta requiri. Id quoque eximii habet, quod ſtatuat, *ex lumine naturali haud agnoſci revelationis neceſſitatem*, idque a *Paulo 1 Cor. I, 21*, ſignificari. Si id recolimus animo, quod Autor ex deſiderio felicitatis, hominibus innato, derivaverit certam ſpem vitæ æternæ, non poſſumus, quin credamus, ipſum ex lumine rationis obſtrictum eſſe ad admittenda adminicula, quibus ad vitam æternam perveniri poteſt. Qui hoc ipſum expendunt, non poſſunt non largiri, rationi humanæ conſtare de revelationis divinæ neceſſitate. Hoc quoque conſtat rationi, revelationem illam 1) Theologiæ naturali, aliisque veritatibus, naturaliter cognitis, haud contradicere; 2) ſupplere cognitionem naturalem, ideoque myſteria continere; 3) felicitatem ſempiternam ob oculos ponere; 4) inde ab ea ætate, qua homines nobis fuere ſimiles ratione corruptelæ innatæ, 5) ac univerſis gentibus, earumque animæ, eſſe accommodatam; 6) ipſam eſſe unicam; 7) ejusque ſingula criteria in ſacras literas noſtras quadrare. Hæc argumentandi ratio Deiſtam ex propriis principiis ac lumine rationis convincit. Sin vero ex lumine naturali haud agnoſcitur revelationis neceſſitas, is, qui ultra hoc lumen non ſapit, argumentis externis, eisque apodicticis, ad revelationem agnoſcendam deduci haud poteſt, ac tum *docta ſimplicitas* in eis proferendis fruſtra deſudat, ſiquidem Chriſtianis nondum in eo convenit, an miracula

Pag. 7.

racula

racula, per ſeſe conſiderata, poſſint argumenta haberi veritatis credendorum ac agendorum a Chriſtiano, & argumenta, ex hiſtoricis petita, requirunt homines doctos & fidei hiſtoricæ judices peritos. *Subtilitatem* Autor adeo non Pag. 8.
damnat, ut potius aperte fateatur, eam ad ſolvenda ſophiſmata interdum (quidni ſæpius?) requiri. Relativa idea, quam Autor de docta ſimplicitate animo informavit, ex *pag. 10* elucet, ubi hæc leguntur: *Quamvis divina origo religionis Chriſtianæ ex genuinis paſſim fundamentis repetita & docte vindicata ſit; tamen hic ſaltem omnem mihi (aut doctæ potius ſimplicitati) materiam nondum præreptam eſſe ſentio.*
Exponit deinde argumenta, quibus Patres Eccleſiæ Seculo- 11.
rum a C. N. primorum veritatem religionis Chriſtianæ propoſuerunt, e. g. ex miraculis Jeſu, ex prophetia Vet. Teſtamenti, ex chariſmatibus primitivæ Eccleſiæ, ex neceſſitate reconciliationis hominum cum Deo, & aliunde, deducta. Quid
vero de hiſce Autor ſentit? Ipſe ita: *Ex religionis Chriſtianæ* 12.
excellentia & medio reconciliationis patefacto non tam clare & neceſſario fluit ejus divinitas, quam ex prophetia V. T. & miraculis N. T. Unde parum abeſt, quin affirmem, optimos Patres aliquo modo commiſcuiſſe ea, quæ ad adverſariorum præparationem pertinebant, cum iis argumentis, quibus convictio eorundem continebatur. Nobis vero pace Viri Pl. Rev. videntur illa Patrum argumenta eſſe evidentiora eis, quæ vaticiniis de futuris contingentibus, & miraculis olim factis, abſolvuntur. Illa enim religio utique eſt illa unica divinitus revelata, quæ genuinum felicitatis ſempiternæ conſequendæ adminiculum continet, quod in perfectiones Dei, miſeriam hominis, & utriuſque habitudinem, optime quadrat. Illa enim religio eſt vera, quæ præſentiſſimis miraculis, chariſmatibus Spiritus ſancti, effulget, ſiquidem ſolus Deus efficere poteſt miracula, quibus mendacia & impoſturas certe confirmabit nunquam. Idem judicium fert Autor de externis interniſque notis credibilitatis ſacrarum literarum, a *Joanne Muſæo* in *Introductione ad Theologiam P. II Cap. V pag. 303 ſeq.* allatis. Deſiderat deinde nonnihil in *Jo. Franc.*

Buddeo, qui *Inſtitut. Theol. Dogmat. Lib. I Cap. 2 §. 15* deduxerit veritatem religionis Chriſtianæ a formali ſacræ Scripturæ parte, ſcilicet a *veritate*, *ſanctitate*, & *ſufficientia* ejus.
Pag. 15. Deiſta utique hic exceptionem petitionis principii opponet, ſiquidem de veritate geſtorum ante diluvium *Noachi*, & de myſteriis, rationi, ſibi relictæ, nihil conſtat. At, ſi quid judicamus, veritas illa conſtabit ex perpetuo nexu, quo reliquæ Bibliorum partes myſteriis illis ac antiquiſſimis rebus geſtis egregie cohærent. Adde, antediluviana ex Fragmento Phœnicii *Sanchoniathonis*, commemorationibus Mythologorum, & ruderibus diluvii intra regnum minerale, ita confirmari, ut nihil ſolidi obmovere poſſit ſimplex credulitas, vel moroſus ſcepticiſmus, ſimplicitati doctæ. S. Rev. *Joach. Langius* in *Cauſa Dei adverſus Naturaliſmum* diſtinxit characteres præſtantiæ & divinitatis ſacrarum literarum.
16. Nihilo minus Autor credit, ipſum inter characteres divinitatis poſuiſſe nonnullos, qui præſtantiam comprobent, haud æque divinitatem, e. g. *myſteria ſalutis ingenio humano ſuperiora*, *harmoniam credendorum & agendorum admirandam*, &c. Nobis liceat diſtinguere inter argumenta, quibus ſolitariis magnum ineſt ad convictionem pondus, & inter argumenta, quæ eam adjuvant & corroborant intra demonſtrationis nexum. Ad hæc, non illa, referimus merito argumentum *Langii* utrumque. Faſtidit Autor argumenta, ex principiis rationis deducta. Notat *Joannem Conybearium*, Anglum, qui unicum characterem revelatæ religionis, ſcilicet mira-
17. cula, retinuit. Ipſe autem argumenta illa dividit in domeſtica & externa, quorum illa ſint duplicis generis: alia, e quibus θεοπρέπεια, veritas, ſanctitas, & excellentia, pateſcat; alia, ex quibus divina religionis aut Scripturæ origo immediate fluat. Externa dicit ea, quæ aliunde, quam ex penu Scripturæ S., majorem ſaltem partem, deſumuntur, ſeſeque aut inſtar effectuum, aut inſtar adjunctorum, religionis Chri-
19. ſtianæ ſive Scripturæ S. habent. Ad adjuncta refert antiquitatem, teſtimonium Eccleſiæ, propagationem Eccleſiæ ejusque conſervationem, & martyrum conſtantiam. Optima demonſtra-

Digitized by Google

monſtratio deſumitur ex vi Spiritus ſancti in animis fidelium. Hæc enim ſola perſiſtit in omnibus humanæ rationis procellis ac fluctuationibus. Sed ita veritas jam in ſubjecti emendationem, & fidem ejus divinam, tranſiit. At vero ad obtentatos & ſcepticos ac infideles convincendos demonſtrationibus quoque externis eſt opus. Hanc diſtinctionem accurate Autor inculcat. *Paulus* Athenienſibus Theologiam naturalem & Pag. 23 ſeq.
veritatem reſurrectionis Chriſti proponit *Actor. XVII, 34 ſeq.* Neceſſitatem & utilitatem revelationis copioſe evincit adverſus *Tyndalium* ejusque aſſectatores, additque conformitatem ejus cum ſana ratione. Vindicat deinde myſteria religionis 30.
Chriſtianæ, licet ſupra rationem poſita, nempe trinitatem, incarnationem, & alia. Ipſe ſeſe putat clare pervidere, *Homerum Odyſſea Lib. XVII* nihil aliud ac obſcuram recenſionem apparitionum divinarum, a *Moſe* deſcriptarum, memoriæ prodidiſſe. Vindicias tum affert argumenti, a prophetiis 37.
deſumti, oſtendens, obſcuritatem quandam eis haud eſſe damno, *Danielis* vaticinia fide ſua conſtare, licet *Collinſius* eis inſultare haud erubuerit, vaticinia, in V. T. de Chriſto obvia, non pati Judaicam accommodationem, ſed ſignificare doctrinas de Meſſia claras. Meditatur ipſe Commentationem 41.
de divino Mediatore noſtro, fuſius in ea oſtenſurus vim demonſtrationis, qua Chriſtus & Apoſtoli, ad Prophetas provocantes, uſi ſunt, accommodationi Judaicæ repugnante. Hinc profert vindicias argumenti, a miraculis Chriſti & Apoſtolorum deſumti, adverſus *Tyndalii* nugas ac deliramenta. Teſtimonia diſcipulorum Chriſti a ſtrophis infrunitorum defendit. Miracula autem ſigilla veritatis Chriſtianæ recte appel- 43.
lat. Hæc ad *Caput primum.* *Capite ſecundo* exponit *de imi-* 50.
tatione doctæ ſimplicitatis, contra noſtræ etiam ætatis Scepticos Naturaliſtas ſufficienti & neceſſaria, ratus, pugnandum eſſe contra Naturaliſtas eisdem armis & argumentis, quæ Chriſtus & Apoſtoli adhibuerunt, nec opus eſſe ad eos refrænandos, principia rationis communia urgere. Credit quo- 51.
que, *nihil ſupereſſe, ut Sceptici aut religioni Chriſtianæ propter domeſtica ſua omniſcientiæ & omnipotentiæ divinæ ſigilla,*

 pro-

Digitized by Google

*prophetiam nimirum ac miracula, victus manus dent, aut ſe-
ſe inſanire profiteantur.* An eventus ſit judicio huic reſpon-
ſurus, admodum dubitamus. Addit: *Si per principia ratio-
nis idem felicius poſſe exiſtimamus, mire fallimur, quandoqui-
dem ex illis nihil aliud oſtendi poteſt, quam religionem Chri-
ſtianam rectæ rationi convenire, conſentire, apteque reſpon-
Pag. 52. dere. Ex qua vero religionis patefactæ, atque rationis huma-
næ, conformitate, nondum fluit, nec inde ſequitur, quod religio
a Deo ſit certo, ſed quod ab eo eſſe poſſit.* Credimus ſane,
nonnullos ſecus eſſe ſenſuros. Conjungi poſſunt commode
argumenta, disjungi non debent. Notat deinde *pruritum
53. philoſophicum demonſtrandi ſacra contra recentiores Scepticos,
qui ſit immoderatus uſus rationis & philoſophicæ ſubtilitatis
in ſacris, quo quis aut divinam religionis noſtræ originem at-
que myſteria qualibet, ſepoſita patefactione divina, tanquam
rationi ſibi relictæ humanæ ſpectata, ex principiis rationis de-
monſtrare temere audet, aut in multis etiam ultra Scripturam
S. humana, ſæpe ingenioſa, placita ſecutus, ſapere cupit.* In-
vidioſam addit de Scholaſticorum tricis increpationem, quaſi
nil niſi nugas egerint Scholaſtici, & Philoſophi ætatis no-
ſtræ philoſophentur more veterum Græciæ Philoſophorum,
ac tramitem Philoſophorum Scholaſticorum calcent. An
hic cum umbris luctetur Pl. Rev. Autor, definire non vacat.
Qui ſcripta Philoſophorum noſtræ ætatis evolvunt, fortaſſis
pruritum illum, ſuis coloribus hic adumbratum, nusquam
deprehendent. Ferre nequit definitiones rotundas Autor,
in quibus haud recenſentur tot rei propria, quot ipſi viden-
56. tur ſufficere. Eos, qui moralitatem naturalem objectivam
tuentur, omne veri nominis peccatum tollere putat, *ſiqui-
dem hoc pacto ſicarius & fur nihil quidquam peccaverit, ſed
57. imprudens fuerit.* Nota eſt illa officina, unde hæc increpatio,
toties recocta, emanet. Non incognita eſt *Joannis Clerici*
Diſſertatio *de Argumento ab invidia ducto.* Demonſtrat Au-
tor deinde neceſſitatem ſubtilitatis philoſophicæ, licet haud
diſſimulet, ſibi improbari methodum ſyntheticam, ſeu ma-
thematicam. Subtilitatis illius ſolidæ rationes ad doctam
ſim-

Digitized by Google

ſimplicitatem conformandas eſſe ſtatuit. Tum vero metho- Pag. 61.
dum ſimplicitatis doctæ it præmunitum exemplo *Pauli*, limitesque ponit, intra quo uſus Philoſophiæ, contra hodiernos ſcepticos neceſſarius, ſeſe debeat continere. Ἀπόδειξιν πνεύ- 62.
ματος, cujus *Paulus* facit mentionem *1 Cor. II*, 4, exponit per *prædictionem, tot rerum futurarum contingentium eventu clariſſimo comprobatam.* Nobis nulla apparet ratio, cur Autor unicam convictionis, a Spiritu ſancto profectæ, ſpeciem intelligere hic velit, ubi *Paulus* omnem illam demonſtrationem commemorat. Ἀπόδειξιν δυνάμεως exponit per *demonſtrationem ad fidem divinam accendendam efficacem*, cum potius convictio indicetur per vim a Spiritu ſancto effectui datam, quæ & chariſmata, martyriorum conſtantiam, fidemque miraculi plenam, & fidem omnibus ſalutarem, complectitur. Ii, qui donis miraculoſis valent propoſitam de Chriſto doctrinam demonſtrare, in illos hæc *Pauli* methodus quadrat. An vero docta ſimplicitas hoc nitatur armamentario hac noſtra ætate, longe alia eſt quæſtio. Ubi doctores Eccleſiæ noſtræ credit Autor obligatos ad imitandum illud *Pauli* exemplum, duas profert communes *Paulo* & noſtris Eccleſiaſtis doctoribusque rationes, Evangelii dignitatem efficaciamque, & pravitatem animi adverſariorum. At Apo- 63.
ſtoli haud indigebant ſapientia & eruditione. Deus enim volebat in Eccleſia plantanda vim prorſus ſuam apparere, ne quis ſuſpicari poſſet, ſubeſſe impoſturas. Et hæc ratio obligavit *Paulum*, ut Evangelii doctrinam proferret ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Nemo facile crediderit, doctorum noſtrorum eſſe, eidem penitus inſiſtere tramiti, poſtquam menſura gratiæ extraordinariæ anguſtioribus limitibus per Dei ſapientiam fuit concluſa. Autor verba *Pauli* *1 Cor. I*, 17, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ, ita exponit: *ne obex ponatur efficacia Evangelii.* Per ἀνθρωπίνην σοφίαν 64.
1 Cor. II, 4, intelligit quoque *aliquam in ſe ſolidam ſapientiam humanam, ſed intempeſtive adhibitam.* Complexus vero orationis ita fert, ut *Paulus* a prædicatione Evangelii ſua removeat *oratoriam artem humanæ inſtitutionis*, ſapien-

Digitized by Google

tiæ nomen tunc geſtantis. Autor ita concluſionem informat: *Paulus* in Eccleſia plantanda debuit abſtinere a præſidiis ſapientiæ & oratoriæ humanæ, ergo doctores Eccleſiæ plantatæ contra Scepticos ætatis noſtræ methodum illam
Pag. 67. *Paulinam* debent imitari, ſimul ac a præparatione ad convictionem quærendam tranſeunt, vel a convictione ad corro-
69. borationem. Addit, *in nuperis de natura miraculorum acutiſſimis disquiſitionibus ad nimias ſubtilitates fuiſſe excur-*
75. *ſum. Capite tertio* diſſerit *de præſtantia ſimplicitatis doctæ præ inani & nova Viri Cl.* Jacobi Carpovii *ſubtilitate contra Scepticos.* Ita quisque ſua adamat. *Carpovius*, in *Theologiæ revelatæ Præliminar. Cap. I* vindicaturus veritatem divinæ revelationis ex criteriis, iverat demonſtratum, quæ deducta ſunt ex principiis rationis, eadem methodo uſus, quam paulo poſt adhibuit Cl. *Schubartus* in libello *de Veritate religionis Chriſtianæ*, quem in *Supplem. ad Nova Acta Erud. T. III Sect. VIII pag. 364* recenſuimus. Exterorum cauſa dabimus ſummam demonſtrationis: *Deus per jus naturæ perfectam obedientiam ab homine poſtulare poteſt, actuque poſtulavit, homo autem propter neglectam obedientiam eſt peccator, ſive ex præcipitantia, ſive ex ignorantia, ſive ex malitia: univerſi ſaltem homines ſecundum ordinem naturalem peccatores ſunt, propter violatum Dei dominium: univerſi quoque propter peccata pœnæ ſunt obnoxii: pœna autem delicto, delictum læſæ majeſtati, reſpondens, facit, ut unumquodque peccatum infiniti reatus ſit, & infinitam pœnam promereatur: ex culpa peccati, cui omnes apud Deum ſubjecti ſumus, neceſſitas ſatisfactionis per modum paſſionis fluit: ſapientia autem & miſericordia Dei dignum fuit, ut medium adeſſet, quo homo, ſalva Dei juſtitia, a culpa liberaretur: ejusmodi medium eſt vicarius hominum, qui perpetiendo, legemque perfecte implendo, ſalutem redimit: hic vicarius peccati expers, per ſe legi non ſubjectus, imo ipſe Deus, eſſe debuit, etſi non ſolus Deus, ſed* θεάνθρωπος, *cujus merita per fidem noſtra fierent.* Quæritur 1), an ſyſtema hoc ſit falſum: id S. Rev. *Oporinus* haud perhibet; 2) an rationi illud adverſetur: id negat

negat idem *pag. 38* ; 3) an Scepticis ſit opponendum : id haud abnuit idem; 3) an penitus ex principiis humanæ rationis illud deduci poſſit : id vero negat ; 4) an ea demonſtratio ſit idoneum criterium veræ divinæ revelationis : hoc etiam negat ; 5) an contemplatio miſericordiæ divinæ & miſeriæ humanæ hominem ad quandam ſpem medii reconciliationis cum Deo naturaliter manuducat : hoc largitur; 6) an ſyſtema ſubſtitutionis ſit unica via ad gratiam Dei recuperandam : & hoc ipſi placet. Quis vero dixerit, juſtitiæ Dei id penitus repugnaſſe, ſi hominem in miſeria reliquiſſet ? Nonne diabolos Deus gratiæ ſuæ minus capaces reliquit ? Quis credet, homini per vires ſuas ita innoteſcere fœditatem peccati inſiti, ut illud ſempiterno reatu fœdum eſſe ſibi perſuadeat ? Quis oſtendit, Chriſtum non potuiſſe θεάγγελον eſſe; & ita genus humanum redimere voluiſſe? Quis dixerit, θεάνθρωπον, ob principia rationis, debuiſſe redemtionem peragere ? An a convenientia ad actum hic valet conſequentia ? An myſterium a ſeculis abſconditum, quod ne quidem intellectus angelorum pervidit, homo per principia rationis inveſtigare valet ? Anne id, quod rationi non eſt certiſſimum, nec diſtincte pervium, demonſtrandæ religioni Chriſtianæ poteſt ſubſterni ? Nonne hoc argumentum eſt ſubtilius, quam ſolidius ? Anne & impoſtor in eundem meditationis *Carpovianæ* nexum potuit incidere ac pervenire ? An non, ſi ſpurium fundamentum aſſumitur, & genuina inſuper habentur, injuria fit Chriſtianæ religioni? Nonne ob philoſophemata ejusmodi relinquitur tractatio & honor Codicis ſacri ? Anne Chriſtus naturaliter eſt notus ? An miracula fuiſſent neceſſaria, ſi offendiculum crucis Chriſti per meditationum ejusmodi compagem potuiſſet tolli ? Ex quæſtionibus hiſce facile intelligitur, quid Pl. Rev. *Oporinus* in meditatione *Carpoviana* deſideraverit. Fuimus ſolito longiores, eo quod novas meditationes, controverſiamque recentiorem, exhibuimus. Confidimus autem, id a Duumviris meritiſſimis nos impetraturos, ut ea, quæ decerpſimus ex ipſorum libris, & hinc inde emblematibus noſtris diſtinximus,

Pag. 79. 84. 85. 89.

mus,

mus, æqui boniſque conſulant, credantque, nobis arridere plana, ſolida, & pietati accommodata, ſive ea fuerint apodictice demonſtrata, ſive alia ratione concinna, ſcopoque attemperata, in medium producta.

HERMANNI ANTONII MARIÆ DE CHLINGENSPERG, Sereniſſ. Elector. Bavariæ & Palatini Conſiliarii Actualis, & in Univerſitate Ingolſtadienſi Codicis & Juris publici Profeſſoris Ordinarii, ac Legum primarii, Conſilia & Reſponſa Criminalia ſuper diverſis caſibus & delictis.

Tomi II.

Norimbergæ, impenſis B. Wolfg. Maurit. Endteri Conſortium & Viduæ B. Jul. Arnold. Engelbrechti, 1738, fol.
Tom. I Alph. 2 plag. 9, Tom. II Alph. 2 plag. 8.

Poſtquam Illuſtris Autor quatuor abhinc annis *Conſilia & Reſponſa Civilia* partim ſuo, partim Ordinis Jureconſultorum Ingolſtadienſium, nomine edidit, ſimulque tum temporis in Præfatione promiſit, fore, ut brevi ſequantur *Conſilia & Reſponſa Criminalia*, jam ſtetit promiſſis ſuis, & illa in præſenti in publicam emiſit lucem; quæ, ſecundum verba Autoris, eo magis accurate ac ſollicite ab ipſo atque ab inclyto Jureconſultorum Ordine elaborata fuerunt, quod in criminalibus cauſis non de glande legenda, de ſtillicidio, & calce fodienda, neque de tritico & oleo legato, ſed de vita, ſanguine humano, fama & exiſtimatione, agatur. Totum Opus diviſit in *duos Tomos*, & utrique elenchum *Conſiliorum* præmiſit, quorum *prior XL Conſilia*, *poſterior* autem *XXV Reſponſa*, continet. Vix operæ pretium eſſe exiſtimamus, omnia ſpeciatim enumerare, cum in plurimis illorum non niſi vulgaria legantur; ſed nonnulla tantum hic recenſere animus eſt. Sic in *priori Tomo primum Conſilium* a *pag. 1* ad 4 datum eſt in cauſa Bigamiæ, quam quæſtionem more ſuo, poſt adductas & confutatas rationes dubitandi, contra Jus Civile ex Conſtitutione *Carolina* & Jure hodierno, ſuffragante *Carpzovio P. II Qu. 66 n. 30*, ita decidit, ut

ut incarcerata bigama ultimo, & quidem gladii, ſupplicio afficiatur. *Conſilium VII pag. 27 ſeq.* proponit caſum de homicidio ex cauſa zelotypiæ commiſſo, in quo Illuſtris Autor abit a pœna homicidii ordinaria, & ſtatuit pœnam relegationis perpetuæ atque indefinitæ. *Conſilio XVIII pag. 75 ſeq.* tractatur quæſtio, an impuberes, crimine veneficii & magiæ infecti, confeſſi & convicti, pœna ordinaria plectendi ſint. Quam Autor negat, ita tamen reſtringens ſuam ſententiam, ut, ſi in malitia perſiſtant & incorrigibiles ſint, pœna omnino capitali ſint afficiendi. In *Conſilio XXVIII pag. 124 ſeq.* proponitur caſus in puncto immunitatis eccleſiaſticæ & pœnæ Canonicæ, & more Pontificiorum ita deciditur, ut occiſor, quia receſſit in locum tutum & immunitatis eccleſiaſticæ, ex hoc privilegio non poſſit affici pœna gravi atque corporali, ſed tantum canonica & ſpirituali ac diſciplinari, hoc eſt, ad aliam ſatisfactionem non teneatur, niſi ad 90 florenos, pro funeralibus ſolvendos, & ad reſtitutionem expenſarum judicialium, quoad pœnam Canonicam autem ipſi imponatur peregrinatio, confeſſio, & 24 Miſſarum lectio ac auditio.

Poſterior Tomus, uti ſupra dictum eſt, continet *XXV Reſponſa*, quorum Elenchus præfixus eſt. Exhibet hic modo cauſas varias *furti*, uti *Reſp. II pag. 1, III pag. 15, V pag. 53, XIV pag. 106, XXIII pag. 192*, modo cauſas *injuriarum*, uti *Reſp. II pag. 11, VIII pag. 75, IX pag. 78, X pag. 81*, modo cauſas *adulterii*, uti *Reſp. VI pag. 66, & XXIV pag. 183*, modo cauſas *homicidii*, uti *Reſp. XIII pag. 97, XV pag. 110, XVI pag. 117, XVIII pag. 142, XIX pag. 156, XXIV pag. 196, XXV pag. 148*, in quibus omnibus ſemper eandem Autor methodum, qua in *priori Tomo* uſus eſt, obſervat, ita, ut ubique votum ſuum ſolenne: *Principium ſapientiæ eſt timor Domini*, inſcriptionis loco præmittat, & in caſu ipſo ſpeciem facti, poſtea rationes dubitandi, dein reſolutionem quæſtionis cum rationibus decidendi, & reſponſione ad rationes dubitandi, apponat, utrique etiam *Tomo* prolixum adjungat rerum, & verborum, Indicem.

Digitized by Google

NICOLAI HIERONYMI GUNDLINGII, Conſil. Regii intimi, & Eccleſ. Jur. Eloqu. & Antiquit. olim Prof. Publ. Ordinar. Exercitationes Academicæ. Præfationem de uſu & præſtantia Numiſmatum in Jurisprudentia præmiſit JO. GOTTL. HEINECCIUS, JCtus, Pot. Pruſſor. Regi a Conſ. Secret. Jur. ac Philoſ. in illuſtri Frider. Prof. Publ. Ordin. Societat. Lat. Jenenſ. Membr. Honorar.

Halæ, in officina libraria Rengeriana, 1736, 4. Alph. 6 plag. 10.

Quanto cum applauſu excepta ſemper ab eruditis fuerint *Nic. Hier. Gundlingii* ſcripta, & inter hæc Diſſertationes quoque ejusdem Academicæ, ii non ignorant, qui Viri ſummi merita ſciunt, quibus jam dudum ſe reddidit immortalem. Præcipua hæc cauſa fuit, cur, quem modo nominavimus, bibliopola Halenſis illas omnes, uno comprehenſas volumine, denuo evulgare, & maxime in manus exterorum dare, non dubitaverit, ad quos minora civium noſtrorum, laude digniſſimorum, Opuſcula quam rariſſime pervenire ſolent. Nec minus proſpera elegantiſſimis hiſce Exercitationibus, ipſo Autore adhuc vivo in lucem prolatis, fata pollicemur, quam habuerunt huc usque Sermones ejus Academici, in varia Juris & Hiſtoriarum Compendia olim inſtituti, & plurima ex parte, turpis lucri cauſa, poſt Viri optimi obitum typis impreſſi, qui, licet parum accurate ac prudenter calamo excepti a nonnemine fuerint, tam multos tamen, ob ſolum forte Autoris nomen, nacti ſunt amatores, ut ii, qui ſumtus ſuppeditarunt, jam bene ſe habeant iisdem, & pecuniam ſuam non ſine inſigni emolumento rediiſſe lætentur. Non poterat vero bibliopola majus huic volumini decus conciliare & ornamentum, quam doctiſſima Illuſtris *Heineccii* Præfatione, cujus potiora capita ut cum Lectore communicemus, officii noſtri ratio poſtulat. Pertractatur in ea argumentum longe nobiliſſimum de uſu & præſtantia Numiſmatum in Jurisprudentia.

Pag. 2. Uti nulla eſt Hiſtoriæ antiquæ pars, quin Jurisprudentiæ incredibilem lucem affundat; ita certiſſimum eſt, ex vetuſtis

etiam

etiam numis permultum utilitatis redundare in Juris diſcipli-
nam. Equidem *Ezech. Spanhemius* in egregio *de uſu & præ-* Pag. 3.
ſtantia Numiſmatum Opere tam diligenter, tamque erudite,
dignitatem nummorum & utilitatem demonſtravit, ut in omni
propemodum doctrinæ genere ab harum literarum ſtudioſis
poſſit conſuli. Nihilo tamen minus hunc oceanum adeo non 4.
exhauſit Vir inexhauſtæ eruditionis, ut, qui poſtea expli-
cando huic argumento operam navarunt, plurimum, quod
adderent, invenerint. Quam multa ille prætermiſerit, quæ ad
uſum numiſmatum in re Chronologica pertinent, præclaris
ſpeciminibus, quamvis non eadem omnes felicitate, oſtende-
runt *Henr. Noriſius*, *Jo. Harduinus*, *Philippus a Turre*, *Vir-
ginius Valſecchius*, *Jo. Vignolius*, aliique. De uſu numiſma- 5.
tum Geographico uberius, poſt *Spanhemium*, commentati ſunt
Harduinus, *Vaillantius*, & Autores complures, a *Jo. Alb.
Fabricio*, in Indice ſecundo, ſubjuncto *Anſelmi Bandurii Bi-
bliothecæ numariæ*, nominati. Ad numos, Hiſtoriam litera-
riam illuſtrantes, quod attinet, defectum hunc, qui in ſplen-
didiſſimo *Spanhemii* Opere notatur, ſupplere generatim co-
nati ſunt *Laur. Begerus*, *Jac. Gronovius*, *Jac. Sponius*; alii 6.
quorundam tantum virorum eruditorum memoriam ac vi-
tam ex numis illuſtrarunt, veluti *Gisbert. Cuperus* & *Joan.
Car. Schottus* Homeri, S. Rev. *Jæcherus* noſter Biantis,
Corn. Diet. Kochius Ariſtotelis. Medicorum quoque hiſto-
riam, ex numis concinnatam, promiſit *Mich. Frid. Loch-
nerus*, Medicus apud Norimbergenſes clariſſimus. Quid?
quod, in Φυσιογνωμονικῇ etiam utilitatem aliquam afferre
poſſe veteres numos, *Sponius*, modo nominatus, proba-
re annisus eſt, repugnante tamen, & ludicrum id argu-
mentum pronuntiante, *Anſ. Bandurio*. Denique, cum de
uſu numiſmatum in divinis literis, Hiſtoria ſacra, & eccleſia-
ſtica, *Spanhemius* nihil expoſuerit, ex inſtituto hunc ſuſcepe-
runt laborem *Ægidius la Carri*, Magnif. *Læſcherus*, celeber-
rimus Eccleſiæ noſtratis Theologus, *Baronius*, *Ant. Pagius*, 7.
Tillemontius, quamvis *Baronius* ludibrium debeat eruditis,
dum modo Apoſtolos, modo panem eychariſticum, modo

Digitized by Google

alia myſteria, in numis conſpicere ſibi viſus eſt. In tanto
autem doctiſſimorum virorum, qui varias ſcientias numiſ-
matum ope interpretati ſunt, numero nemo adhuc exſtitit,
qui data opera ſcripto quodam indicaret, in quibusnam Ju-
ris noſtri capitibus antiquorum nummorum uſus ſit conſpi-
cuus. Ad hoc igitur, quod pertractandum in præſentia ſibi
ſumſerat, Illuſtris *Heineccius* accedit, &, juſtitiam, quam
conſtantem ac perpetuam ſuum cuique tribuendi volunta-
tem *Juſtinianus* vocat, ſæpenumero exhiberi in numis
Græcis & Romanis, ſub *Tiberio*, *Veſpaſiano*, *Nerva*, &c.
cuſis, & quidem ut fœminam, ſive ſtantem, ſive ſedentem,
& ſtola involutam, cornuque Amaltheæ ſiniſtra, libram
Pag. 8. dextra, tenentem, adductis exemplis demonſtrat. Quo
certe ſymbolo nihil pulchrius, elegantius nihil. Stola
enim, juſtitiam eſſe incorruptam & caſtiſſimam, libra, æqua-
litate eam gaudere, Amaltheæ cornu fructus largiſſime ad
9. honeſtos ejusdem cultores pervenientes, denotat. Juriſpru-
dentiæ quoque definitioni multum lucis accedere videtur
ex antiquorum numis, qui præ ſe Deam *Themidem* ferunt,
quamvis, ſi verum fateri velimus, ii ſint & dubiæ inter-
pretationis, & paulo rariores. Unum ejus generis acce-
ptum refert Illuſtris Autor *Chriſt. Sigiſm. Liebio*, qui in *Go-
tha numaria* protulit numum æneum Phocenſium, cujus in
adverſa parte eſt caput fœmineo cultu, laurea cinctum,
vultu admodum decoro; in averſa autem caput tauri, vitis
ornatum. Quod caput fœmineum licet videri queat *Apolli-
nis*, quem etiam veteres muliebri finxerunt habitu; ipſe ta-
men *Liebius* eos non aberraturos a vero putat, qui Themi-
dem in hoc numo agnoſcant, quia, *Strabone* autore, *Apollo*,
10. una cum *Themide*, oraculum Delphicum condiderit. Pau-
lo certioris interpretationis eſſe videtur gentis *Flaviæ* dena-
rius, exhibitus a *Fulv. Urſino*, quippe in quo non caput mo-
do fœminæ, ſatis incultum, cum paſſis crinibus, & appoſita
11. cithara, conſpicitur, verum etiam ipſum *Themidis* nomen
adjectum eſt. Comæ incomtæ in hoc numo fatidicam oſten-
dunt mulierem, quod *Virgilii* & *Senecæ* Tragici teſtimoniis
com-

Digitized by Google

comprobatur. Dicitur enim *Themis* prima protuliſſe oracula, & proinde, qui talia edunt, perhibentur θεμιστεύειν, obſervantibus *Diodoro Siculo* & *Suida*. Cithara ſignificat facundiam, qua *Themis* celebratur, ac propterea βουλαία vocatur a *Plutarcho*. Ne partitionem quidem Jurisprudentiæ in publicam & privatam omiſerunt veteres numorum artifices, dum tres finxerunt mulieres mitratas & ſtolatas, dextra libram, ſiniſtra cornu copiæ, gerentes, cum perigraphe: *æquitati publicæ*. Ubi tres illæ mulieres ſine dubio præcipuas publici Juris partes, Pontificium ſcilicet, Feciale, & Senatorium, Jus denotant. Privatam Jurisprudentiam mitratam palliatamque, & libram dextra, haſtam ſiniſtra, tenentem, ſe in numis vetuſtis animadvertiſſe, teſtatur *Conſtant. Landus*. Quod ſane ſymbolum rei convenientiſſimum eſt. Erat enim haſta ſignum privatorum judiciorum. Lex Porcia illuſtratur inſigniter ex numo *Porciæ* æneo, cujus in adverſa parte eſt caput galeatum Romæ, adjecta epigraphe: *P. Laeca Roma;* in averſa civi Romano ſtanti & provocanti ſtans itidem magiſtratus manum imponit, ſtante a tergo lictore cum virga, infra autem legitur: *provoco*. Hic ergo conſpicitur lictor, virgis in civis Romani corpus ſævire paratus, hic magiſtratus apparet, ad quem damnatus porrectis manibus provocat, manum capiti imponens, eumque velut in libertatem aſſerens. Origo Cenſorum, eorumque officium, non aliunde accuratius, quam ex Romanorum numis, intelligetur, nec minus, quod de reliquis magiſtratibus differit *Pomponius*, de quibus omnibus cum ſatis accurate jam egerit *Spanhemius*, Celeb. Autor crambem bis coctam, uti vulgatum eſt proverbium, proponere lectoribus ſuis noluit. Progreditur potius, hiſce omiſſis, ad Prudentum ſucceſſionem, &, JCtorum etiam in numis exſtare memoriam, obſervat. Sed ingenue ſimul monet, nullius adhuc veteris JCti numum, qui quidem indubiæ ſit fidei, prolatum huc usque fuiſſe ab antiquariis. Ritus Romanorum ſolennis, per tabellas ſuffragia ferendi, in numis antiquis deprehenduntur veſtigia. Ad jura perſonarum, ſtatumque hominum, nunc progreditur Illuſtris Autor, &, quanquam

Pag. 12. 15. 17. 18. 19 ſeq. 23, 24.

Digitized by Google

ſervorum tam miſera erat apud Romanos conditio, ut eorum rationem in numis vix haberent, manumiſſionis tamen ritum inde quodammodo poſſe illuſtrari, arbitratur. Exſtant numi *Nervæ* aliorumque, in quibus fœmina, decore veſtita, dextra pileum, læva baculum, modo longiorem, modo breviorem, tenet, cum perigraphe: *Libertas publica.* Pertinent quidem hæc numiſmata non ad privatorum, ſed ad ipſius publicæ rei, libertatem, prout apparet ex inſcriptione illa; at, hanc tamen iis ſymbolis adumbrari, obſervat Vir Celeberrimus, quibus privati in manumiſſionibus utebantur. Fiebant hæ per vindictam, id eſt, baculum; & talem vindictam ſiniſtra præferre libertatem exiſtimat, non ſceptrum, tanquam imperii ſignum, quod aſſeruit *Laur. Begerus*, nec haſtam, quæ *Conſt. Landi* eſt conjectura. Hæc enim quid ad libertatem? Vindicta vero ſymbolum eſt libertati convenientiſſimum: id quod etiam de pileo, quem dextra gerit
Pag. 27. libertas, ſummo jure dicendum eſt. Ad Anteſtati officium illuſtrandum vel maxime pertinent numi, quorum mentionem injecit *Muretus*, referens, ſe vidiſſe tales, in quibus quis alteri aurem velleret, adſcriptis literis: *μνημόνευε.* Quanquam vero ejusmodi numos ab ullo eorum, quos conſulere licuit, Scriptorum delineatos non viderit Ill. *Heineccius*; id tamen *Mureto*, viro candido, eo credit facilius, quo certius eſt, exſtare gemmas ejusdem, vel non abſimilis, *χαράγματος*, quarum meminerunt *Jac. Ravardus*, *Juſt.*
28. *Lipſius*, & *Car. Sponius*, Solebant enim, qui anteſtabantur, alterius auriculas tangere, in quibus veteres memoriæ veluti ſedem collocaverant. Ad *Tit. D. de rebus ſacris, religioſis, & ſanctis*, rectius intelligendum, non parum conducunt numi in memoriam conſecrationum Auguſtorum, Auguſtarumque, cuſi, de quibus adeundi *Vaillantius*, *Sponius*,
29, 30. *Oiſelius*, aliique. Argumentum occaſione §. 2 *I. de R. D.* utrum Romani pro re communi habuerint mare, an illud in ſuo eſſe crediderint dominio, de quo doctiſſimi olim viri inter ſe concertarunt, præclare explicant bini *Corneliæ* gentis numi apud *Urſinum* & *Begerum*, in quorum adverſa parte eſt

Digitized by Google

eſt caput diademate ornatum, afficto ſceptro, cum literis: *C. P. R.* vel, ſi *Urſinum* ſequaris, quod utique rectius, *G. P. R.* ut literæ hæ denotent verba: *Genius Populi Romani*: in aver- Pag. 31.
ſa ſceptrum laurea cinctum, orbem terrarum mari circumdatum, & temonem, conſpicimus. Genius populi Romani hoc loco ipſum ſignificat populum: ſceptrum & corona florentiſſimi in terras complures imperii, & gubernaculum imperii maritimi, ſymbola ſunt. Sed quid hoc tam ſplendidum 32.
ſymbolum ad *Cornelios*, & maxime ad *Lentulos*? inquit exquiſitiſſimæ doctrinæ Autor. Victricia quidem Romanorum arma longe lateque circumtulerunt *Cornelii*; tantum tamen abeſt, ut eorum ope atque auſpiciis univerſi fere terrarum orbis imperium ad Romanos pervenerit, ut ea potius laus ad *Scipiones*, *Coſſos*, *Merulas*, & *Sullas*, pertineat. Non dubitandum eſt proinde, quin autor horum numiſmatum, ambitione quaſi turgidus, gentis ſuæ fata exprimere voluerit. Percrebuerat enim in gente *Cornelia* fama, in libris Sibyllinis ad tres *Cornelios* reſpici, aliquando præfuturos orbis imperio. Merum & mixtum imperium, in quo explicando diſcrimine parum ſibi vel doctiſſimi viri conſtant, ipſamque jurisdictionem, ſignis ſuis præclare ſecernunt numi Romanorum antiqui. Jurisdictionis ſymbolum eſt ſella 33.
curulis, cum bilance & Amaltheæ cornu, in denariis gentium *Flaminiæ*, *Fulviæ*, & *Licinjæ*: imperii mixti ſella curulis, cum ſex utrinque faſcibus, ſine ſecuribus, qualis occurrit figura in duobus gentis *Livinejæ* numis: imperii tandem meri ſella curulis, & utrinque faſces cum illigatis ſecuribus, quod ſymbolum in numo gentis *Furiæ* pariter ac *Mamiliæ* apparet. Quam vivis hic omnia coloribus depicta! Ad *Tit. D. de Pactis* ſpectant denarii gentis ſive *Vettiæ*, ſive 40.
Veturiæ, in quibus duæ figuræ ſtantes, & media genu flexa, porcam ſinu tenens, cum literis: *Roma*, ex quo ritus pangendi fœdera optime perſpicitur. Habemus enim in illis Fecialem haſtatum, & dextra porcam oſtendentem; habemus ducem belli paludatum, baculum ad eandem porcam protendentem, quæ ſine dubio nihil ſignificant aliud, quam

quod

quod de antiquo pangendi fœdera ritu tradiderunt *Polybius* & *Livius*. Et hæc ſunt ſpecimina illa argumenti maxime jucundi, quæ Lectorum oculis ſubjicienda exiſtimavimus. Adeo hæc ſcribentem oblectarunt Illuſtrem Autorem, ut telam cœptam alia, ſi Deo viſum fuerit, occaſione pertexere ipſi ſit conſtitutum. Finem imponens politiſſimo ſuo Opuſculo, *Gundlingii* τοῦ πάνυ mentionem injicit, eumque nonnunquam conjecturis plus juſto indulſiſſe affirmat, & propterea multos fore credit, qui ſuam ab ipſius opinionibus ſejungant ſententiam. Complura, quæ ad Jus Naturæ & Gentium ſpectant, accuratius expoſuit *Henr. Kœhlerus*; in multis, quæ de Hiſtoria & Jurisprudentia privata æque ac publica commentatus eſt *Gundlingius*, alii viri docti palmam ei videntur præripuiſſe. At multa & ipſe vidit, quæ nulli in mentem venerunt, ideoque magni facient Lectores has Diſſertationes, in illis etiam capitibus, quæ ab aliorum doctrinis abhorrent, bonæ frugis pleniſſimas. Stilo iſtæ puro plerumque & eleganti conſcriptæ ſunt, ac partim Hiſtoriam & Jus publicum illuſtrant, quo referendæ Diſſertationes *de Jure oppignorati territorii; de Statu reipublicæ Germanicæ ſub Conrado I, Franciæ orientalis Rege; de Cauſa & origine unionis ſeu fœderis Electoralis; de Jure Imperatoris & imperii in magnum Etruriæ Ducatum; de Erroribus pragmaticorum de renuntiatione hæreditatum filiarum illuſtrium*: partim Jurisprudentiam naturalem explicant, quo cumprimis pertinet Diſſertatio *de Statu naturali Hobbeſii in Corpore Juris civilis defenſo & defendendo*: partim ad Jus civile Romanum pariter & Germanicum rectius intelligendum conducunt, in qua claſſe collocandæ ſunt Exercitationes *de Transactione teſtamenti tabulis non inſpectis; de Doctrina vulgari, majorem a fœminis, quam a viris, requiri caſtitatem; An nobilitet venter? de Transactionum ſtabilitate & inſtabilitate; de Lite conteſtata, commoda plerumque, incommoda nunquam; de Principe hærede ex teſtamento civium; de Emtione uxorum dote & morgengaba; de Transmiſſione Actorum in legibus imperii permiſſa, ejusque repetitione; de Uſu practico acti-*

Digitized by Google

actionum bonæ fidei & ſtricti juris; de Univerſitate delin-
quente, ejusque pœnis; de rei vindicatione ex Jure Romano &
patrio; de Singularibus doctrinæ de beneficio excuſſionis capi-
tibus; & *Commentarius ad Librum V & Libri VI Titulum I*
Digeſtorum, qui alterius Pandectarum partis, quam promiſe-
rat Autor in Πρώτοις ſuis, principium eſt. Specimen Hiſtoriæ,
quæ ad Jurisprudentiam pertinet, literariæ exhibet *C. Treba-*
tius Teſta, ab injuriis tam veterum, quam recentiorum, li-
beratus. Nos ex nonnullis harum Exercitationum aliqua no-
tatu digna in medium proferemus. Tranſigi non poſſe de re- Pag. 9.
lictis in teſtamento, tabulis nondum inſpectis, communis fuit
JCtorum opinio, occaſione *l. 6 D. de Transact.* & *l. 1 D. Te-*
ſtam. quemadm. aperiantur, enata. Sed, quod ad priorem le- 17.
gem attinet, illa, præclare obſervantibus *Cujacio* & *Labitto*, a
ſuo titulo avulſa, in locum plane alienum transmiſſa fuit a
Triboniano. Utique, ſi expendatur capitis hujus inſcriptio:
Cajus Lib. XVII ad Edict. provinciale, luculenter apparet, 18.
id referendum eſſe non ad Edictum de pactis & transactio-
nibus, ſed ad Edictum de tabulis aperiendis. Quod clariſſime
arguit *l. 1 pr. & §. 1 D. Teſtam. quemadm. aper.* quæ eſt ex eo-
dem *Caji* libro, quam *Tribonianus* quoad verba poſteriora
diſcerptam repetiit in dicta *lege 6 de Transact.* Quodſi igitur 19.
hæ duæ leges principes ex mente *Caji* explicentur, quilibet
perſpiciet, neutram reſiſtere, quo minus valeat transactio de
teſtamento, etiam non inſpectis ejus tabulis; quia *Cajus*, cum
ait: *neque enim ſine judice tranſigi, neque apud judicem ex-*
quiri veritas de his controverſiis, quæ ex teſtamento proficiſce-
rentur, aliter poteſt, quam inſpectis cognitisque verbis teſta-
menti, tantum de facto locutus eſt, neutiquam autem de
jure. Venit illud in mentem *Schifferdeggero* in *Diſput. fo-*
renſ. ad Ant. Fabri Lib. II Tract. 25 Quæſt. 7, & eidem *Fabro*,
quibus viris ſeſe adjungit *Gundlingius*, & opinionem illam
amplectitur, quam omnium optime communivit *Gerardus*
Noodtius. Et ſane, ſi ad naturalem reſpicias æquitatem, quid 20.
æquius eſt, quam lites, ſine dolo, mutuo conſenſu, ſopitas,
non reſuſcitari? Quæ neceſſitas, quæſumus, urſit legatarium,

ut ad tranſactionem procederet, teſtamento nondum inſpe-
cto? Poterat ille exigere ab hærede, ut ſibi fieret ejus inſpi-
ciendi deſcribendive copia, vel per Interdictum de tabulis
exhibendis, vel ex Edicto *Teſtam. quemadm. aper.* Quod
cum neglexit, habet, quod ſibi imputet, non quod adver-
ſario, quem aut plane non urſit, aut ſufficientibus ad exhi-
bendum remediis compellere potuiſſet. Confirmat *Gundlin-
gius* mentem ſuam ulterius fortiſſimis rationibus, quæ non
poſſunt non lectorem adducere, ut illas ſuo comprobet
Pag. 88. ſuffragio. Urbibus in Germania multis Epiſcopi eccleſiæ ac
monaſteria occaſionem ortumque dederunt, circa quæ cum
conſideret ingens hominum copia, & undique etiam diſcen-
tium numerus confluerct, factum tandem eſt, ut, imminente
bello, cogitarent Sacerdotes pariter & Principes de circumdu-
cendis mœnibus, ne ingruentium hoſtium furori & res ſacræ,
& tot piarum animarum ſalus, eſſent expoſitæ, totque ab Im-
peratoribus in illis locis exſtructa palatia devaſtationibus gen-
tium barbararum paterent. Ad quod cum accederet commo-
ditas, opificia augeſcerent, majorque in urbibus ſecuritas con-
ſtaret, atque mercatura ad opes parandas valde videretur ido-
nea, evenit tandem, ut complures, relicto aratro, in urbes ſe-
ſe reciperent. Auxit hoc ſtudium innumerabilis fere liberto-
rum multitudo, qui, cum nihil haberent proprii, alibi, quam
in civitatibus, ubi divitiis parandis non una erat occaſio, vi-
tam tolerare vix poterant. Imperii Romano-Germanici in-
148. ſignia aſſervantur, quod nemo ignorat, Norimbergæ. Sed
quæruntur duo: 1) utrum corona ſit *Caroli M.* an *Conradi I*;
2) an gladius ſit *Caroli IV* potius, quam *Caroli M.*? Ad
primum momentum quod attinet, putat *Conringius*, coro-
nam illam eſſe *Conradi I*, cujus etiam nomen præ ſe ferat.
Verum enim vero adductis exemplis longe probabilior vide-
tur *Gundlingio* conjectura, *Conrado II* adſcribendum eſſe &
arcum, & inſcriptionem, coronam ambientem, non vero
ipſam coronam. Hanc enim, quod recte *Wagenſeilius*, a *Ca-
rolo M.* inde ad nos profectam eſſe, ut firmiter credamus, tot

Ro-

Romanorum Pontificum Bullæ, tot Imperatorum Reſcripta, tot graviſſimorum Autorum teſtimonia, ſatis comprobant. Uti vero coronam *Caroli M.* dubiam reddere ſtuduit laudatus *Conringius*, pluresque alii; ita & gladium ejusdem agnoſcere noluit *Æneas Sylvius*. Re tamen accuratius expenſa, B. *Gundlingius* ſententiæ *Obrechti* ac *Wagenſeilii* accedit, qui, confutato feliciter *Sylvio*, contrarium demonſtrarunt. Aut non intellexerunt, aut præfracte notitiam, quam de *Hobbeſii* principio habent, diſſimularunt, qui ſcripſerunt, eum omnia impleviſſe tumultu, & funus ex humano genere perpetuum efficere voluiſſe. Ubi autem hoc tentavit *Hobbeſius*? Eam, quam *Grotius* & *Pufendorfius* quærunt, pacem quærit & ipſe, at ratione tantum diverſa, homines ſub imperio ut conquieſcant, ſerio intendit & optat; tantum abeſt, ut velit perire mortales. Poſcit *Hobbeſius* lectores attentos, acuti ingenii, & meditabundos, non multa rerum inutilium lectione obrutos, quas virtutes ſi attulerint, recte omnino poterit intelligi. In *l. 21 §. 8 D. de Furt. Wiſſenbachius* & *Stryckius* nodos agnoſcunt, quos ſolvere ſtuduit Autor. Tota difficultas in voce: *dicimus*, latitare videtur. Legendum igitur cenſet: *dicamus*, & hac ratione ſenſus erit evidens prorſus & planus: *Quid ſi totum vas tollere potuerit, dicamusne, cum totius eſſe furem, licet ſolverit, ut ſingulas vel quasdam tolleret? & ita Sabinus ait*. Ex quo elucet, *Ulpianum* non contradicere ſibi, ſed *Sabini* referre ſententiam. Quo etiam *Antonius Matthæi* inclinat, quanquam nihil in textu mutaverit. Romanis virginum pudicitia nihil ſanctius erat, nihil majori diligentia ſervandum. Hoc patris cujuslibet votum, hæc erat ſententia. Nullum igitur majus familiæ patris inferri credebant dedecus, quam ſi filia eſſet corrupta. Malebant hanc mortuam, quam vitiatam; cujus rei egregium exſtat exemplum apud *Valerium Maximum Lib. VI Cap. 1.* Id ut evitaretur, fœminæ innuptæ non a balneis tantum publicisque lavationibus, ſed a conviviis etiam, penitus arcebantur. Imo, ut publice monſtrarent Quirites, quantum ſibi curæ eſſet fœminarum verecunda ſpecies, peculiaria inſtituerunt ſacra,

Pag. 175, 176.

223.

228.

229.

Digitized by Google

quibus pudicitiam quaſi Deam colerent. Et exinde quoque apparet, cur mulieres non potuerint ab adverſario in jus renitentes rapi, ne ſcilicet earum verecundia ſubiret periculum.
Pag.245,246. Fœminas uno contentas viro maximo ſemper in pretio habebant Romani, & propterea, *Valerio Maximo* autore, corona pudicitiæ cohoneſtare ſolebant. At, quanto iterum nubentes odio proſecuti ſint, complura veterum Autorum loca teſtantur.
295. Saxones antiqui tam infenſi erant impari conjugio, ut capitis pœnam in eos ſtatuerent, qui tale inierant.
341 ſeq. B. *Gribnerum* noſtrum & Illuſtrem *Leyſerum* fuſe refellere ſtuduit *Gundlingius*, quoniam hi JCti præſtantiſſimi in ſcriptis ſingularibus exiſtimant, non eſſe concedendam a magiſtratu de ſponſalibus transactionem, ne fides ſemel data temere violetur.
485. Apud Græcos ante *Solonis* ætatem venalia erant matrimonia, quam perverſam conſuetudinem Philoſophus laudatiſſimus, *Plutarcho* referente, deinceps aboluit. Quæritur autem, quomodo intelligenda ſint matrimonia venalia. Putat *Gundlingius*, diſplicuiſſe legislatori orientalium morem, Aſſyriorum cumprimis, qui virgines, conjugio habiles, præconis voce venales pronuntiando plus licitantibus vendiderint; aut etiam veterum Græcorum, qui ad dona magis & pecora, quam ad virtutem, & amorem, liberorumque procreationem, in nuptiis contrahendis reſpicere ſolebant. Ut vero munera ante nuptias univerſa ceſſarent, vix voluiſſe credit *Solonem*, quin potius luxuriæ dotium obicem tantum poſuiſſe, perſuaſum ſibimet habet.
488. Nubens fœmina apud Romanos ſibi emebat maritum.
489. Eam ob rem aſſes ferebat, unum, quo virum ſibi compararet, alterum, quo acquireret ſibi ejusdem Lares, ac familiares Deos, tertium, quem in marſupio condidit, tum demum reſignavit, cum in compito vicinali in domum ejus tranſiret, ac materfamilias efficeretur. Mirifice exercuit eruditos, quid ſit *compitum* hoc *vicinale*, cujus meminit *Varro*. Hinc ea verba omiſerunt aliqui, reputantes gloſſema. Sed perperam. Exploratum enim eſt, virginem, in hortos deductam, ibi ſeparatam primum a viris diætam ha-

Digitized by Google

habuiſſe; deinde, diruta maceria, in domum tranſiiſſe mariti. Hæc maceria compitum fuit vicinale, *der Scheide-Weg.* Illuſtrat illum locum *Varronis* inſigniter *Terentius Adelph. Act. V Sc. 7 v. 9 ſeq.* Ergo in horto ſubſtitit pauliſper ſponſa, donec cum familia viri commixtio fieret, illaque compitum transiret vicinale. Ex eo *Terentii* loco intelligi ſimul facile poteſt difficillimum *Scævolæ* reſponſum *l. 66 §. 1 D. de Donat int. vir. & uxor.* Antiquiſſimus eſt appellationum uſus, neque Græcis, neque Romanis, olim ignotus. Pag. 733. Rarior tamen apud Romanos in cauſis civilibus erat, usque ad *Auguſti* & ſequentium Imperatorum tempora. *Hadrianus* autem prohibuit, ne a Senatu ad Principem provocaretur; ſed hoc eviluit *Conſtantini M.* ætate, ſolo excepto Præfecto prætorio, a quo, tanquam Imperatoris vice judicante, provocare non licuit. De inrotulatione Actorum monent 744. doctores, & barbarum hoc eſſe vocabulum, & rem ipſam uſu magis, quam jure, videri introductam. *Cangius* libros quoscunque *rotulos* appellatos ex medii ævi Scriptoribus probat, putatque, volumina olim convoluta dicta fuiſſe *rotata;* unde diminutivum *rotulus*, ſeu *rotula*, itemque *rollus*, & Gallorum *enroler. Salmaſius*, *rutulum* Latinis *baculum* ſignificaſſe, demonſtrat in *Notis ad Vopiſcum*, cumque convoluti libelli bacillarem oſtendant figuram, hinc a ſimilitudine ro- 745. tuli nomen accepiſſe paginas ſic convolutas; & eſſe Germanorum vocem *Ruthe* bacillum quoque, perſuaſum ſibimet habet. Unde *mittere in rotulum* idem, ac mittere in Acta. Propterea enim citantur partes, ut videant, libellos & ſcripta ſua adjici Actis, & integra amandari, & relegata ad volumen, uti *Nepos* ait, ad ſapientum concilium transmitti. Mirandum ſane eſt, cur plerique Proteſtantium Clericis pe- 976. 977. culiare judicium conſtituerint, quod Conſiſtorii eccleſiaſtici nomine vulgo inſignitur, quaſi ſcilicet JCti, his in rebus probe verſati, non poſſent judicare accuratius, quam Clerici, rerum civilium ut plurimum imperiti. Quicquid etiam pro Sacerdotibus ex *Carpzovio* afferat *Zieglerus*; ejus tamen ſententia eſt rejicienda. Laudandus igitur Norimbergenſium

 mos

Digitized by Google

mos eſt, qui Conſiſtorium ejusmodi habent nullum, quod itidem fere apud Hamburgenſes obtinet. Sed, noſtra quidem ſententia, omittere poterat *Gundlingius* hanc obſervationem: in noſtris enim Conſiſtoriis non ſoli Clerici, ſed JCti etiam, locum tenent, qui ex ſingulari Principum diſpoſitione de rebus eccleſiaſticis cognoſcunt.

FRANCISCI RONCALLI, PHILOSOPHI & Medici Brixiani, de Aquis mineralibus Coldoni ad oppidum Leuci in agro Mediolanenſi Diſſertatio Phyſico-Chymico-Medica.

Brixiæ, ex typographia Jo. Mariæ Ricciardi, 1724, 4, ch. aug. Plag. 10½.

Splendido admodum habitu, ſi chartæ præſtantiam & auguſtam magnitudinem, typorumque nitorem, reſpicias, liber hic in publicum conſpectum prodiit, neque externa tamen forma fallit, ſed internis quoque eruditionis, ordinis, elegantiæque, dotibus ſpem de ſe factam ſuſtentat. Neque exiguum nobis ab illuſtrisſimo, quod in fronte præ ſe fert, nomine *Cleliæ Grillo-Borromææ* decus capere videtur, cui Clariſſ. Autor, & ob reliquas incomparabiles animi facultates, & ob amplisſimam omnium ſcientiarum cognitionem, velut Europæ miraculo, Inſubriæ Phœnici atque Minervæ, & veræ noſtri ſeculi Uraniæ, ut ipſam cognominat, monumentum ingenii ſui jure merito dedicandum putavit. Initio Operis
Pag. 1. regionem, in qua fons præſilit, deſcribere aggreditur. In Mediolanenſi provincia, ubi Larius lacus Abduam reſtituit, Leuci ager exſurgit, multiplici non minus pagorum amœnitate, quam oportuna ædificiorum multitudine, clarus, & cum aeris, tum aquarum, ſalubritate commendabilis. In hoc agro Coldoni perennis & brumali quoque tempore tepida
2. ſcaturigo ab internis Giovi, ſeu Serratæ, viſceribus erumpens, dein longiſſimo montium dorſo latis flexibus procurſans, miſceri poſthæc lacu properat, & Bonacinam prius a dextra, inde Aquatum a læva, lambens, præ-

labi-

Digitized by Google

labitur, tandemque per inclinatam parumper ſoli ſuperficiem non longe a munitiſſimo Leuci oppido ad lacum decurrit. Varia ejus atque dubia fuit fama, donec *Gazzarus* & *Angelus Homobonus*, Medici, eum variis experimentis tentarunt, & in quibusdam deinceps morbis ita, ut par erat, extulerunt. Autor itaque noſter fontis hujus naturam propius paulo atque penitius perſpecturus, aquas ab ipſo Coldonenſi flumine prope Guardalupum hauſtas, (plures enim eſſe earum rivos, copioſe hic ſimul exponit,) tum aliis inſtrumentis, tum chemico igne, exploravit, comperitque, vix eas leviores eſſe ceteris aquis Brixienſibus; in vaſis vitreis 6. Pag. 5.
aſſervatas, nitorem ſemper habuiſſe chryſtallinum; ſaporis 8.
eſſe nullius; ex 50 libris poſt deſtillationem dimidiam circiter reliquiſſe unciam ſedimenti, quod diligentiſſime abraſum, primo intuitu albiſſimis componi videbatur arenulis, in ſubtili terra ſepultis, ſaporis tamen acidiuſculi erat, & cum ſpiritu nitri promtiorem fermentationem, quam cum oleo Tartari, inibat. Ope vero exactiſſimi microſcopii col- 9.
luſtrata arenularum ſuperficies utplurimum deſinebat in priſma baſis triangularis æquilateræ, ut in nitroſis præcipue ſalibus fieri ſolet. Neque minus ſuper ignitis laminis dureſcentes bullulæ nitroſam indolem ulterius ſignificabant, & præter alia experimenta, quibus nitroſæ aquæ dignoſcuntur, ex duabus quoque nitri libris, in Coldonenſi aqua infuſis, octo unciæ cum ſemidrachma ſedimenti ſubſederunt, 10.
in puteali autem aqua tantummodo octo unciæ; quo experimento argui putat, aquæ Coldonenſis poros in primæva origine eſſe nitroſis effluviis jam occupatos; putealis vero poros, utpote nullis corpuſculis ſaturatos, copioſiores nitri particulas in ſinum ſuum recepiſſe. Ferrearum vero parti- 12.
cularum præſentia arguitur a terrifodinis, quæ iis adhuc locis extant, a celeritate, quæ viſcerum ambages trajicit, & virtute medicinali in dyſenteria. Experimentis vero in conſpectum produci nequit, ob tenuiſſimam ſuam indolem, & quod nec pyriteis matricibus, nec vitriolico connubio, particulæ iſtæ copulentur, neque ferrea ſemper in ſedimento effluvia

Pag. 13. fluvia a magnete attrahantur. Ut tamen certior fieret, exigua feculentiarum portio, quæ in anguſto prope Guardalupum ſinu per ſe placide ſubſederat, medio igne ſublimata, colorem inter flavum & aureum ambigentem induit, quin imo, aliquot guttis olei Tartari inſtillatis, ærugineam quodammodo faciem præ ſe tulit. Ut adeo de latentibus
15. ferri principiis dubitare non liceat. A nitro igitur, & ferro,
16, 50. & puriſſimo latice aqueo, omnis vis pendere videtur. Fruſtra igitur erit illarum uſus in malo hypochondriaco graviori, in renitentibus ac quaſi ſcirrhoſis pancreatis, aliorumque imi ventris viſcerum, obſtructionibus, in cachectico corporis habitu, uno verbo, in confirmatis œconomiæ animalis
16, 51. labibus. Utique autem opem ferre valent in morbis, qui illis mitiores ſunt, & ad conſervandum corpus, tam ubi ex ferri defectu cruoris maſſa exæſtuare incipit, quam ubi a gelatinoſarum partium copia in ſuis motibus deturbatur, e. g. in hypochondriacis & calculoſis, jamjam aliquo modo priſtinæ
17. ſanitati reſtitutis, ne mala hæc recrudeſcant. Poſt longam diſquiſitionem, lotiumne per renes tantum excernatur, an per alias etiam vias ad veſicam amandetur, tandem, argumentis in utramque partem allatis, poſterior ſententia pro veriori habetur, atque hinc concluditur, diuretica etiam brevioribus, quam per ſanguinem & renes, viis aliquando diffluere, atque minerales pariter aquas tranſitum ſuum ita peragere, non exiguam tamen earum partem in ſanguinem devolvi, atque per renum tubulos denuo e corpore proſcribi.
28. Multa poſthæc de tranſitu aquarum per alvum & urinam, ejusdemque cum adjumentis, tum impedimentis, diſputantur, & uterque effectus ex eo arceſſitur, quod acidulæ & thermæ, copioſo ſale primas vias jam irritante, & ad anum delabente, turgidæ alvum moveant, quando autem ſalina medicans tinctura miti ad aquam proportione in ejus ſubſtantia diſſeminetur, ob nullam conſtringendi & ſtimulandi vim poſt aliquam in primis viis moram, tandem utroque itinere per veſicam exeat. Atque hujusmodi diuretica vis aquæ Col-
35. donenſi ineſt, eademque certo modo ad tollendam ſterilitatem

tem conferre poſſe videtur, quemadmodum & externus uſus Pag. 36.
adverſus illam laudari ſolet. Monet præterea Noſter, in pota- 37.
tione fontis examinandas noxiarum tempeſtatum viciſſitudi-
nes, & in loco, ubi hauriuntur, bibendas eſſe aquas, quoniam, 38.
dum in longinquas regiones exportantur, præcipua illarum vis 40.
evaneſcat, & parum utilitatis ab hermetice ſigillatis vaſis ex-
pectandum ſit. Satiusne ſit in lecto, an inter deambulandum, 41.
frigidas, an calidas, bibere, difficillime definitur, & rectius
judicio pragmatico permittitur. Externe quoque, balnei for- 45.
ma, commode eæ adhibendæ, &, inſtar aliorum balneorum,
egregie eſſent profuturæ, imo interdum ſubventuræ ægri-
tudinibus, ubi internus uſus nihil juvaret. Propter inopiam 47.
vero balneorum tepidariorum inſtituendæ natationes, præ-
ſertim ſæviente canicula, & immerſiones confeſtim facien-
dæ forent, non ſine inſigni emolumento, præcipue in flu-
xu menſtruo nimio & fluore albo, in aliqua partium debili- 48.
tate, in pertinaci artuum impetigine, varicibus & annoſis ul-
ceribus, mictu ſanguinis, & atræ bilis æſtu. Accedit in calce
Epiſtola Autoris ad *Paſtorinum*, Medicum Leucenſem, quem
is rogat, ut, ſi qua de aquis Coldonenſibus habeat explorata,
ea ſecum communicet. Quamobrem & ille in adjecta reſpon-
ſione nonnulla de illarum elementis, ſed levioris momen-
ti, itemque de uſu in affectibus nephriticis, tam legitimis,
quam ſpuriis, in febribus lentis, diarrhœis, atque dyſenteriis,
defluxionibus tenuibus, ad pectus irruentibus, commemorat.

Ausführliche Reformations-Hiſtorie der Stadt und Univerſität Leipzig, ꝛc.

id eſt,

M. CAROLI GOTTLOB HOFMANNI, S. T. B. Eccleſiaſtæ ad S. Petri Lipſiæ, fuſior Hiſtoria Reformationis Urbis & Academiæ Lipſienſis, in lætam recordationem ſecundi Lipſienſium Jubilæi edita.

Lipſiæ, impenſis Bernh. Chriſtoph. Breitkopfii, 1739. 8.
Alph. 1 plag. 8.

Præmittitur libello huic, diligenter ſcripto, catalogus
Conſulum ac Senatorum, Miniſtrorumque Eccleſiæ,
hoc ipſo tempore in urbe noſtra patria florentium.
Occaſionem ſcripto ſubminiſtravit memoria ſecundi Ju-
bilei Lipſienſis. Præcedit hiſtoria Jubilei primi, A. 1639
inter calamitoſiora fata pie celebrati. Succedit ſtatus Li-
pſiæ, inde ab A. 1500 ad 1539 varie explanatus, ſolide-
que expoſitus. *Georgius Barbatus*, qui A. 1500 habenas
Pag. 2. regendi Marchionatus Miſniæ capeſſivit, hic paſſim ap-
paret deſcriptus. Ille erat, omnino Princeps mediocri-
ter doctus, Canonicatui Moguntino olim deſtinatus, fru-
galis, ſed opinionum avitarum religioſarumque vehe-
4. mens affectator. Magna ejus in urbem & Academiam Li-
pſienſem exſtant promerita. Accivit Lipſiam *Petrum Moſel-
lanum* ac *Henricum Stromerum*, Medicinæ Profeſſorem, a pa-
6. tria *Auerbach* dictum, ædificii ſplendidi, quod vocant au-
lam Auerbacenſem, autorem. Quanta, Seculo ineunte XVI,
10. caligo Theologiam tenuerit obſeſſam, dici vix poteſt. Su-
perſtitio & ignorantia Lipſiam adeo occupaverat, ut nihil
11. ſupra. *Raymundus*, purpuratus curiæ Romanæ pater, A.
1503 Lipſienſibus literas indulgentiis plenas caro ſatis pretio
divendidit, ſuccurſurus inſtituendæ contra Turcos bellicæ
expeditioni. *Conradus Wimpina* Oratione Cardinalem exce-
12. pit, luci publicæ data, qua *Raimundum*, indulgentiarum
venditorem, vocavit *angelum pacis ac alterum velut in ter-
ris Deum*, indulgentias vero *efficaciſſimum peccatorum piacu-
lum*. Addit Autor Pl. Rev. literas ejusmodi, ex officina *Rai-*
17 ſeq. *mundi* profectas, *pag. 13 ſeq.* quæ *Relationibus innoxiis Anni
1706 pag. 299* inſertæ exſtant, ad quas obelos criticos ſum-
mo jure adjunxit. Vario enim errore fluctuatus eſt ille, qui
literas illas loco laudato inſerendas curavit, notisque illuſtra-
vit. De nundinatione indulgentiarum, quam *Joannes Tet-
zelius* A. 1507, 1516, & 1517, exercuit opipare & pecunioſe,
haud tralatitia afferuntur. Mirum ſane, *Georgium*, Ducem
24. Saxoniæ, A. 1513 bis mille florenos impendiſſe Tragœdiis de
hiſtoria patientis ac morientis Redemtoris in foro publice re-
citandis

citandis ac concelebrandis. *Tetzelius*, cum is patriam na- Pag. 40 ſeq.
ctus fuerit Lipſiam, plurimam hic dicendi materiam ſup-
peditavit. M. *Vogelius* vitam ejus ex profeſſo abhinc viginti
circiter annis Lipſiæ edidit. *Tetzelius* A. 1482 albo ſtudioſo-
rum Academicæ vitæ nomen ſuum dedit; A. 1487 evaſit Phi-
loſophiæ Baccalaureus; A. 1489 ingreſſus eſt Paulinum Lipſien-
ſium, Dominicanis dicatum, monaſterium; paulo poſt ab
Epiſcopo Merſeburgenſi Sacerdos fuit allectus; A. 1500 Cy-
gneam orationibus ſacris eloquentiſſimis perfudit; A. 1502 &
1504 jam in Indulgentiis prædicandis præconem egit; Oeni- 43.
ponte A. 1512 adulterii crimine ſeſe maculavit, ſupplicio ea-
propter afficiendus, ni *Friderici*, Electoris Saxoniæ, preces
eum liberaſſent. Pontifex eum a tanta abſolvit lue. *Herman-
num Rab* A. 1519 exſtitiſſe Dominicanorum Saxoniæ Provin-
cialem, Autor oſtendit, erroremque *Vogelii*, & qui eum ſecuti 50.
ſunt, quantum ad hoc attinet momentum, emendat. Collo-
quium Lipſienſe religioſum, cum D. *Andrea Eccio*, Ingolſtadi- 56 ſeq.
enſi, A. 1517 de Indulgentiarum doctrina capitibusque aliis af-
finibus habitum, fuſe ac copioſe ediſſerit & explanat, intextis
nonnunquam literis, ex avtographo nunc primum protractis.
Obiiſſe *Tetzelium* Lipſiæ, cum in caſtro *Georgii* Ducis publice
Lutherum inter & *Eccium* diſputaretur de autoritate Indul-
gentiarum Pontificiarum, neminem facile præterit. Summa
orationis ſacræ, quam *Lutherus* Lipſiæ recitavit primam in 123 ſeq.
caſtello Pleiſſenburg de clavium poteſtate ad *Matth. XVI,
13-20*, recuſa hic denuo exſtat. Cognomentum, quo *Luthe-
rani* vocantur Chriſtianorum nonnulli, a D. *Eccio* profectum,
ac ab iſto adhibitum fuit A. 1519 menſe Octobri in libro, qui
inſcriptus: *Reſponſio pro* H. Emſer *contra male ſanam* Luthe-
ri *venationem*, *ad* Jo. de Schleinitz, *Eccl. Miſn. Epiſcopum.*
Eccius, colloquii Lipſienſis moleſtia perfunctus, peregre
abiit Romam, literasque Pontificis fulminantes, *Luthero* op-
poſitas, acceleravit. Quas, Lipſiam redux, metu plenus, 132.
non auſus fuit promulgare, obſtante Ducis *Georgii* interdi- 136.
cto quodam ad tempus. *Auguſtinus Alveldenſis*, Franciſca-
nus in Collegio Paulino Monachus, poſt *Hieronymum Emſe-*

Digitized by Google

rum varia in *Lutherum* ſpicula & ſcripta emiſit, quibus re-
Pag. 144. tundendis magnanimitas *Lutheri* admodum ſuffecit. Præter
eos M. *Hieronymus Dungersheim*, alias *Ochſenfarth*, id eſt,
Ochsfurtanus, Doctor & Profeſſor Theologiæ Lipſienſis,
151 ſeq. ac D. *Thomas Murnar*, *Lutherum* tentarunt potius, quam col-
labefecerunt. *Georgius*, Dux Saxoniæ, in Comitiis Wor-
matienſibus adeo invectus fuit in vitia Clericorum ac avari-
157 ſeq. tiam eorum, qui nundinationes indulgentiarum amabant, ut
ferventiſſimus *Lutheranus* duriora proponere haud potuiſſet.
Idem vero *Georgius* quantopere a ſuis contra *Lutheri* doctri-
nam inſtigatus fuerit, eamque iverit oppreſſum, propemodum
fidem omnem excedit. Longus multusque eſt S. Rev. Au-
tor in eo, ut id ipſum exemplis confirmet, ad ipſam *Georgii*
mortem continuatis. Memoratu digna ſunt, quæ de prima
N. T. interpretatione *Lutheri* vernacula *pag. 150 ſeq.* ac de
ſimili quadam, quam *Hieronymus Emſerus* ſtruxit, *pag. 190
ſeq.* afferuntur. Ut verbo dicamus, quod res ipſa videtur
efflagitare, Ducis *Georgii* molitiones adverſus *Lutherum* ac
Eccleſiam Evangelicam faciunt hic paginam utramque. Il-
lud eſt commemorabile, quod *Lutherus Joannis*, natu ma-
ximi e Principibus juventutis *Georgii*, mortem morte patris
303. priorem prænuntiaverit. Memoratu autem eſt dignius, *Geor-
gium*, filio moribundo ſolatia applicantem, nihil de operibus
304. meritoriis, Sanctisque adorandis, memoraſſe, ſed potius ipſi
ſanguinem & merita Chriſti propoſuiſſe, cauſatum poſtea,
322 ſeq. hæc non ſanis, ſed morti proximis, eſſe aperienda. *Geor-
gius* ipſe, cum ageret animam, unice in Chriſti miſericordia
& promeritis acquievit, placideque obiit diem ſupremum.
Succeſſit fratri *Henricus*, qui A. 1539 per Thuringiam Miſ-
niamque introduxit liberam Evangelicæ doctrinæ profeſſio-
nem. Huic reformationi pertexendæ inſignem S. Rev. Autor
335 ſeq. operam navavit. Repoſuit primam, reformationis adornandæ
plenam, concionem ſacram *Lutheri*, Lipſiæ habitam, per-
350 ſeq. petuoque applauſu exceptam. Reformationem ipſam, ejus-
que prudentiſſimam adminiſtrationem, exequitur omnino
Autor ea diligentia, ut eam invidia ipſa, ſi vel maxime vo-
luerit,

Digitized by Google

luerit, haud poſſit vituperare. Appendicis loco exponitur vita D. *Simonis Piſtoris* & D. *Henrici Stromeri*, ſeu *Auerbach*, *Lutheri* amicorum. Tractatio autem omnis *Capita* complectitur *XIV*, quæ inſignem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Evangelicæ conſtituunt partem, eique lucem affundunt haud vulgarem. Pag. 428 ſeq.

NOVA LITERARIA.

Celeberrimo olim viro, *Burchardo Gotthelf Struvio*, Hiſtorico Jenenſi, ante annum, & quod excurrit, magna literarum jactura ex hac vita evocato, paucis ante obitum diebus conſtitutum fuerat, prelo ſubjicere Opus magnum, diuque deſideratum, hoc, ſi fata voluiſſent, aut in poſterum volent, titulo proditurum: Burchardi Gotthelf Struvii *Corpus Juris Gentium, ſive Jurisprudentia heroïca, comprehendens ea, quæ inter gentes obtinent, ſecundum Jus perſonarum & rerum applicata, argumentis ex Jure Naturæ & Gentium petitis, innumeris exemplis ex Actis publicis editis & ineditis, atque Hiſtoriarum monumentis omnis ævi, illuſtrata, IV Tomis conſtans, cum Indice locupletiſſimo.* Quantum ab eo Opere liceat expectare, vel inde poteſt conjici, quod annos prope triginta totus fuerit Autor in condendo eo, expoliendo, accommodandoque ad uſum rerum publicarum. Nam, cum olim, in itinere conſtitutus, nobiliſſimas quasque Bibliothecas, & tabularia magnorum Principum, inſpiceret, inter alias meditationes, conſilium cepit, *Juris Gentium* hoc *Corpus*, ſive *Jurisprudentiam heroicam*, concinnandi. Vix domum reverſus, totius Operis conſpectum delineavit, ita, ut illud ſecundum Jus perſonarum & rerum, quæ methodus ipſi aptior eſt viſa, in *quatuor Libros* diſpeſceret, quorum *priori* totum Jus perſonarum illuſtrium, *altero* ea, quæ ad ſummam poteſtatem, regna, & imperia, horumque ſucceſſionem, facerent, *tertio* pacta & obligationes illuſtrium, atque inter hæc univerſam Legatorum materiam, exponeret, *quarto* Judicia inter Gentes, jus belli, pacis, & fœderum, explica-

ret, ſingulos vero *Libros* in certa *Capita* redigeret. Tum huic Operi materiam & apparatum literarium collecturus, per plures annos nihil aliud in hoc Opere egit, quam ut, pervolvendo Hiſtoriarum atque Juris Gentium monumenta, ſub ſingulis titulis argumenta atque exempla, ad illos facientia, ſedulo annotaret. Poſtea unum vel alterum Caput, ordine primum arbitrario, prout collectanea ſufficere videbantur, ſuſcepit elaborandum. Pluribus Capitibus ita elaboratis, ſecundum Capitum ſeriem progreſſus eſt, remque eo deduxit temporis progreſſu, ut, ſi pauca a rerum iſtarum perito, Editore addantur, jam Opus integrum, viginti Alphabetorum menſuram habiturum, magno literarum commodo emitti in lucem poſſit. Quod ut fiat, nos quidem ſerio optamus, tum quod induſtria *Struviana*, plurimis aliis ſpeciminibus dudum omnibus perſpecta, elaboratiſſima quæque promittat, tum quod Opus hoc ſit ex eorum numero, unde, ſpes eſt, haud parum emolumenti ad Publici Gentiumque Juris doctrinam redundaturum. Delineabimus jam Opus univerſum, ipſos *Librorum Capitum*que titulos apponendo:

Libri primi Cap. I *de Jure Gentium*; II *de Fide & utilitate publica*; III *de Obſervantia, judicio, & arbitrio inter gentes*; IV *de Fato, an locum habeat in publicis*; V *de Illuſtrium perſonis*; VI *de Regis Regum titulo*; VII *de Sponſalibus & nuptiis illuſtrium*; VIII *de Matrimoniis in gradibus probibitis*; IX *de Iure diſpenſandi circa matrimonia illuſtrium*; X *de Matrimoniis per Procuratorem illuſtrium*; XI *de Matrimoniis illuſtrium impuberum*; XII *de Matrimonio inter perſonas diverſæ religionis illuſtrium*; XIII *de Matrimonio ex ratione ſtatus illuſtrium*; XIV *de Matrimoniorum inter illuſtres reſtricta facultate*; XV *de Matrimonio inæquali illuſtrium maritorum*; XVI *de Matrimonio inæquali illuſtrium, a parte uxoris*; XVII *de Matrimonio virgineo & conſcientiæ illuſtrium*; XVIII *de Matrimoniis ſecundis illuſtrium*; XIX *de Imperio mariti in uxorem*; XX *de Dote & pactis dotalibus illuſtrium*; XXI *de Donatione propter nuptias illuſtrium*; XXII *de Dotalitiis illuſtrium*;

Digitized by Google

ſtrium; XXIII *de Polygamia illuſtrium*; XXIV *de Repudiis illuſtrium*; XXV *de Divortiis illuſtrium Germaniæ*; XXVI *de Divortiis Regum & Principum exterorum*; XXVII *de Raptu illuſtrium*; XXVIII *de Illuſtrium libidine*; XXIX *de Concubinis illuſtrium*; XXX *de Liberis naturalibus illuſtrium*; XXXI *de Partu ſuppoſito*; XXXII *de Jurisprudentia privata illuſtrium*; XXXIII *de Patria poteſtate illuſtrium*; XXXIV *de Adoptionibus illuſtrium*; XXXV *de Emancipatione illuſtrium*; XXXVI *de Legitimatione illuſtrium*; XXXVII *de Tutelis & cura illuſtrium*; XXXVIII *de majore illuſtrium ætate*; XXXIX *de Curatore fœminæ illuſtris*; XL *de Regibus & Principibus captivis*; XLI *Monaſteria, Principum carceres*; XLII *de Pœnis illuſtrium*; XLIII *de Proſcriptis*; XLIV *de Servitute Juris Gentium perſonali.*

Libri ſecundi Cap. I *de Summa poteſtate*; II *An Majeſtas ſit immediate a Deo*; III *de Regum majeſtate*; IV *de Monarchomachis*; V *de Obedientia paſſiva*; VI *de Pactis conventis*; VII *de Depoſitione ac coercitione imperantium*; VIII *de Cauſis depoſitionis*; IX *de Regum Principumve abdicatione*; X *de Principe legibus ſoluto*; XI *de Conſortibus regiminis*; XII *de Reginæ maritis*; XIII *de diverſis Regum ſpeciebus*; XIV *de Imperio muliebri*; XV *de Pſeudo-Regibus*; XVI *de Cæſarie, regio olim inſigni*; XVII *de Summorum imperantium jure in alieno territorio*; XVIII *de Templorum & locorum religioſorum ſanctitate*; XIX *de Mari libero, & imperio maris, & jure ſubmittendi vela*, vom Segel-Streichen; XX *de Servitutibus Juris Gentium*; XXI *de Uſufructu Juris Gentium*; XXII *de Præſcriptionibus*; XXIII *de Succeſſione illuſtrium*; XXIV *de Succeſſione ſolitaria illuſtrium*; XXV *de Jure Primogenituræ*; XXVI *de Paragio & Apanagio*; XXVII *de Succeſſione ſecundogeniti præ primogenito*; XXVIII *de Succeſſione fratris præ filio illuſtrium*; XXIX *de Succeſſione fœminea*; XXX *de Succeſſione lineali, agnatica, & cognatica*; XXXI *de Jure repræſentationis*; XXXII *de Judice in controverſa ſucceſſione*; XXXIII *de Teſtamentis illuſtrium*; XXXIV *de Exhæredationibus illuſtrium*;

XXXV

XXXV *de Succeſſionis renuntiatione illuſtrium;* XXXVI *de vulgari & pupillari ſubſtitutione;* XXXVII *de Fideicommiſſis illuſtrium;* XXXVIII *de Juramentis illuſtrium;* XXXIX *de Jure majoris partis.*

Libri tertii Cap. I *de Acquiſitione Juris Gentium;* II *de Pactis, obligationibus, metus exceptione, & reſtitutione illuſtrium;* III *de Alienationibus illuſtrium;* IV *de Permutationibus illuſtrium;* V *de Jure pignoris & hypotheca illuſtrium;* VI *de Obſtagio & fidejuſſionibus illuſtrium;* VII *de Mandatis illuſtrium;* VIII *de Donationibus illuſtrium;* IX *de SCto Vellejano illuſtrium;* X *de Obſidibus illuſtrium;* XI *Scriptores de Legatis;* XII *de Legatis in genere, & horum nomine;* XIII *de Legatorum differentiis;* XIV *Quinam jus habeant mittendi Legatos;* XV *Controverſia de jure Legationum;* XVI *de Legatorum qualitate;* XVII *de Legatorum numero;* XVIII *de Muneribus Legatorum;* XIX *de Legatorum rejectione;* XX *de Legatorum exmiſſione;* XXI *de Legatorum ſanctitate;* XXII *de Legato proditore;* XXIII *de Legatorum jure revocandi domum;* XXIV *de Aſylis Legatorum;* XXV *de Legatorum contractibus;* XXVI *de Legatorum delictis publicis & pœnis;* XXVII *de Exercitio domeſtico religionis Legatorum;* XXVIII *de Legatorum violatione;* XXIX *Injuria Legatis facta cauſa belli;* XXX *Pœna illorum, qui Legatos violaverint;* XXXI *de Familia, comitibus, ſupellectile Legatorum;* XXXII *de Fecialibus.*

Libri quarti Cap. I *de Æquilibro Europa;* II *de Latrocinio gentis in gentem;* III *de Bello, & ejus jure;* IV *de Cauſis & juſtitia belli;* V *de Belli initiis;* VI *de Indictione belli;* VII *de eo, quod in bello liceat, vel non;* VIII *Capta urbes per aquaductum;* IX *de More ſe devovendi pro victoria;* X *de Jure poſtliminii;* XI *de Principum duellis;* XII *de Colloquiis Principum;* XIII *de Auxiliis fœderatorum;* XIV *de Neutralitate;* XV *de Prædonibus atque piratis;* XVI *de Prædonibus privilegiatis,* von Freybeutern; XVII *de Contributionibus bellicis;* XVIII *de Jure Amneſtia;* XIX *de Induciis;* XX *de Jure, mediatione, & congreſſu Pacis;* XXI *de Pacis Inſtrumentis;* XXII *de Fœderibus.*

* * *

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio III.

BERNHARDI SEBASTIANI CREMERI, Zutphanienſis, S. Theol. Doctoris & Profeſſoris Harderoviceni, Antiquitates Moſaico-typicæ.

Tomus I.

Amſtelodami, apud Henricum Viroot, 1733, 4.
Alph. 3, plag. 16, Fig. 6.

Quamvis multi ex Theologis de antiquitatibus Veteris Teſtamenti ex inſtituto commentati ſint; Rev. tamen *Cremerus* vel hoc nomine actum agere non eſt dicendus, quod malit ex ipſa ſacra Scriptura antiquitates Moſaicas interpretari, quam in explicandis iis vel ad paganorum, vel ad Rabbinorum, ſcripta confugere. Dici non poteſt, quantopere nimium ſtudium Scripturam ſacram e paganis ſcriptoribus explicandi Exegeticæ Theologiæ nocuerit. Etſi enim negandum non ſit, interdum ex iis Scripturæ ſacræ lucem poſſe accendi; *Spencerus* tamen, & qui ejus ſequuntur veſtigia, dum ubivis ad paganos ritus provocant, in ipſam Scripturam ſacram ſunt injurii, & eruditionem ſuam alieno loco oſtendunt. Idem cenſendum eſt de iis, qui Rabbinorum ſcripta ſemper in ſubſidium vocant. Conſtat enim, nihil minus a divino ſpiritu profectum eſſe, quam illud opus, quod *Thalmud*, vel Lex oralis, dicitur. Neſas igitur eſt, provocare

Digitized by Google

ad *Moſen Amramidem* & *Moſen Maimonidem*, ac ſi eſſent dicta illorum ejusdem ponderis atque autoritatis, cujus ipſa eſt Scriptura ſacra. Turpiter ſæpenumero ſe dant, qui e *Miſchna* ritus Moſaicos illuſtrant. Cum enim eædem cerimoniæ ſub *Moſe*, ſub *Salomone*, & ſub *Zorobabele*, non fuerint; ſæpiſſime uſu venit, ut, quæ ſub ſecundo templo evenerunt, ad liturgiam tabernaculi explicandam afferant, &, quod conſequens eſt, præter neceſſitatem multis ſe involvant difficultatibus. Quæ cum ita ſint, non poſſumus non applaudere Rev. *Cremero*, qui id agit in *Antiquitatibus* ſuis *Moſaico-typicis*, ut, miſſis antiquitatibus paganis & Rabbinicis, ex ſola Scriptura ſacra *Moſaicos* ritus explicet. Cum enim *Moſes* Prophetarum Veteris Teſtamenti ſit princeps, præeunte Servatore noſtro, Rev. Autor ſupponit, reliquos Prophetas omnes in *Moſen* tantum commentatos eſſe, atque in Novo Teſtamento declarari, *Moſis* vaticinationibus Servatorem noſtrum, *Jeſum Chriſtum*, expletionem attuliſſe omnibus ex partibus perfectam. *Moſis* igitur libros primum e ſolo *Moſe* interpretatur, deinceps e ſcriptis Prophetarum Veteris Teſtamenti & Evangeliſtarum atque Apoſtolorum Novi Teſtamenti interpretationem ſuam firmat. Exemplum hanc in rem allaturi, provocamus ad ea, quæ Rev. Autor *Cap. XV* de ſacro unguento & unctione ex *Exod. XXX, 22-33*, diſputat. Cum *Eſ. LXI, 1-3*, hunc locum *Moſis* confert, atque hoc ipſo declarat, *Moſen l. c.* typos Meſſiæ atque Novi Teſtamenti recenſere. En ipſa Cl. Autoris verba: Pag. 445.

MOSES.	ESAIAS.
1. Dividit unctionem ſacram in illam, quæ applicata fuit *Aaroni* cum *filiis ejus*, & tabernaculo.	1. Dividit unctionem, quæ facta eſt *Chriſto IX, 1*, cum *filiis* ejus *IX, 6*, & quæ contingit *Moeſiis Zionis*, vel *Zioni Moeſio, IX, 3*.
2. Quinque enumerat aromata, ad oleum ſacrum requiſita, idque	2. Quinque memorat beneficia myſtica, unguentum componentia,

א Du-

א Duplicem doſin *myrrha libertatis*, ad quingentos ſiclos.

א Duplex donum, conſiſtens in promulgatione *Evangelicæ libertatis*, & *obligatione cordis contriti.*

ב Simplicem doſin *cinnamomi aromatici*, ad 250 ſiclos.

ב Simplex bonum *libertatis* legalis *captivis dandæ.*

ג Et *calami aromatici* ad 250 ſiclos.

ג Et *aperturam* oculorum *vinctis* realiter conferendam.

ד Duplicem doſin *ſtyracis calamitæ* ad 500 ſiclos.

ד Duplex bonum, in *proclamatione anni accepti Domino*, & *diei vindictæ Domini.*

ה *Hinem olei olivæ.*

ה Conſolationem pro omnibus lugentibus *v.* 2.

3. *Arte unguentaria* opus erat, ut inde fiat *oleum* unctionis ſanctæ.

3. Ex iſtis beneficiis etiam fit *oleum lætitiæ ;* & qua arte hic opus ſit, liquet, quia ſic ſimul datur pro *cinere ornatus capitis*, pro *ſpiritu obtuſo amictus laudis.*

4. Oleum hoc eſt *ſanctum Jehovæ*, quippe quo fiebat *ſanctificatio.*

4. Uncti etiam induuntur *amictu laudis*, & fiunt *planta Jehovæ ad condecorandum.*

5. Reſolvuntur doſes aromatum in *quinquaginta*, quo reſpicitur dies pentecoſtalis, vel annus Jubilæus, indicium libertatis, & in *quinque* quinquaginta, vel ſimplici, vel duplici, doſi.

5. Perpetuo alluditur ad *annum 50*, vel *Jubilæum*, & promulgationem libertatis, quæ tum fiebat, & quinque, vel ſimplici, vel duplici, doſi gratiæ, unctos dicit, nempe א manſuetos, ב confractos

 corde,

Digitized by Google

	corde, ג captivos, ד vinctos, & ה mœſtos.
6. Manet graviſſima *pœna* transgreſſores.	6. Dies *vindictæ* etiam transgreſſores inveniet.

Suis Antiquitatum Moſaico-typicarum explicationibus obſervationes Rev. Autor addidit, quibus & diverſa ſentientium argumenta ſub judicium vocat, & de Theologiæ typicæ ratione generatim diſputat. Hoc agit in Tractatu, quem procemii loco præmiſit, de antiquitatum ſacrarum reformatione, & de typorum requiſitis ac præſtantia, illud in annotationibus, unicuique paginæ ſubjunctis. Ne exempla deſint, Cl. Autoris obſervationem recenſebimus, de Scriptura ſacra in rebus phyſicis ſecundum captum vulgi loquente.

Pag. 90. Neque enim neceſſarium eſſe exiſtimat Cl. Autor, ut aliquis in *Newtoniana* ſchola ætatem triverit, qui iridis aulæorumque colores emblematice vult explicari. Solum enim viſum colorum hic ſufficere ad literæ intellectum & ad uſum emblematicum e Scriptura ſacra eruendum. Videlicet in Scriptura ſacra non id agi, ut philoſophice phænomena quædam explicentur, ſed, phænomena quædam tantum in uſum emblematicum verti, exinde probat, quod emblemata quædam phyſica in Scriptura ſacra formentur, non prout in rerum natura ſunt, ſed pro arbitrio, & plane paradoxo modo, mixtis alius generis emblematibus. Sic enim ſol fit ater ut ſaccus ſilicius, luna ut ſanguis, ſtellæ decidunt, ut groſſi e ficu, cœlum convolvitur ut liber, montes & inſulæ aufugiunt *Apoc. VI*, &c. *Pag. 93* Cl. Autor obſervat, Celeb. *Stephanum le Moine* in *Variis ſacris Tom. II pag. 387* locum *Apoc. II, 26, 27*, perperam ex antiquitatibus Ægyptiacis interpretari, cum ex Judæorum antiqnitate hieroglyphica explicari commode poſſit. *Apoc. II* dicitur, Deum in fide perſeverantibus daturum virgam ferream atque ſtellam. Quæritur igitur, quid per virgam ferream atque ſtellam *h. l.* indicetur. Cl. Autor reſpondet: Alluſio fit ad columnam nubis & ignis, quæ, quia in ſummitate facem continebat,

ſtel-

ſtellam quandam, &, cum recta ſtatura inſtar columnæ erat, virgam vel ſceptrum, repræſentabat. Ipſa vero Emblematum ratio ex ſacra Scriptura petenda eſt, ubi ſtellæ & angeli alternant, & vice verſa utrique Doctores cœleſtes figurant. Sceptrum vero ad regiam dignitatem ex communi uſu nos ducit. Cum vero de eodem & ſtella & ſceptrum prædicetur, Meſſias occurrit ut Doctor ſimul & Rex, atque adeo qui docet tanquam Rex, & regnat per veritatem, quam tanquam Doctor annuntiat. Plura non addimus, cum ex iis, quæ recenſuimus, de Cl. Autoris inſtituto jam conſtet. Neque enim dubitamus, Lectorem intelligere, Rev. *Cremeri* de Antiquitatibus Moſaico-typicis librum poſſe utilem Commentarium in quinque Libros *Moſis*, ex ipſa Scriptura ſacra adornatum, jure meritoque appellari.

DE BAPTISMO IN SOLIUS JESU CHRIſti nomine nunquam conſecrato, adverſus R. P. JOSEPH. AUGUSTINUM ORSI, Diſſertatio reciproca, Autore F. R. H. D. Doctore Sorbonico.

Patavii, 1734, 8 maj.

Plag. 15.

Rev. P. *Joſephus Auguſtinus Orſi*, ex Prædicatorum familia, & Romæ in Collegio Cazanatenſi Profeſſor, *Thomam de Aquino* defenſurus, adoptavit ſententiam, Apoſtolos nonnunquam ex ſingulari privilegio Baptiſmum adminiſtraſſe non in nomine SS. Trinitatis, ſed ſolius Jeſu Chriſti. Contra hunc *Orſium* Autor noſter in aciem procedens, primum obſervat, præter *Thomam Aquinatem*, *Guilielmum Altiſſiodorenſem*, *Bonaventuram*, *Alexandrum Halenſem*, ipſum *Scotum* ita ſenſiſſe. Rev. *Orſi* autem, ceu Thomiſta Theologus, pro communi Magiſtro ſcripſiſſe videri potius voluit, & pro aris focisque ſuis certaſſe. Inde factum eſſe arbitratur Noſter, ut *Orſius* adverſarios, quibuscum contenderet, non ex propria ſchola, (ſcilicet ſecta *Thomiſtarum*,) quod (per jam allata) erat ei facillimum, provocarit, ſed, contra *Suareſium*, *Vaſqueſium*, *Harduinum*, arma convertendo,

Pag. 2.

tendo, in aliena *Moliniſtarum* caſtra irruperit, caute profecto callideque diſſimulans, ſummos etiam *Thomiſticæ* ſcholæ magiſtros, *Dominicum a Soto*, *Melchiorem Canum*, *Jo. Nicolai*, *Natalem Alexandrum*, idem omnino ea in parte ſen-
Pag. 4. ſiſſe, contra quos ne mutire quidem fuerit auſus. Hinc Autor noſter *Cap. I* ex Evangeliſtis probat, Baptiſmum in ſolius Chriſti nomine nec valuiſſe unquam, nec ab Apoſtolis adminiſtratum eſſe, &, quæ in inſtitutione baptiſmali apud *Marcum* & *Lucam* deſunt, ex *Math. III* & *XXVIII* ſupplet.
11. *Cap. II* loca Actuum Apoſtolicorum, in quibus Apoſtoli interdum in ſolius Chriſti nomine baptizaſſe dicuntur, cum locis *Matthæi* conciliat, evincens, Apoſtolos nullatenus præter legem aut inſtitutionem ex quodam privilegio in ſolius Jeſu nomine baptizaſſe. *Lucam* enim in Actibus non deſcribere formam Baptiſmi, ſed merum factum, prætermiſſis ejusdem neceſſariis conditionibus ac circumſtantiis, enu-
[illegible] merare. Phraſin vero, *baptizari in nomine Chriſti*, idem ſignificare ac ejus autoritate, & Baptiſmo, quem ipſe inſtituerat, expiari, ita, ut Baptiſmus in nomine Chriſti non cum excluſione apertæ invocationis Patris & Spiritus S. in actu ipſo baptizandi, ſed oppoſite ad Judæorum luſtrationes, ip-
17. ſumque *Joannis* Baptiſma, dictus fuerit. More Hebræorum *nomen* idem eſſe ac poteſtatem, & phraſin, *in nomine alicujus aliquid facere*, idem ſignificare ac *imperio & autoritate*
26. *alicujus aliquid tranſigere*, Pergit deinceps *Cap. III* Noſter, & privilegii (quod *Orſius* ſupponit) Apoſtolis concedendi cauſas, ab ipſo aliisque jactatas, vanas eſſe oſtendit. Scriptura S. ſic pro communi ſententia & formula aſſerta, progredi-
37, 54. tur Autor ad ſtabiliendam pariter Traditionem, quamplurima Patrum loca vindicans contra *Orſium Capitibus quarto*
78. & *quinto*. *Cap. VI Cypriani* ad *Jubajanum* Epiſtola expenditur, totaque pro Baptiſmo in adunata Trinitate conferendo,
110. ſine diſcrimine temporum, militare monſtratur. *Cap. VII* Scriptorum Anonymorum, qui *Cypriano* coævi creduntur,
120. ſententia detegitur, & contra *Orſium* vindicatur. *Cap. VIII* *Hilarius Pictavienſis* nunquam ſenſiſſe adſtruitur, Apoſtolos

in

in ſolius Chriſti nomine baptizaſſe. *Caput IX & X Baſilium* Pag. 126,
& Ambroſium, Cap. XI Origenem, Chryſoſtomum, & Auguſtinum, Cap. XII Fulgentium, Ferrandum Diaconum, Vigilium 142, 153. 173.
Tapſenſem, Paſchaſium, Julianum Toletanum, & Paulinum Aquilejenſem, Cap. XIII Facundum Hermianenſen, Cap. XIV 190, 200.
Canones Apoſtolicos, *Joannem Damaſcenum, & Theophylactum, Cap. XV Nicolaum I, Pontificem, Bedam, Algerum,* 208.
Hugonem a S. Victore, Petrum Lombardum, ſingulos ac omnes, contra *Orſium* vindicant. *Cap. XVI* demonſtrat, opi- 215.
nionem de Baptiſmo in ſolo Jeſu Chriſti nomine ab Apoſtolis adminiſtrato non *Thomæ Aquinati* peculiarem, ſed recentioribus Scholaſticis, paulo ante indicatis, familiarem eſſe.
Cap. XVII evincit, ab hac, non tam *Aquinatis Thomæ*, quam 222.
omnium ferme ſcholarum, doctrina præſtantiſſimos *Thomiſtas* ipſos, ſupra nominatos, ſine injuria ſui anteſignani, *Doctoris Angelici* vulgo dicti, diſceſſiſſe. Quodſi quis cum hacce doctiſſima Diſſertatione *Anti-Orſiana* conferat, quæ ex Theologis Proteſtantibus *Caſpar Læſcherus* in Diſſertatione *de Baptiſmo in nomine Chriſti* attulit, vix pluribus in nobiliſſimo hoc argumento theologico eum indigere, candidi pronuntiamus.

TRAITÉ DE L'OPINION, &c.

h. e.

TRACTATUS DE OPINIONE, SEU COMMENTARII, hiſtoriæ mentis humanæ inſervituri, Autore GILBERTO CAROLO GENERO (le Gendre), Marchione, olim libellorum ſupplicum magiſtro.

Tomi V.

Pariſiis, apud Briaſſonum, 1733, 12 maj.

Tom. I Alph. 1 plag. 9 ½, Tom. II Alph. 1 plag. 6, Tom. III Alph. 1 plag. 6, Tom. IV Alph. 1 plag. 1, Tom. V Alph. 1 plag. 20.

Quodſi unquam fuit Seculum, quo nihil quidquam temere credere, ſed dubitare ſobrie de omnibus, & res, quæ ad eruditionem pertinent, ad vivum reſecare, doctrinasque

Digitized by Google

easque ſuis velut ponderibus expendere, ſagaciores conſueverunt; id ſane noſtris maxime temporibus, poſt reſtitutam cogitandi libertatem, uſu venire cernimus, adeo quidem, ut, verſa in licentiam libertate, nonnulli limites excedant, omniumque ſcientiarum fundamenta convellere, quicquid adhuc certum fuit, de mundo tollere, & ſumma imis commiſcere, ſibi admodum glorioſum putent. Nimis tamen credula forſan Doctiſſimo Autori noſtra ætas videtur, qui eidem quandam dubitandi artem denuo proponit, eo ſcilicet conſilio, ut, qui ſcientias tractant, non incaute inconſiderateque opiniones quascunque, propter aliorum autoritatem, probent, ſed judicium prudenter ſuſpendant, & de re ipſa accurate disquirant. Quapropter toto hoc libro id agit, ut fluxam incertamque hominum cognitionem, magnam, imo maximam, opinionum atque conſuetudinis vim, vel potius tyrannidem, dubia in ſcientiis humanis adhuc & contradictionum plena omnia, ſub nomine ſcientiæ fraudes occultatas, & credulitatem illuſionibus erroribusque ornatam & velut veſtitam eſſe, oſtendat. Quo ipſo tamen longe ſe abeſſe a Pyrrhoniſmo, quem inſanum periculoſumque vocat, idque unice ſe conſtitutum habere, cauſatur, ut ſcientias ab obſcuritate liberet, myſteria tenebricoſa retegat, homines ab opinionibus ad accuratum rerum omnium examen revocet, atque ad veritatem iis quoque, qui literis alias nullam operam addixerunt, aditum planum facilemque paret. Et alii quidem eo fine aliam atque aliam viam inierunt. Noſter vero non tam abſtruſis notionibus, & longius quæſitis argutationibus & argumentis, diſputandum eſſe putavit, quam inſtitutionem per exempla eligendam duxit, adeoque rem non tam dogmatice, ut vocant, quam hiſtorice, tractaturus, id ipſum, quod ei propoſitum eſſe jam commemoravimus, ex opinionum ſingulis in ſcientiis diverſitate evincere ſuſcepit. Neque tamen errores obſcuros, vel opiniones ſingulares, ſed maxime vulgares ac velut populares, & autorum ſuorum nomine, tanquam præſidio quodam, ſe munientes, perſequi decrevit. Quoniam vero ex his ipſis ſimul cognoſcitur, quous-

Digitized by Google

quouſque cogitandi vis & ratio in rebus humanis eniſa fuerit, menti idcirco humanæ monumenta maxime illuſtria hiſtoriæ ſuæ in iis, quæ ad ſcientias profanas, & veritatis diſquiſitionem, pertinent, repræſentare ſibi videtur. Quamvis autem & *Picus Mirandulanus* in libro de examine doctrinæ gentium, & *Cornelius Agrippa* in Opere de vanitate & incertitudine ſcientiarum, eandem propemodum commentandi rationem tenuerint; ſe tamen in permultis ab eorum conſuetudine diſcedere, Autor profitetur. Illi enim, quod in eruditorum tantum hominum gratiam libros ſuos erant edituri, breviter tantum ſtrictimque incertitudinis & contradictionum in ſcientiis exempla attigerunt, & lectores dijudicandis diverſis opinionibus idoneos requiſiverunt; Autor vero noſter in utriſque, cum literatis, tum literarum expertibus, condocendis elaborat, ut opinionum imperium, vel potius tyrannidem, cognoſcant. Quamobrem opiniones copioſe & diſtincte ſæpius iisdem Autorum verbis enarrat, ut ipſimet lectores de iſtis judicandi facultatem conſequantur, quibus nunc ſentiendi libertatem relinquit, nunc, quibus partibus accedere debeant, indicat. Doctis itaque lectoribus non injucundum erit, varias illas variarum diſciplinarum & artium opiniones, per tot volumina diſperſas, hic maximam partem collectas recognoſcere. Qui vero data opera literas non tractarunt, eum nihilo minus ex hoc Opere fructum capient, ut de variis rebus, de quibus inter eruditos diſceptatur, ideas ſibi comparare, atque ipſimet etiam ferre ſententiam, queant. Triplicem vero inprimis ex toto hoc libro uſum pollicetur. Quando enim tyrannis opinionum cognoſcitur, quam facile eæ mentem capiant, & per univerſum genus humanum fundantur, inde excitandos eſſe homines oſtendit, ut veritatem ament & conſectentur, erroribus nuntium mittant, ſententias diverſas ſub judicium vocent, & cuivis eam, quæ decet, fidem habeant. Deinde, cum ſatis hinc liqueat, mentis noſtræ cognitionem mancam admodum mutilamque eſſe, arctisque coerceri carceribus, & pauciſſima ex iis, quæ naturali ordine & ſimpliciſſimo inter ſe nexu cohærent, ſciri

& comprehendi, inſanum profecto foret, in ſacris doctrinis ea, quæ ad Deum incomprehenſibilem, & res divinas, ab eodem, cujus & intellectus & potentia mentis noſtræ vires quam longiſſime transgreditur, profectas, pertinent, non credere & amplecti, propterea, quod non concipi a nobis queant, & ſanctiſſimæ fidei placita ad rationis trahere tribunal. Atque non ſolum hoc loco, ſed toto etiam Opere, magnam revelatæ religionis divinique Codicis præ ſe fert venerationem. Tertio denique & illud futurum eſſe arbitratur, ut omnes illæ occultæ, quæ vocantur, ſcientiæ in eum, quem futilitas earum meretur, contemtum adducantur. Atque de his quidem uſibus *Tomi I. Cap. 1* exponit. Poſtquam deinceps de vero ſcientiæ uſu, quem in eo conſiſtere putat, ut nosmet ipſos cognoſcamus, vitia noſtra emendemus, magisque nos idoneos reddamus ad præſtanda ea officia, quæ Deo, & ſocio, reique publicæ, debentur, *alte o Capite* tractavit, *tertio* de Autoribus quibusdam celebrioribus, dubiisque & incertis circa eos eorumque libros opinionibus, fatis etiam ſcientiarum, quæ nunc in maximo fuerunt pretio, nunc contemtæ jacuerunt, vel plane odiis vexationibusque expoſitæ fuerunt, agit. Reliqua vero *quatuor Capita* elegantioribus literis, ſigillatim Eloquentiæ, Poeſi, Hiſtoriæ, & Chronologiæ, deſtinavit. *Altero Libro* ad Philoſophiam procedit, ejusque hiſtoriam enarraturus, de Philoſophia Patriarcharum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum, Perſarum, Libyorum, Thracum, Druidum, Græciæ ſapientum, copioſiſſime autem de Philoſophia Græcorum, variisque ſectis, ſecta Ionica, Academiis quinque, ſecta Peripatetica, & eadem occaſione de opinionibus, quæ ad Logicam pertinent, ſecta porro Cyrenaica, Eretriaca & Megarica, Cynica, Stoica, Pyrrhonia, Pythagorica, Eleatica, Epicurea, Eclectica, denique de Philoſophia recentiori, commentatur, hiſtoriamque Aſtronomiæ & Medicinæ, hanc tamen admodum curtam & imperfectam, ſubnectit. *Tomus II* res metaphyſicas, variasque rerum futurarum prædictiones, quæ ſpirituum commercio tribuuntur, ſcilicet doctrinam de Deo vero, non minus

quam

quam de fictis profanarum gentium Diis, rebusque divinis, dæmonibus, & infernali genio, mundo, mente humana, magia, cabala, onomantia, geomantia, oraculis, Sibyllis, auguribus, præſagiis, ſagis, fortuna, fatoque, reſpicit. *Tertius Tomus* complectitur ſcientias, quæ objectum habent corporeum, mathematicas, Phyſicam antiquiorem æque ac recentiorem, Chymiam, Aſtrologiam item judiciariam, & divinationes, ut dici credique ſolent, naturales, quorſum e. g. Phyſiognomia, Chiromantia, Teratoſcopia, &c. referuntur. *Tomi IV* argumentum conſtituunt Hiſtoria naturalis, ejusque fabulæ variæ, artes, (qua tamen occaſione per totum Caput non dubiæ opiniones, vel ſententiarum divortia, ſed variæ res arte paratæ, & in magna celebritate poſitæ, e. g. Columna *Trajani*, Mauſoleum, templum Epheſinum, horti penſiles Babyloniæ, vitrum malleabile, acus magnetica, & id genus ſexcenta alia, commemorantur,) porro doctrina de ſenſibus & imaginatione, quæ alias partim ad Logicam, partim doctrinam de anima, pertineret, denique Philoſophia civilis, quam Politicam vocant, ex qua cum diverſæ regiminis formæ, tum axiomata politica, diſcutiuntur. *Quintus*, isque ultimus, *Tomus* morum Philoſophiæ reſervatus eſt, & de bonis veris, virtutibus, vitiisque, animi affectibus, legibus, conſuetudinibus, dolore, & morte, exponit. Atque hæc de integri Operis conſpectu dicere habuimus. Ceterum vero eam diſſerendi rationem ſingulis *Capitibus* ſibi velut propoſitam habet Autor, ut aliorum Scriptorum, ſi qua proſtant, de incertitudine ſcientiæ ejus, quam perſtringere aggreditur, vel futilitate opinionis cujusdam, a ſe commemoratæ, ſuffragia diligenter recitet, ipſas autem diverſas, & ſæpius ſibi contrarias doctorum hominum de variis vel præcipuis cujuslibet ſcientiæ argumentis opiniones cumulet, hinc inde vero etiam ad res alias veterum dictis vel exemplis illuſtrandas digrediatur. Multus quoque eſt in Autoribus, ipſisque eorum verbis, inferius ſub textu adducendis, ut ſic majorem verbis ſuis fidem conciliet. Qui omnium opinionum, quotquot unquam ab humano in-

genio in ſcientiis excogitatæ fuerunt, farraginem hoc Opere coacervari crederet, ille nimis vaſtum, atque late deductum, Opus ſibi comminiſceretur. Quodcunque etiam tractationis caput excutiat, ingentem opinionum ſupereſſe numerum, quæ hic ne quidem attinguntur, videbit. Ipſemet etiam Autor ſatis diſerte profeſſus eſt, non perfectam completamque hiſtoriarum opinionum, ſed velut Commentarios quosdam, quibus uti quis poſſit ad hiſtoriam mentis humanæ contexendam, ſiſti. Quamvis vero idem, ſe eandem veterum recentiorumque Autorum rationem habuiſſe, contendat, cuilibet tamen facile ex libri lectione patebit, eum cum veterum præcipue placitis rem habere. Nec publicis & communibus opinionibus ſemper inſiſtit. Sæpius ad ſingulares quoque dilabitur ſinguli Autoris ſententias, non admodum late propagatas, ſed cum ipſo Autore intermortuas. Quæ quidem plana omnibus & manifeſta futura eſſent, ſi per brevitatis rationem liceret, cujuslibet *Capitis* ſummam enarrare. At vero, cum eidem repetendæ vix aliquot plagulæ ſuffecturæ eſſent, ne plane tamen ſine ſpecimine diſcedamus, unius *Capitis*, quod nobis e præcipuis eſſe videtur, σύνοψιν huc afferemus. Quoniam enim obſcuram maximeque abſtruſam de anima humana, ejusque facultatibus, eſſe cognitionem, & infinitis propemodum opinionibus dediſſe occaſionem, inter omnes conſtat; age, videamus, quid eruditiſſimus Autor *Capite ſecundi Tomi quarto* de nobili hoc argumento expromat. Nihil magis monet ad modeſtiam menti humanæ conciliandam, altosque ſpiritus ſupprimendos, comparatum eſſe illa hominum ſe ipſos cognoſcendi, & veram animæ ſuæ naturam intelligendi, impotentia. Poſtea commemorat, qua ratione *Carteſius* modum explicet, quo corpora in ſpiritus agant, & quam ea actio concipi non queat; quæ rationes hypotheſin de ſede animæ in glandula pineali confirmare videantur, & quibus objectionibus nonnulli Anatomici hanc ſedem deſtructum iverint; quam diverſæ fuerint ſemper de ſede animæ opiniones; quam diviſi fuerint Philoſophi ratione immortalitatis animæ; quibus rationibus opinio-

nionem *Platonis*, qui tres animas diſtinxit, *Albertus Magnus* refutaverit; quæ argumenta *Plato* atque *Cicero* aliique pro mentis immortalitate attulerint; quanto fervore animique motu quæſtio de vera *Ariſtotelis* ſententia de immortalitate animæ agitata fuerit; quam verum ſit, opinionem Sadducæorum apud Judæos inde a tempore *Antigoni*, Synedrii præſidis, demum invaluiſſe; quibus denique argumentis immortalitatem animæ Veteris Teſtamenti libri probent. Variæ poſthæc opiniones de æqualitate & inæqualitate animarum, variæ etiam animæ definitiones, ſententiæ admodum inter ſe diſſidentes de naturæ animæ, de metempſychoſi, difficultates metaphyſicæ ſubſtantiarum ſpiritualium, & earundem magnitudinis, percenſentur. Inde vero ediſſeritur, quomodi capi debeat Patrum ſententia de materialitate, ut hac voce utamur, ſubſtantiarum ſpiritualium; quod Patres Eccleſiæ, errorem aliquem impugnaturi, ſibi non ſatis metuiſſe videantur ab oppoſito altero errore; quod Chriſtiani primorum temporum notiones admodum obſcuras de anima habuerint. Denique de allegoria *Platonis* de curru animæ, de Theologia pagana intuitu purificationis animæ, de nonnullorum animabus, quæ ad tempus corpus deſeruiſſe, poſtea vero rediiſſe in illud, dicuntur, de diſcrimine plurium animarum in homine ad mentem quorundam Philoſophorum, & de affinitate animarum per triplicem mutationem, ſive gradatione, agitur, qua ex anima poſt mortem fieri heroem, ex hoc dæmonem, ſive genium, ex hoc aliquando ipſum Deum, veterum nonnulli tradiderunt. Huc usque ille de hoc argumento. Certe non injucunda eſt libri lectio, & rerum varietate animus non parum delectatur. Multum autem illos falli, iterum monemus, qui omnium ab omni inde ævo in omnibus ſcientiis opinionum placitorumque hiſtoriam ſuo ordine hic exſtare, ſibi perſuadent. Quin potius, quicquid in adverſariis erat, id expromſiſſe videtur Autor, materiam elaboratiori Operi ſuggeſturus. At multo magis falluntur ii, qui, hoc Opere Scepticis pollicem premi, credunt, a quo etiam conſilio ſe quam longiſſime abeſſe, Autor iterum iterum-

que profitetur. Atque dudum etiam ſapientiores hanc argumentandi rationem exploſerunt. In diverſas ſæpe opiniones abeunt eruditi, multumque inter ſe certant, quando de hoc illove argmumento ſcientiæ ſuæ diſquirunt. Nulla igitur eſt ſcientia, nulla veritas, nulla certitudo. Quotquot enim origines variarum opinionum perſpectas tenent, illas non ſemper infirmitati mentis humanæ, vel abſtruſiori rerum cognoſcendarum indoli, ſed aliis ſæpe cauſis, deberi, & quamvis complures a recta via aberrent, veritatem tamen ab una ſæpius parte ſtare, non ignorant.

JURIS CIVILIS ELEMENTA, EX INSTItutionibus Juſtiniani ad uſum forenſem educta, opera GASPARIS GRISPOLTI, Patricii Peruſini ex Baronibus Caſtri Pomontis in Umbria, olim in patria Academia ejusdem Juris interpretis.

Venetiis, apud Aloyſium Pavinum, 1733, 4.
Alph. 2 plag. 14.

Cum Cl. Autor ill ſibi hac opera propoſitum fuiſſe ſignificet, ut Juris rudimenta, quatenus in ipſum fori uſum deduci poſſint, perſpicuo & accommodato ad juvenum ſtudia ordine digereret; in ea re quid ſit aſſecutus, ii rectiſſime judicabunt, qui Juris illius terræ foris uſitati ingenium apertius noviſſe valent. Nos videmus, verba ipſa Inſtitutionum, additis ſubinde legum autoritatibus, & iis, quæ in hodiernum Jus tranſierunt, monſtratis, definitionibus & diviſionibus ex Gloſſatorum, *Bartoli*, *Baldi*, *Accurſii*, & *Jaſonis*, divitiis conſtipatis, illuſtrari; quorum hominum doctrinis quam bene Cl. *Criſpoltus* paſtus atque innutritus ſit, facile deprehendes, cum eum ſtilum quoque & orthographiam eorum æmulatum, & ſancte habuiſſe, perpenderis: quod plane probant illa: *exemplificare*, *certificare*, *Æccleſia*, *Comycus*, & infinita alia. Deinde, quæ ei hodiernus uſus admittere non viſus eſt, plane omiſit. Circa Juris notitiam nunquam ab eo alias ſententias, quam quales Gloſſæ ſuppeditarunt, requirere debemus, cum præſertim id laudi ducendum ſit, ſi fides

des habenda *Carolo Leonato*, qui nuper neſcio quibus putidis Diſſertationibus editis, *Budæum* ab *Accurſio* ſcientia vinci, perſuadere, ſi Diis placet, ſategit, &, cum ſibi æque bellus Orator viſus eſſet, atque Suffenus iſte, elegans Poeta, & ille *Martiali* memoratus *Attalus*, *bonus Patronus*, non abſtinuit *Bartolum* & ſacram ſimilium interpretum cohortem contra maxima quævis nomina aliquibus locis tueri: in qua re talem ſe geſſit, qualem decennes noſtrorum *Ulpianorum* in Germania pueri non ferant. Per hos quidem homines, ni *Muratorius*, *Maffejus*, *Gravina*, *Facciolatus*, & pauci alii, tenuiſſent, Muſis fugam meditari, & Italis in eas impuritates, quibus illa ſuprema literarum nocte olim laboratum eſt, revolvi liceret.

JUSTI CHRISTOPHORI DITHMARI, Jur. Nat. & Gent. & Hiſtor. in Acad. Viadr. Prof. Societ. Scient. Berol. Sodalis, Diſſertationum Academicarum, atque Exercitationum varii, ex Jure publico, naturali, & Hiſtoria, deſumti, argumenti, Sylloge, cum Indice Autorum & rerum.

Lipſiæ, impenſis Jo. Chriſt. Langenhemii, 1737, 4. Alph. 3.

Magnam profecto ab eruditis gratiam iniit Celeberrimus olim Autor, quem ante biennium non ſine gravi luctu noſtræ reipublicæ defunctum ſcimus & dolemus, quod Diſſertationes ſuas, quarum plurimæ difficilius huc usque inveniri potuerunt, uno comprehenſas volumine in lucem exire paſſus fuerit. Sive enim earum argumenta, & internam, ut ita loquamur, formam, conſideremus, illæ longe ſunt doctiſſimæ, & gravitate maximam ſe partem commendant; ſive externum ſpectemus habitum, veritatis certe limites non transgrediemur, ſi illud Opus cum propter typorum elegantiam, tum ob ſummum in eo accurate imprimendo ſtudium, magnopere collaudemus. In Præfatione, ab ipſo Autore huic Collectioni præmiſſa, paucis indicatur, Viros quosdam eruditos unam alteramve harum Diſſertationum vel impugnaſſe, vel ſuis comprobaſſe ſuffragiis. Ad primam claſ-

Digitized by Google

claſſem refertur *Gundlingius*, qui *Tacitum*, Annalium ſcriptorem graviſſimum, Galliæ Belgicæ procuratorem fuiſſe, ex loco quodam *Plinii* contra Autorem noſtrum probare laboravit, cui vero magni momenti rationibus reſpondetur. Non diſplicuerunt e contrario eidem immortalis famæ JCti opiniones ejusdem *Dithmari* de *Hugone*, Marchione Tuſciæ, quem vulgo Marchionem Brandenburgicum perhibent, & de Theodorico, Brandenburgico Marchione, quem a *Jo. Georgio Eccardo* ex Anhaltinorum Principum ſtirpe perperam eſſe derivatum, ſuſpicatus fuerat Autor. Conſtituerat hanc rem perſcrutari accuratius in *Hiſtoria Marchionum & Electorum Brandenburgenſium Genealogica*; ſed interceſſit immatura mors, quæ omnem, tam nobile Opus videndi, ſpem inique nobis eripuit. *Dithmari* noſtri de origine Ducum Limburgenſium ſententiam amplexus eſt, ortumque eorum latius inde deduxit, *Jo Dav. Kœlerus*, Muſarum Gœttingenſium inſigne ornamentum. Et hæc quidem in Præfatione ſua retulit B. Autor. Ne vero te lateat, erudite Lector, quænam in hoc Volumine pertractentur argumenta, en omnes Diſſertationum titulos! *Parte priori* agmen ducit Diſſertatio *de Origine Juris publici Germanici*, quam Autor a primis ſtatim rerum Germanicarum incunabulis, &, quæ poſtea ſecuta ſunt, earum intervallis, derivandam eſſe, *pag. 15* arbitratur. *Altera* in *Electorum S. R. I. originem* inquirit. Rejectis aliorum ſententiis, Electorum natales ex ſeptem Imperii Archiofficialibus, qui omni tempore ſupremi regni proceres fuerunt, *pag. 33 ſeq.* deducit, idque tum ex antiquo Germanorum de publicis rebus conſultandi ritu, tum teſtimoniis fide dignis, tum denique Hiſtoriæ conſenſu, perſpicuum reddere annititur. *Tertia de Vicariorum S. R. I. Germanici origine & progreſſu* agit, in qua a primordiis regni Francici inchoavit Autor, atque inde ad hæc usque tempora, quæ & ſub illo regno, & in Germania, ex quo hæc ſejuncta ab illo fuit, & in terris Germaniæ ſubjectis, Vicariorum ratio fuerit, ex genuinis Hiſtoriarum fontibus declaravit. Continuatur hoc argumentum *Exercitatione quarta*, ubi *de Vicariis S. R. I. in Italia* exponitur. Nec

Pon-

Pontifici, nec Romanorum Regi, nec ordinariis in Imp. Rom. Germ. Vicariis, hic dari locum debere cenſet, ſed potius dignitatem illam Sabaudiæ, Mediolanenſibus, & Mantuanis, Ducibus vindicat, utpote quos probat Vicariatum generalem per Italiam in perpetuum obtinuiſſe. Quibus confectis, de juribus eorum diſſerit, & ſub finem Diplomata nonnulla, huc pertinentia, ſubjungit, inter quæ ultimo loco & illud invenimus, quo Auguſtiſſimus *Carolus* VI A. 1725 Principem Sabaudiæ, *Eugenium*, Vicarium in Italia generalem conſtituerat. Succedit *Diſſertatio quinta, de Quatuorviratu Imperii Rom. Germanici.* Tribuitur vulgo *Ottoni III* Imperatori diviſio Imperii Ordinum in Quaterniones. Sed Autor noſter, ſat gravibus argumentis innixus, commonſtrat, falſo hoc tradi a ſcriptoribus, & privati hominis commentum eſſe, quod, progreſſu temporis, in Imperii Receſſus, atque Imperatorum Diplomata, irrepſerit, ſuſpicatur. *Sexta de Coadjutoribus Ordinum equeſtrium eccleſiaſticorum*, & *ſeptima de Anno decretorio exercitii utriusque religionis in Germania*, ad Jus publicum Eccleſiaſticum pertinent. Illud argumentum a nemine adhuc ex inſtituto pertractatum fuit, & Coadjutorum rationem in antiqua eccleſia, ac recentioribus temporibus, item eorum poteſtatem in Germania, requiſita, jura, honores, &c. complectitur, &, Ordines illos omnino eccleſiaſticas eſſe ſocietates, ideoque Magiſtris eorum æque ac Prælatis aliis Coadjutores dari poſſe, evincit: in hoc vero ſuam de tribus capitibus ex *Artic. 5 Pacis Weſtphalicæ* ſententiam profert Autor, atque oſtendit, A. 1624, &, reſpectu quorundam, 1618, normæ inſtar ac regulæ fuiſſe poſitum, ſecundum quam religionis cauſa læſi in ſtatum, quo anno alterutro fuerunt, reſtituerentur. *Octava de Jure Albinagii, præcipue in Germania*, inſcripta eſt Diſſertatio. Cui ſi adjunxeris *Frid. Ulr. Peſtelii*, JCti Rinthelienſis, & *Jac. Aug. Franckenſteinii*, olim noſtri, labores ejusdem tituli Academicos, A. 1718 & 1719 divulgatos, quos tamen ignoraſſe videtur Autor, non contemnenda in hoc argumento ſubſidia habebis. In Exercitatione *nona de*

 Abdi-

Abdicatione regnorum, aliarumque dignitatum illuſtrium, tam ſecularium, quam eccleſiaſticarum, commentatur *Dithmarus* noſter. *Duobus Capitibus* hoc Opuſculum abſolvit, *altero* exempla abdicationum ejusmodi, ex hiſtoria variarum gentium deſumta, itemque Pontificum Romanorum, Cardinalium, & Epiſcoporum, in medium producens; *altero* de quæſtionibus nonnullis, jucundis admodum, quæ de abdicatione Principum moveri Solent, verba faciens. *Decima* Autoris mentem declarat *de Fœderibus cum diverſæ atque nullius religionis hominibus.* Scilicet, fœdera cum diverſæ religionis hominibus, & ipſis infidelibus, omnino pangi poſſe, *pag. 224* contendit, non tamen id fieri debere ſine cautione, monet *pag. 235.* Cum his e contrario, quos execrabili atheorum nomine inſignire ſolemus, inita pacta nullo modo eſſe licita, vocatis in ſubſidium naturæ legibus, *pag. 238* affirmat. *Undecima Diſſertatio de Judicio duellico, præcipue in controverſiis illuſtribus*, in *duas Sectiones* abit, quarum *prima* de Judicio duellico in cauſis privatis, tam ex privata, quam publica, autoritate, *altera* de Judicio duellico in controverſiis illuſtribus, agit. Multa jucunda ſcitu & utilia hinc inde propoſuit Autor, nec in *poſteriori Sectione* prætermiſit exempla duellorum illuſtrium, quorum præcipua nobis viſa ſunt illa *Edmundi*, Regis Angliæ, & *Canuti*, Daniæ Regis; *Ludovici*, Ducis Aurelienſis, & *Henrici IV*, Regis Angliæ; *Caroli V*, Imperatoris, & *Franciſci I*, Galliarum Regis. Exercitatio *duodecima* doctrinam *de Sponſionibus, aliisque contractibus, qui aleam continent*, illuſtrat. Recte hic aſſerit Autor, naturali jure ſponſiones & ludos eſſe licitos, dummodo requiſita habeant, quæ *pag. 273* & *281* indicantur. Brevis admodum eſt Diſſertatio *decima tertia*, *de Statu politico antediluviano*, qua *Puffendorfii* ſententia maſcule defenditur, quippe quem negaſſe ſcimus, homines ante diluvium in civitates variasque respublicas coiiſſe. *Decima quarta* Diſſertatio, *de Collegiis opificum apud Germanos emendandis*, abuſus non ſane paucos notat, qui primo ad tirones, deinde ſocios, tum

magi-

magiſtros, & tandem collegia, opificum ſpectant, quibus adduntur duæ regulæ, ad tollenda hæc, & funditus exſtirpanda, mala utiles pariter ac neceſſariæ. Suadet nimirum Autor, ut non ſolum novæ Collegiis illis leges, communi Imperatoris, & Statuum Imperii, nomine, præſcribantur, ſed etiam juxta illas antiqua opificum Statuta & privilegia emendentur ac mutentur, & Collegia opificum, novique Magiſtri, ad iſta Statuta obſervanda jurejurando deinceps adſtringantur, juratique conſtituantur rei opificiariæ curatores. Diſſertatio *decima quinta* juſtas continet querelas *de veterum Scriptorum Germanicorum defectu*, & de negligentia majorum noſtrorum in rebus ſuis tradendis, in cujus cauſas, quæ variæ fuerunt, diligenter inquirit. Literas plane ignoraſſe Germanos, negat Autor, & contrarium oſtendit; quo minus vero hiſtoriæ de rebus ſuis concinnandæ ſtudioſi fuerint, obſtitiſſe arbitratur partim continuum belli ardorem, partim quod, Ebræorum, Græcorum, Romanorum, aliarumque gentium, more, rerum ſuarum memoriam carminibus diutius conſervatum iri, ſibi perſuaſerint. Nihil tamen iſtorum carminum hodie ſupereſſe, credit. Placebit hiſtoriarum cultoribus conatus *Dithmari* noſtri, ubi viderint, eum in Diſſertatione *decima ſexta Hiſtoriæ Comitatus Teiſterbant*, quam alii erroribus ſuis maxime obſcuram reddiderunt, multum lucis accendiſſe: nec nullius eſt pretii Exercitatio *decima ſeptima* & ultima, qua *Marchiæ Brandenburgenſis initia a variis vindicantur erroribus*. *Partem poſteriorem* conficiunt Exercitationes *de Origine ac ſucceſſione Ducum Limburgenſium; de fide Taciti in rebus Germanorum; de Hugone, Marchione Tuſciæ, qui Marchio Brandenburgenſis fuiſſe vulgo creditur; de Pſeudo-Marchione Brandenburgenſi, Waldemaro; de Germanorum & Gallorum origine Scythica; de Ordine equeſtri S. Huberti; de Petronella, Florentii, Comitis Hollandiæ, conjuge;* & tandem *Syllabi Abbatum Werthinenſium, & Abbatiſſarum Eſſendienſium, ex quodam MSto Codice*, comparent. Fuerunt jam hæc ſcripta *Exercitationibus Francofurtenſibus*, ante aliquot

Digitized by Google

annos in lucem editis, ab Autore inſerta, &, quantam is ſibi in ſtudio hiſtorico acquiſiverit olim notitiam, locupletiſſimo certiſſimoque teſtimonio confirmant. Ad Indices denique quod attinet, ſatis diligenter illi ſunt confecti, & eorum, quorum rationes ferre non videntur, ut a capite usque ad calcem legant iſthæc Cel. *Dithmari* Opuſcula, haud parum inſervient commoditati.

JOANNIS HENRICI SCHULZII, MED. D. & in Regia Fridericiana Profeſſoris, Prælectiones de Viribus & uſu medicamentorum, quæ in officinis pharmacopolarum parata proſtant, ad Diſpenſatorium Regium & Electorale Boruſſo-Brandenburgicum, uſibus illorum, qui ſe artis operibus exercendis præparant, deſtinatæ.

Norimbergæ, apud Wolffg. Maur. Endteri filiam, Mayriam, ejusque filium, 1736, 8.

Alph. 1 plag. 5.

Celeberrimus Autor eam jam præſtantiſſima doctrina, quam publicis dudum documentis abunde declaravit, famæ amplitudinem, nominiſque celebritatem, nactus eſt, ut, quam primum cognitum fuit, fore propediem, ut Prælectiones hæ prodirent, intelligentioribus Medicis velut ſignum aliquod ad bene de iis non ſolum ſperandum, ſed prorſus etiam confidendum, ſublatum eſſe videretur. Atque hi ipſi voti ſui nunc tandem compotes abſolutum & prorſus elucubratum vident egregium libellum. In Præfatione ejus præclare monet Autor, Medico non ſimplicium tantum, ſed omnis quoque generis compoſitorum, medicamentorum opus eſſe notitia, ut, cum horum conficiendorum ratio admodum variet, non ſolum intelligat, quem in modum eo in oppido, ubi artem exercet, & e cujus officina medicamenta petit, illa parentur, ſed anquirere etiam & inveſtigare queat, qua methodo illa fuerint parata, quæ ab aliis Medicis collaudantur, ſi quidem morborum hiſtorias & ſucceſſus accurate dijudicare, & in ſuos uſus pru-

den-

denter convertere, cupiat. Quare a primo ſtatim tempore, quo Celeberrimus Autor Medicinæ ſe addixit, in hanc curam incubuit, ut utrorumque medicamentorum notitiam conſequeretur, &, quoad alios docendi ſuſtinet provinciam, id ipſum diſcipulis ſuis diligenter inculcavit, utque ſe duce eo alacrius in hoc ſtadio progrederentur, prælectiones quoque in Diſpenſatorium Boruſſo-Brandenburgicum habuit, &, quæ adhuc in illo deſiderari videbantur, medicamenta, aliis in locis uſitata, ex aliorum libris intercalavit. Atque his prælectionibus originem ſuam debet præſens libellus. Ita vero Commentationes ſuas in Diſpenſatorium modo dictum inſtituit Autor, ut, retento ejus ordine, virtutes medicamentorum uſusque in morbis variis ſtrictim enarret, nec tamen unquam in nimias eorum laudes vane excurrat, ſed potius elogia viribus majora interdum notet atque reprehendat, ſubinde, cum quibus aliis remediis illa commiſceri queant, indicet, doſin quoque definiat, identidem cautiones de recto uſu, & peculiares, nec antea adeo cognitas, obſervationes de viribus eorum, ſubminiſtret, nec raro de ratione præparandi, aut iis rebus, ex quibus ſit medicamentum compoſitum, quædam moneat, in autores quoque & primos remediorum inventores breviter inquirat, nominis rationem critice & philogice eruat, ac, prout res tulerit, alia medicamenta brevius attingat, alia copioſius perſequatur. Ut quædam ſpeciminis loco repetamus, *pag. 10* egregie de æthiopis mineralis recto uſu & fructu diſſerit; *pag. 11*, vel unum aloes gummoſæ granum, veſperi datum, alvo ſolvendæ ſufficere, monet; *pag. 14*, antimonium diaphoreticum, perfecte edulcoratum, ſi Tartaro emetico adjungatur, plus operari, quam ille per ſe datus valuiſſet; ſi vero eadem quantitas antimonii diaphoretici, non omnino edulcorata, admiſceatur, per ventrem inferiorem potiſſimum operationem ſuam perficere, contendit; *pag. 36*, reſiduum, a deſtillatione aquæ liliorum convallium expreſſum, probe depuratum, & blando calore in ſpiſſamentum redactum ad ℈j vel ʒß belle alvum expurgare, docet, ut aloen

 Ger-

Germanicam dicere queas; *pag. 38* pulchre de aqua ſtyptica vulneraria alba & rubra *Dippelii* commentatur; *pag. 63*, continuato clyſſi antimonii uſu vermes ab infantibus expulſos, difficilesque epilepſias curatas fuiſſe, memorat; *pag. 136*, vim excitandi lætitiam in croco apud tenerrimos infantes ſæpe ſe expertum eſſe, refert, quibus ſi vitrum vacuum, in quo nuper eſſentia croci fuit, naribus admoveatur, ſtatim riſus ſuboritur. Docet quoque modum præparandi eſſentiam croci optimarum virium, quæ veriſſimum Aroph *Helmontii* eſſet. *Pag. 141* aquæ millefolii, cum vino paratæ, in vomitibus nephriticorum incomparabilem efficaciam laudat; *pag. 157* Extr. Hellebori nigri in tenerioribus hominibus doſes, quamvis exiguas, diu continuare vetat, & longe melius eſſe monet, ſemel ſat efficacem, modo non nimiam, quam parvas poſt brevia intervalla, præbere; *pag. 238*, pilulas Starkeyanas, in moleſtiis catarrhalibus gravioribus atque habitualibus, quæ alias per totam hiemem perdurarunt, ſi ſtatim initio datæ fuerint, itemque in rheumaticis, colicis, quartanariis, & qui aliis febribus laborarunt, ſpem ſuperaſſe tradit; *pag. 255*, pulverem marchionis epilepticum dolores podagricos mitigaſſe, refert; *pag. 268*, pulverem radicis Jalappæ a torminibus excitandis tantum abeſſe, docet, ut in torminibus colicis virtutes vere anodynas exſerat, & dolores ante ſubſequentem evacuationem manifeſte ſedet, & imminuat; *pag. 283*, Sal viperarum volatile in paralyticis morbis, itemque in morſu viperæ, egregiam opem tuliſſe, obſervat; *pag. 318* Spiritum Caſtorei compoſitum memorat, egregii in epilepſiis puerorum & adultorum, itemque hiſtericis ſuffocationibus, uſus; *pag. 331*, Spiritum Salis ammoniaci lumbricos aliaque animalcula ex inteſtinis expellere probat; *pag. 380* præclare nonnulla de Tinctura antimonii tartariſata monet, denique *pag. 401* Succum Glycyrrhizæ, cum Saccharo & Gelatina cornu cervi paratum, qui noſtro tempore ſub nomine Gallico, *la regliſſe*, celebratur, in acri tuſſi, raucedine, & defluxionibus acribus catarrhalibus, admodum prædicat.

OBSER-

Digitized by Google

OBSERVATIONUM PHYSICO - MEDICArum Sylloge, comprehendens quamplurima, Medicinam, tam theoreticam, quam practicam clinicam & forenſem, nec minus Philoſophiam naturalem utramque, inſigniter illuſtrantia & confirmantia, Medici veterani, longaque felicis praxeos ſerie probati, phænomena, experimenta, collectanea, atque monita, ad modum ductumque Illuſtris FRIDERICI HOFFMANNI, quondam Halenſis, conſcripta, & in unum volumen congeſta, atque inſuper Indice Alphabetico inſtructa.

Francofurti & Lipſiæ, 1736, 4.

Alph. 4 plag. 3.

Novum crimen, Lectores, omnibusque modis deteſtandum fraudis exemplum, qua pravi atque lucroſi quidam Bibliopolæ, incautos ſubinde emtores circumveniunt, vobis palam exponere habemus. Jacuit haud dubie in nonneminis officina libraria *Riedlini* Curarum medicarum millenarius, olim jam a nobis *A. 1709* recenſitus, nec inde a multis fortaſſe annis ullum habuit emtorem. Quid fit? Ut plures eorum nanciſcatur, mutata prima plagula, eo curam ſuam convertit librarius, ut liber nova inſcriptione atque Præfatione ornetur dicamus, an deformetur. Quis enim non videt, ipſum ſtatim libri titulum admodum eſſe inconditum, ac potiſſimum eo comparatum, ut non ſine aliqua injuria ab Ill. *Hoffmanni* celeberrimo nomine commendationem quandam arceſſat, quem quando *Hoffmannum* quondam Halenſem vocat impolitus Autor, neſcimus an eundem, Dei gratia adhuc ſuperſtitem, in mortuorum claſſem referat, vel quid aliud ſomniet. Ne vero in toto hoc libro ſcriptum quid exſtet, quod non ſcriptum fuerit prius, Præfationis Autor nihil de edendi Operis conſilio, inſtitutique ratione, commemorat, ſed integram Præfationem ad partem primam Medicinæ conſultatoriæ, ab Ill. *Hoffmanno* editam, qua doctiſſimus Autor de ſummo fructu ex obſervationibus hiſtoriisque morborum accuratis in omni Medicina capiendo agit, ad verbum in Latinam

nam linguam, ſed jejune & miſerrime, vertit, rejectis tantum Præfationis *Hoffmannianæ* initio & fine, in quibus ſcilicet de Medicinæ conſultatoriæ agitur rationibus. Sed plura de hoc libro referre piget, nec hæc ipſa dixiſſemus, niſi, Lectores ab ejusmodi fraudibus tutos præſtare, nobis fuiſſet conſtitutum.

RECUEIL DE QUATRE OPUSCULES FORT importans de feu M. l' ABBE' DUGUET.

i. e.

FASCIS OPUSCULORUM MAGNI MOMENti, a DUGUETO, Abbate, compoſitorum.

Ultrajecti, ſumtibus Societatis, 1737, 12 maj.

Plag. 18.

Quæ conſpectum tuum, Lector, ſubeunt Opuſcula, non equidem prima omnium vice in lucem prodeunt, ſed, quæ ſeparatim antea operarum formis expreſſa erant, cum in tabernis librariis fruſtra requirerentur, ob Autoris celebritatem ac argumentorum pondus prelo iterata exhibentur. *Quatuor* omnino ſunt Commentationes, quæ hoc continentur faſciculo, omnes argumenti gravis ac utilis. *Prima* exponit officia Epiſcopi; *altera* in explananda doctrina de gratia univerſali occupatur; *tertia* negotium ſubſcriptionis formulæ, in cauſa Janſeniſtica propoſitæ, ſpectat; *quarta* neceſſitatem provocationis ad Eccleſiæ vel Concilii judicium, ubi veritas opprimitur, oſtendit. *Primum* Opuſculum Autor rogatu Epiſcopi Vaurenſis *(Lavaur)*, cui nomen *Leſcars*, exaravit, id inprimis agens, ut virtutes, Eccleſiæ antiſtiti neceſſarias, delineet ac commendet. Docet igitur *Cap. I*, Præſulem, qui Apoſtolorum ſucceſſor haberi velit, quique in omnium verſetur oculis, ut ab eo cœtus ſacri membra exempla vivendi ſumant, non ſolum vitiis immunem, verum e contrario qualibuscunque
Pag. 1-17. virtutibus ornatum, eſſe debere. Quæ autem illæ virtutes ſint, quæ perſonam ſacrorum præfecti deceant, *Cap. II* exponit, præmonendo, ex illius uſu eſſe, ut, priusquam munus ſacrum aggrediatur, aliquot dierum receſſum quærat,

ſe

ſe ipſum ſuamque conſcientiam excutiat, num viva fide & illis ſit virtutibus inſtructus, quibus non in gregariorum modo Chriſtianorum, verum etiam doctorum, ordine locum aliquem occupare poſſit: ante omnia juvare plurimum, certam vivendi regulam, quam per omnem vitam ſequatur, ſibi præſcribere. Inde ordine exponit officia, & Pag. 27-34.
illa quidem, quæ ipſum ſpeciatim reſpiciunt, tum quæ domeſticos, quæ cœtum ſacrum, totamque διοίκησιν. Cum infiniti labores ſint exantlandi Epiſcopo, tempora ſomni ita diſpenſanda eſſe, ne quid neceſſariis ſubducatur occupationibus; vigilantia igitur opus eſſe, hora quinta, imo quarta, ſtratum ut relinquat, expedire. Inter veſtiendum de exuendo 34-36.
vetere & novo induendo cogitandum eſſe, a veſtibus ſplendorem omnem atque luxum abeſſe debere, & quidem ita, ne ad delicatulam mollitiem, vel ſordes, deflectat. Ubi 36-49.
ſe amiciverit, proximum eſſe hoc, ut preces fundat, quæ eo crebriores ac ardentiores eſſe debeant, quo certius ſit, ipſum non pro ſe tantum, verum etiam pro toto cœtu, Deum deprecari. Quæ his ſubjicit de ſtatis precum horis, ſecundum Breviarium obſervandis, inſtitutum Eccleſiæ Pontificiæ ſpectant. Doctrinam illius deſcribit ab accuratiori veritatum 49-66.
religionis, myſteriorum ſacræ Scripturæ, traditionum Eccleſiæ, doctrinæque Patrum, cognitione, deciſionum denique Conciliorum ac difficultatum moralium dextre ſolvendarum peritia: nec eſſe, ut pietatem quis ac ſanctitatem ignorantiæ prætexat; eruditionem cum vera animi modeſtia optime conſiſtere poſſe; ſed, ut utilia tantum conſectetur, recte monet. Quæ adhuc protulerat, eo faciebant, ut Epiſcopus 66-88.
munere ſe ſuo dignum præſtaret. Inde enarrat officia, quibus, ut ſpartam ſuam rite adminiſtret, ipſum intentum eſſe oporteat. Inter hæc primum illud ponit, ut hora octava matutina, vel illius dimidia, ad ſummum nona, officio miſſatico defungatur, nec illud inferioris ordinis parochis committat, vel in ſacellis tantum ſecretioribus obeat, veritus, ne quid ſibi dignitatis decedat, ſi ordinariis ſe ac quotidianis muniis adſtringat: reliquum tempus matutinum dandum eſſe exci-

Q pien-

piendis audiendisque illis, qui vel inſtructionem, vel ſolatium,
vel opem, poſcant, nec hoc beneficium exhibendum eſſe il-
lis tantum, qui honoribus ac divitiis præſtant, ſed pauperibus
etiam ac inferioris ſortis hominibus, illosque omni cum faci-
Pag. 88 93. litate ac ſuavitate tractandos eſſe. Utile etiam eſſe, ut certum
prandii tempus conſtituat, ac anagnoſtas alat, qui inter pran-
dendum vel ex Scriptura, vel ex alio quodam utili libro, ali-
quid prælegant, quod ipſum *Auguſtinum*, *Nepotianum*, imo ex
93 - 97. grege nonnullos, feciſſe, adductis exemplis probat. A menſa
ipſius ac ſupellectili omnem luxum abeſſe, imo per omnem
vitam magnificentiam ac inutiles ſumtus vitari, debere. Qui
ſecus faciat, ut vel proprium patrimonium, vel bona Ec-
cleſiæ abliguriat, nec, quod pauperibus debetur, elargiatur,
illum ſacrilegium committere, ac tale peccatum admittere,
cujus ipſe olim rationem coram juſto tribunali Dei reddere
97 - 118. nequeat. Si quando ad aliorum epulas invitatus fuerit, ut ne
accedat, præcipit, quo ſobrietatem, temperantiam, ac ſuam di-
gnitatem, conſervare poſſit, neque domi ſuæ homines emi-
nentioris dignitatis lautioribus epulis excipiat, &, ſi quidem
id e re eſſe viſum fuerit, menſam ita inſtruat, ut ipſos fruga-
litatem doceat, non ut illorum luxum vel æquet, vel ſu-
peret. Sumtuoſis ſubſtructionibus, vel pretioſæ ſupellecti-
li, bona Eccleſiæ inſumere, a perſona ſacrorum præſidis alie-
118-130. num eſſe debere. In converſatione ut ſe exemplar fidelibus
exhibeat, juſtum eſſe; in ſermonibus ut ſales atque jocos,
quibus aliis riſum moveat, fugiat, monet, non obtrectationi,
nec adulationi, indulgeat, veritatem ita deamet, ut quis ver-
bis ejus ita credere poſſit, ac ſi alius jurejurando firmaſſet,
id tantum proloquatur, quod vel ad neceſſitatem, vel utilita-
tem, faciat: magnitudinem autem atque multitudinem nego-
133-142. tiorum curam propriæ ſalutis impedire non debere. Ratione
domeſticorum ſuadet, ut illi intra officiorum ſuorum, virtu-
tis, pietatisque, cancellos conſtringantur; qui enim ſuis rite
præeſſe nequeat, indignum eſſe, ut regimini civitatis ſacræ
admoveatur; ita igitur familiam inſtruat, ut ab illa alii ex-
142-145. emplum capiant. Ad famulitium non adſciſcendos eſſe niſi
bonos,

Digitized by Google

bonos, qui ab omni lucri cupiditate ſint alieni, manusque a
muneribus contineant. Ne animus ipſius cura rerum, quæ ad Pag.145-152.
vitam ſpectant, nimium diſtrahatur, conſilii eſſe, prudentem
ac fidelem diſpenſatorem circumſpicere, in cujus humeros,
quicquid hujus eſt molis, tuto devolvat; ita tamen, ut ad illius
adminiſtrationem animum aliquando adjiciat, quo, ſi quando
poſtuletur, rerum ſuarum rationem reddere poſſit. In rebus
agendis ipſum non proprium ſemper ſequi debere conſilium, 152-156.
ſed multum conducere, aliorum requirere ſententiam: utile
igitur eſſe, aliquando parochos diœceſeos convocare, cum
iisdemque de rebus gravioris momenti deliberare. Epiſcopi
eſſe, modeſtiæ ſtudere, quo ſe gregis, ipſius curæ commiſſi, mi- 156-164.
niſtrum, non dominum, demonſtret, qua in re Chriſtum, ejus-
que legatos, ac primos Eccleſiæ doctores, duces habeat. Hæc 164-192.
eſt ſeries rerum, a doctiſſimo Autore fuſius tractatarum, in quibus ipſum plurima recte & ordine præcepiſſe, inficias iri nequit; quæ omnia Scripturæ teſtimoniis, Patrumque autoritate, maxime *Gregorii Nazianzeni*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Hieronymi*, *Baſilii*, *Gregorii Magni*, ac aliorum, firmat. Equidem Epiſcopum, & quidem ſocietatis Pontificiæ, format, multa tamen profert, quæ & alii, quibus ad illum honorum ſacrorum apicem adſcendere non datur, quin imo probi ac pii patresfamilias, in uſum ſuum convertere poſſunt: unde & illis uſui eſſe poteſt, quibus ſacra emendata curæ ſunt & cordi, relictis Autori iis, quæ ex ſectæ inſtitutis ſubinde differit. Id eſt dicendum, Patrum autoritati hic nimium dari, & officia illa in diœceſin, potiſſimum quæ animarum curam reſpiciunt, non æque expedire. Id tanquam leve operarum peccatum monemus, *pag.* 72 *§.* 36 ante verba, *heures entieres*, nomen numerale eſſe omiſſum.

Secunda Commentatio ſub judicium vocat ſententiam *Nicolii* de gratia univerſali, qui, ne homines haberent, quod quererentur, ſe viribus deſtitutos eſſe ad bonum faciendum, hominibus omnibus facultatem aliquam, ad bonum ſe determinandi, idemque illud faciendi, adſcripſit, eandemque nomine gratiæ univerſalis inſignivit. Hoc igitur agit Cl. *Duguetus*, ut novam illam ſententiam cum doctrina

Auguſtini componat, illiusque defectus demonſtret. *Auguſtinum* indolem gratiæ clare dilucideque explanaſſe, notionesque ambiguas evolviſſe, *Nicolium* contra ideas, ante definitas, de novo turbare ac confundere, gratiam talem adſcribere hominibus omnibus, quam ne *Pelagius* quidem eisdem tribuere ſit auſus. Ex mente *Auguſtini* ac Scripturæ gratiam non eſſe niſi *gratuitam*, quam maximi momenti, imo præcipuam, veritatem novum illud ſyſtema oppugnet. Defectus hujus ſen-
Pag. 2-5. tentiæ oſtendens, docet 1), eam nec ſatisfacere querelis peccatorum, nec vulgaribus hominum ratiociniis, cum priores querantur, ſe deſtitutos eſſe gratia, poſteriores non minus ac Theologi in doctrina *Auguſtini* nodos, qui ſolvi vix poſſint, inveniant; 2), quod præcipuum ſit in hoc ſyſtemate, illud *abſolute arbitrarium* videri, gratiam univerſalem, quæ efficax
6-15. non ſit, gratiam non eſſe, dare illam potentiam, non vires; 3) hic eſſe multas res turbatas, obſcuras, incertas, nec ſibi mutuo conformes. In tota hac controverſia naturam a gratia probe diſtinguendam eſſe. Quædam omnibus hominibus natura ineſſe, niſi quod graduum aliqua differentia detur, principia ſcilicet veritatis omnis, conſcientiam, inclinationes naturales, quibus homines ab animantibus brutis diſtinguantur, & ad quæ omnem vitam moralem atque civilem componere debeant, ſed, qui illa nomine donorum ſupernaturalium, gratiæ univerſalis, mactare velit, illum multum errare, cum Scriptura non aliam gratiam agnoſcat, quam quæ ſit fructus mortis Chriſti, hominemque ab homine di-
15-43. ſtinguat. Et, quoniam *Nicolius Auguſtinum* in partes ſuas allicere contendit, & maxime has duas Hipponenſis poſitiones: 1) neminem amare poſſe virtutem, niſi qui ideam, & exemplar, quod ſit in Deo, imo ipſum Deum, amet, 2) homines injuſtos approbare ac amare juſtitiam in illis etiam rebus, ex quibus utilitatem non capiant, opinioni ſuæ adoptavit, illas ex
43-56. mente Africani Præſulis Noſter explicat. *Nicolius*, infideles initium aliquod fidei habere aſſeveraverat, cum cognoſcant omnes Deum tanquam legem & juſtitiam, ſi vel maxime tantum reſpiciatur tanquam creator & ſecundum ſuas perfectiones; quare ex Scriptura *Duguetus* probat, fidem ex auditu & gratui-

gratuitum Dei donum eſſe, adeoque pias aliquas cogitationes, ſancta deſideria, bonos motus, cum *Nicolio* ipſis adſcribi non poſſe. Actiones gentilium principium non habere niſi na- Pag. 56-60.
turam, quæ, licet ratione *officii*, per legem imperati, bonæ videantur, tamen ratione *principii* ſint vitioſæ. Inde, quid boni 68-77.
actionibus hominis ante converſionem ſuam inſit, quidque eisdem deſit, ut actionum vere bonarum nomen tueri queant, demonſtrat. Quoniam autem propterea adſcripſerat omni- 80-89.
bus hominibus gratiam aliquam, ne juſta ipſis conquerendi cauſa eſſet, ſe potentia phyſica legem implendi deſtitui, obſervat; illam potentiam *Auguſtino* & gratiæ divinæ aſſertoribus appellari *liberum arbitrium*; porro diſtinguendum eſſe inter *potentiam* & *actum*; per potentiam poſſe hominem credere, per actum, qui ipſi per efficacem Servatoris gratiam ingeneretur, actu ipſo credere, inter quam potentiam & gratiam Jeſu Chriſti, ſuppeditantem vires ſupernaturales, media aliqua gratia ponenda non ſit. Adhæc *Nicolius* poſuerat, in 89-93.
homine ratione boni duplicem eſſe *impotentiam*, *naturalem* aliam, cum virtus ſupra hominis vires ſit poſita, aliam *voluntariam*, cum cupiditas conſtringat libertatem; prioris impotentiæ remedium eſſe gratiam univerſalem, poſterioris gratiam efficacem. Notat igitur *Duguetus*, hac ratione liberum arbitrium prorſus negari, *Auguſtinum* non agnoſcere niſi impotentiam *voluntariam*, cui medeatur gratia. Denique expedit 94-95.
objectionem, quæ contra efficacem gratiam inſtituitur, ſcilicet, ſi gratia & cupiditas efficaciter determinant voluntatem hominis, duas neceſſitates antecedentes, abſolutas & naturales, aliam ſub gratia, aliam ſub concupiſcentia, locum habere, &, quo ſenſu aliquid *poſſibile*, vel *impoſſibile*, dici queat, diſce- 95-110.
ptat. Poſſe dici, hominem non obedire præceptis divinis, quia nimium deditus ſit affectibus: gratiam igitur Chriſti facere, ut homo ab iſto affectuum imperio liberetur, quod ipſum teſtimoniis *Auguſtini* firmat, ac Dei vias circa ſalutem hominis juſtificat. Sub finem per modum additionum conſenſum 110-140.
Auguſtini & *Thomæ* de actionibus infidelium & gentilium ante converſionem docet, oſtendens, illas *moraliter bonas* non eſſe,

Digitized by Google

cum deſtituantur debito fine, caritate ſcilicet, bonas quidem eſſe dicendas ſecundum externam *ſpeciem*, & *naturaliter* con-
Pag.152-167. ſideratas, non autem ſecundum internam ſuam *formam*.

Tertium Opuſculum eſt Epiſtola, directa ad Epiſcopum Montispeſſulani, reſpiciens formulam ſubſcriptionis, qua, juſſu *Alexandri VIII*, accedente conſenſu Regis Galliæ, A. 1665 d. 25 Aprilis Eccleſiaſticis Gallicanis omnibus imperabatur, ut faterentur, *ſe credere*, *propoſitiones*, *ab Innocentio damnatas*, *reperiri in Auguſtino Janſenii*, *& hujus Janſenii ſenſu eſſe damnatas*. Quantos motus hæc res in Eccleſia Pontificiorum, non Gallicana ſolum, ſed univerſa, concitaverit, Scriptores rerum in civitate Chriſtiana geſtarum commemorant. Autor demonſtrat, non quærendum eſſe de jure, ſed de facto, non eſſe quæſtionem, num propoſitiones illæ ſint damnandæ, ſed num ſint *Janſenii*, num, quibus hoc negotii datum erat, propoſitiones illas debita cura ac ſolicita
10 ſeq. attentione ex *Auguſtino Janſenii* excerpſerint. Igitur ingenue fatetur, ſe non abſque inſigni animi horrore verba ſubſcriptionis ſecum reputare: *Ego juro, & volo privari gratia Dei & promiſſionibus Evangelii, niſi ſubſcriptio mea ſit ſinceri-*
16. *tatis meæ documentum.* Iniquitatem demonſtrat 1) ex jurisjurandi indole, in quo cultus Deo præſtetur, *Jer. XLV*, 23, qui teſtis citari non debeat niſi in re plane certa atque indubia, hos autem articulos eſſe *Janſenii*, ſciri non poſſe, niſi per adminicula critica, adeoque materiam jurisjurandi
17. 18. eſſe non poſſe. Deum ſupremam eſſe veritatem, huicque ſoli competere poteſtatem obligandi conſcientiam. Si vel maxime controverſia iſta *Janſeniſtica* per Concilium aliquod univerſale deciſa eſſet, Eccleſiæ tamen autoritatem tantam non eſſe, ut dubia omnia e medio tollere poſſit, potiſſimum cum dubia illa ſint legitima, & Eccleſiæ infalli-
18. 19. bilitas non competat. 2) Qualecunque nomen fidei huic detur, ſive appelletur fides *humana*, ſive *eccleſiaſtica*, fides *obedientiæ* & *humilitatis*, niſi examinandi libertas relinquatur, induci ſervitutem, quam præter Deum nemo exigere
19. 20. poſſit. 3) Unicuique hoc eſſe injunctum, ut errorem, quan-

tum

Digitized by Google

tum fieri poſſit, evitet, qui vero, motus alterius autoritate, absque examine dogmati alicui aſſentiatur, illum ab erroris periculo immunem eſſe non poſſe. In ſequentibus explicat, quid de diviſione inter *infallibilitatem* Eccleſiæ ratione *facti & dogmatis* ſit cenſendum, & quo modo huic negotio aptari, vel minus, poſſit.

Agmen Opuſculorum claudit Epiſtola, exarata ad Cel. Juris Canonici in Academia Lovanienſi Doctorem, *Van Eſpen*, Virum & doctrina, & integritate, plane inſignem, in qua oſtendit, veritati hoc a nobis dandum eſſe, ut patrocinium ejus ſuſcipiamus; quæ obligatio nos eo validius obſtringat, quo plures ſint, qui hoc ſuum officium vel negligenter faciant, vel plane intermittant. En brevem conſpectum illorum, quæ ab eximio Autore noſtro fuſius ſunt declarata. Unusquisque, qui ad horum Opuſculorum lectionem animum adjiciet, Viri doctrinam, judicium, candorem, modeſtiam, agnoſcet. Certum etiam eſt, ipſum in plurimis contra Eccleſiæ Pag. 20, 21. ſuæ ſententiam veritatem vidiſſe. Pauciora ſunt, quæ ſectæ opiniones redolent.

BIBLIOTHEQUE JANSENISTE &c.

h. e.

BIBLIOTHECA JANSENISTICA, SEU Catalogus Alphabeticus primariorum librorum Janſeniſticorum, vel Janſeniſmi ſuſpectorum.

Sine loci & typographi indicio, 1735, 8.
Alph. 1 plag. 12.

Quamvis hæc Bibliotheca Indici Expurgatorio non multum videatur diſſimilis, nos tamen, ſepoſitis partium ſtudiis, & nihil controverſiæ *Janſeniſticæ* nos immiſcentes, Bibliothecæ hujus Autori, quisquis ſit, gratias agimus publico nomine, quod hoc ipſo libro multos Autores Anonymos & Pſeudonymos detexerit, ſicque adeo nobilem partem Hiſtoriæ, tam Eccleſiaſticæ, quam literariæ, illuſtratam dederit Integrum elapſum eſt Seculum inde a primis initiis controverſiæ *Janſeniſticæ*, quæ quidem, ut nulla magis,

gis, ferax Anonymorum & Pſeudonymorum fuit. Qui-
cunque hanc Bibliothecam perlegerit, deprehendet, cele-
berrimos *Janſeniſtarum* promachos, *Antonium Arnaldum*,
Petrum Nicolium, *Paſchaſium Queſnelium*, *Gabrielem Ger-*
beronum, *Joannem du Verger de Havrarie*, Abbatem *de*
S. Cyran, *Iſaacum le Maitre de Sacy*, *Martinum de Barcos*,
Joannem Baptiſtam Sinnichium, ſi non plane, uti quidem in
plurimis libris, ſuppreſſo nomine ſcripſerint, ſub pluribus ta-
men nominibus fictitiis latere conſultum duxiſſe. Nos quæ-
dam ſcitu digna & jucunda pro inſtituti noſtri ratione deli-
Pag. 1. babimus. Statim ſub initium hujus Bibliothecæ annotatur,
Quesnellium jam ante editum ſuum Novum Teſtamentum
20. turbis ſuis præluſiſſe per librum: *Abregé de la Morale de*
26. *l'Evangile*. Sub nomine *Gery* latet idem *Quesnellius*. Mo-
nita ſalutaria B. V. Mariæ ad indiſcretos ſuos cultores, quæ
Adamo Wildenfelſio, JCto Germano, alias tribuuntur, *Gerbero-*
30. *nius* Gallice vertit. Celeberrimam Bibliothecam Eccleſiaſti-
corum Autorum *Dupinianam* erroribus capitalibus ſcatere,
obſervatur, propter rejectum B. Virginis & imaginum cul-
41. tum, ſedisque Romanæ primatum. Liber, *Catechiſme de la*
Grace, compoſitus eſt, non a *Faydeavio*, ſed a *Godofredo Her-*
92. *manto*. *Abbé du Manoir* eſt nomen fictum *Paſchaſii Ques-*
96. *nellii*. Librum *de la Devotion â la ſainte Vierge* adornavit
104. *Adrianus Bailletus*. *Paulus Irenæus* eſt nomen adſcititium
113. 116. *Petri Nicolii*. Sub nominibus *Ignatii Eyckenboom* & *Fran-*
ciſci Poitevin, item *Gilles Gabriel*, latet *Gerberonius*, qui ipſe
120. & libellum: *Fable du tems, un Coq noir, qui bat deux re-*
138. *nards*, compoſuit. Sub nomine *du Bois* latet *Quesnellius*.
150. Notus liber Janſeniſticus, *de la frequente communion*, Abbati
153. 167. *de S. Cyran* adjudicatur præ *Arnaldo*. Sub nomine *Dancol-*
liers latet *Petrus Nicolius*, ſub nominibus autem *Dumont* &
173. 177. *Laval Iſaacus le Maître de Sacy*. Notiſſimum Janſeniſticum
librum, *les Hexaples* inſcriptum, adornavit *Fouillouxius*, qui
etiam dedit librum, *Hiſtoire abregée du Janſeniſme*, contra
180. quem *Paulus de Lion* Anti-Hexapla ſcripſit. *Pauli Sarpii* Hiſto-
riam Concilii Tridentini ex Italico in Gallicum idioma trans-
tulit

Digitized by Google

tulit *Amelotus*. Librum, *Lettres de Vargas ſur le Concile de*
Trente, edidit *Michael le Vaſſor*, & alius, *Hiſtoire generale du* Pag. 182.
Janſeniſme, conſcriptus eſt a *Gerberonio*. *Hyacinthus Serry* 186.
adſcivit ſibi nomen *Auguſtini le Blanc*. Catechiſmum, qui 200.
dicitur *Catechiſme de Montpellier*, conſcripſit *Franc. Amatus*
Pouget. Libellum, *Journal de S. Amour*, *Ant. Arnaldus* & 211.
Iſaacus le Maitre de Sacy compoſuere. Celeberrimi JCti 213.
Lovanienſis, *Bernardi Zegeri van Eſpen*, Jus Eccleſiaſticum,
& alii libri, Janſeniſticis accenſentur, item Poema epicum
Voltairii, quod inſcriptum eſt *la Ligue ou Henry le Grand*. 256.
Sub nomine *Alethophili Charitopolitani* latet *Jo. Courtot*, ſub 263.
nomine *de Preſſigny*, item ſub nominibus *Flore de S. Foi*
& *Abbé Valentin*, *Gerberonius*. Famoſum Novum Teſta- 291.
mentum Montenſe *Sacyus*, & ipſius frater, *Antonius le Maitre*,
qui duo hic tanquam diſtinctæ perſonæ nominantur, ver-
terunt, reviſum poſtea ab *Arnaldo* & *Nicolio*, ac in Belgio
deinceps editum. *Optatus Gallus* eſt nomen fictitium *Caroli* 310.
Herſant. *Peregrinus Hierichuntinus* eſt nomen adſcititium 317.
Florentis Conrii de Connaught, Hiberni. *Peregrinus* vero *Hie-*
roſolymitanus eſt *Joannes Baptiſta Sinnichius*, Theologus
quondam Lovanienſis. Abbas *de S. Cyran* nomen *Petri Au-*
relii adoptavit. Librum *Pſalmorum* Gallice verſum, & Notis 329.
illuſtratum, edidit *Nic. Fontainius*, eundemque brevioribus 331.
obſervationibus inſtructum Dominus *van Rooſt*, quondam
Curatus Plebanus & Canonicus Mechlinienſis. Celeberrimi 345.
Abbatis *d'Asfeld* liber, *Regles pour l'intelligence des ſaintes*
Ecritures, Janſeniſticis accenſetur. Biblia Gallica, Leo- 368.
dii tribus Voluminibus in folio A. 1702 edita, dicuntur tota
Queſnellianiſmo maligno infecta. *Saul exrex* eſt fœtus 376.
ingenii *Sinnichiani*. Mentio injicitur duarum translationum
Soliloquiorum, Meditationum, & Manualis *Auguſtini* in lin- 380.
guam Gallicam, quarum altera, quæ nomen *Dubois* præ ſe fert,
ac annotationibus aucta eſt, ſit Janſeniſtica, altera vero,
quæ hiſce deſtituitur, orthodoxa. Liber, *Theologie Morale de* 403.
Grenoble, Autorem habet *Franc. Genêt*, Epiſcopum quondam
Vaſionenſem, Janſeniſmi tamen ſuſpectus judicatur, licet per

Digitized by Google

Pag. 443. *Mich. Morum* Latine redditus, & *Clementi XI*, Pontifici Romano, dedicatus fuerit. Vita ſanctorum, ab *Adr. Bailleto* Gallice ſcripta, libris Janſeniſticis accenſetur, & commemoratur, *Bailletum*, ſanationem cœci prope Hierichuntem ultimum
449. Jeſu Chriſti miraculum fuiſſe, aſſeruiſſe. Liber, *la Morale Pratique des Jeſuites*, A. 1670 jam editus, conſcriptus eſt a *Perraulto*, & condemnatus, ut a carnifice in loco ſupplicii di-
455. ſcinderetur atque combureretur. Sub finem annectitur Bibliotheca Autorum Quietiſticorum, idque ea de cauſa, quod Quietismus ſit Janſeniſmus ad praxin applicatus. Recenſentur breviſſime libri Quietiſtici numero XIX, plerumque ſat noti, *Molinoſii*, *Petrucci*, *Falconi*, *Guyoniæ*, *Fenelonii*, &c. Poſtea ſubjungitur Bibliotheca Anti-Janſeniſtica, ſeu brevis Catalogus ſcriptorum Romano-Catholicorum, ad hanc controverſiam ſpectantium. Sub finem Autor Supplementa & augmenta Bibliothecæ Janſeniſticæ promittit ſe in poſterum daturum.

LUDOVICI DE HEMMER RESPUBLICA Tenediorum, e tenebris antiquitatum eruta, numisque illuſtrata.

Hafniæ, apud Hier. Chr. Pauli, 1735. 8.

Plag. 16.

In tenui Tenedo labor eſt, at tenuis non eſt gloria Autoris, quam ipſe ſibi nobili hoc ſcripto peperit. Periere injuria temporum *Ariſtotelis* de Tenediorum Republica libellus, & *Zoili* Encomium Tenediorum; latet adhuc forſan alicubi *Merulæ* Carmen de ſitu & fertilitate Inſulæ Tenedi; *Heraclidæ* recenſio Reipublicæ hujus brevior eſt, quam ut eruditis ſatisfaciat. Nota ſat igitur antiquis ſcriptoribus Tenedos, & Inſula & Respublica, facile permovit Doctiſſ. Autorem, ut non ita quidem ſpiſſam, varia tamen eruditione refertam, tractationem hanc, obſtetricantibus at quantis viris! *Nic. Foſſio* & *Jo. Grammio*, ſuſciperet, ac Danorum Herculi Muſagetæ, *Ivaro*
1. *Roſenkranz*, Domino in *Roſenholm*, &c. dicaret. *Caput primum* Geographicam Tenedi deſcriptionem ſiſtit, varia no-
10. mina & epitheta ejusdem explicat, ſitum Inſulæ demonſtrat, lati-

latitudinem definit, urbem Inſulæ cognominem, & alia ipſius Pag. 14.
oppida celebria, luſtrat, Alpheum fluvium, fontem, portus
fertilitatem, vaſa figulina, ab incolis magno parata numero, 17. 18.
& herbam origanum, ibi naſcentem, conſiderat. *Caput ſecun-* 23. 25.
dum enarrat non tam fabulam, quam rem veriſſime geſtam,
(id quod per totum libellum probat Cl. Autor,) hiſtoriam
nempe *Tennis*, Regis hujus Inſulæ, & *Cygni*, patris ejusdem,
quod videlicet *Tennes*, propter denegatum novercæ ſtuprum 27.
ſeu inceſtum, poſt ejus falſas delationes a patre in mare abje-
ctus, ad Inſulam Leucophryn appulerit, eique nomen Tene-
dos tribuerit, Rempublicam fundaverit, & eam optime guber-
naverit, tandemque cum *Achille* pro gloria decertans, occubu-
erit, poſt fata divino honore cultus, *Achillis* memoria & no-
minatione per rigidum edictum abolita. *Caput tertium* de 42.
incolarum Tenedi variis in bello fatis, ſub *Achille*, *Ore-*
ſte, bello Ionico, Perſico, Peloponneſiaco, ſub Athenienſi-
bus, Macedonibus, Romanis, tum etiam de Tenediorum 57.
indole, diligentia in fictilibus formandis vaſis, in agricultu-
ra, trajectione peregrinantium, ac navigatione, in arte mu-
ſica, item de Tenediorum hoſpitalitate & pulchritudine, ex-
ponit. *Caput quartum* agit de Inſulæ Regibus, v. c. *Tenne*, 60.
Amauro, de Tenediorum Prytanibus, e. g. *Ariſtagora*, de
Judicibus, aliisque inſignioribus apud Tenedios hominibus, 65. 67.
e. c. *Cleoſtrato*, *Theoxeno*, quibus adduntur ſtatuæ ac mar-
mora μνημόσυνα quædam, *Tenni*, *Alexandro*, *Apollini*, *Mar-*
peſia, Tenedi quondam poſita. *Caput quintum* leges Tene- 71.
diorum & prudentiam legislatoriam refert, graviſſima ſeveri-
tate conſpicuam: ut Legem de adulteris capite plectendis, ab
ipſo *Tenne* in filio transgreſſore ſevere vindicatam, Legem
de falſis delatoribus extemplo bipenni carnificis, qui judici
a tergo aſſiſtebat, ſubjiciendis, de nomine *Achillis* haud 83.
enuntiando, &c. quarum Tenediarum legum prima origo
ex ipſa *Tennis* hiſtoria eruitur, variis numis illuſtratur, te- 85.
ſtimoniis Autorum, cumprimis Græcorum, corroboratur,
ſimulque compluribus proverbiis, a Tenedo oriundis, multis-
que Autorum locis, lux affuditur. *Sextum* denique *Caput*, 98.
de Diis & ſacris Tenediorum, libello finem imponit.

Digitized by Google

Des A. Perſius Flaccus Satiren ꝛc.

i. e.

A. PERSII FLACCI SATIRÆ, EX LATINO in Germanicum ſermonem translatæ, atque Animadverſionibus iluſtratæ. Quibus præfiguntur 1) PLUTARCHI Tractatio de audiendis Poetis, ex Græco ſermone converſa; 2) peculiaris Commentatio de Satirica Poeſi Græcorum, deque Satira Romanorum. Sub finem reperitur brevis deſcriptio imaginis, quæ ipſo in titulo æri inciſa exhibetur, Autore JOANNE DAN. HEYDE, Philoſ. & Theol. Cultore.

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſtoph. Breitkopf, 1738, 8.
Plag. 19.

Elegantiſſimus iſte liber, Illuſtri *de Freiesleben*, Celſiſſimorum Comitum Ruthenorum Procancellario, magno illis in terris literarum, quæ ab humanitate nomen acceperunt, Mæcenati, inſcriptus, perpulchra continet eruditionis, quæ Cl. *Heydenium* ornat, ſpecimina. Ita autem ille rationes iniit ſuas, ut, cum plura eſſent, quæ ad Poeſin pertinerent, ſcripta, a præceptis ad exempla, & a generalioribus ad magis peculiaria, progrederetur. Præmiſit itaque *Perſio* Diſſertationes *duas*, quarum *prior* eſt *Plutarchi*: Πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν, ſeu *quomodo adoleſcens Poetas audire debeat*, quam, quia multas & præclaras de Poeſi doctrinas continet, Germanice vertit, ſimulque familiariorem reddidit. In ea vero transferenda ita ſe geſſit, ut non omnia quidem textus Græci verba, ſenſum tamen eorum, quod boni translatoris eſt, accuratius aſſequeretur. In vertendis Græcis verſibus, quorum magna ibidem deprehenditur copia, de rhythmo Germanico, haud ſine ratione, parum ſollicitus, ne numerus verſuum Germanicorum numerum Græcorum ſuperaret, curavit, & maſculos, quos vocant, fœmininis antetulit. *Poſterior* Diſſertationum, quam novam elaboravit Cl. Autor, agit *de Satirica Græcorum Poeſi, & de Satira Romana*. Diviſa eſt in *Sectiones duas*, quarum *altera* illam, *altera* vero

vero hanc, complectitur. Satirica Græcorum Poeſis nomen accepit a Græcorum Semideis, qui Satiri vocabantur, & tanquam *Bacchi* comites in ſcenam ducebantur. Origo ejus ab illis repetenda conventibus, quos vetuſtiſſimi Græciæ ruricolæ collectis frugibus cogere ſolebant, ut, gratias Diis, & inprimis *Baccho*, acturi, ſacrificiis operarentur, & laborum, quos ſuſtinuerant, memoriam poſituri, animum laxarent, ac jucunditati ſe darent. Ibi homines, curis ſoluti, genio indulgentes, ac vino pleni, in honorem *Bacchi* cantare, ciendi vero riſus gratia dicteria jaculari, aliusque in alium ſcommata proferre, & ſua ſibi vitia aut inhoneſta facta objectare, ſolebant, omnia vero, etiam acerbiora, dicta, epularum licentia & temulentia excuſabant. Inſimul ad numeros inconditos pedes movebant verius, quam ſaltabant; cujus rei ſimile quidpiam apud noſtros ruricolas tempore encæniorum videre licet. In his nihil, quod ab arte profectum eſſet, deprehendebatur: omnia natura e veſtigio producebat; quæ tamen poſtea in ordinem a Poetis redigebantur; qui ſimul fabulas quasdam componebant, quæ a Satirorum choro ſub modico ornatu, ſaltationibus, illosque decente petulantia, in ſcena agebantur. Hæc ſunt dramata illa ſatirica, primo a ſolo choro, qui e quibusdam Satiris unoque Sileno conſtabat, acta, cui vero interdum alius adhuc Silenus jungebatur: Poetæ quoque recentioris ætatis choro alias adhuc jocoſas, & tandem quoque ſerias, perſonas, e. g. heroas & Deos, addebant. Pertinet hæc ſatirica poeſis ad illam, quam Græci *δραματικὴν* vocabant; ad quam ſimul Tragœdiam & Comœdiam referebant. Satirica medium inter has occupabat locum, quia utriusque naturam proprio quodam modo participans, neutri tamen in omni re ſimilis fuit. Chorus Satiricæ ſemper e Satiris conſtabat, & nunquam mutabatur. Hic & pleræque utplurimum perſonæ, licet non omnes, ridiculæ. Fabula Satiricæ ſimplex & brevis, elocutio jocoſa & dicax, modus tamen ſervandus erat. Habebat Satirica genera quædam verſuum ſibi propriorum, *Satirica* dicta, quorum metrorum character hic erat, ut remiſſiora

tragicis, comicis vero adſtrictiora, inter horum ſolutam licentiam & illorum obſervationem exactam medium ſervarent. Satirica vero non per ſe docebatur, ſed vel interjiciebatur fabulis tragicis, vel easdem ſequebatur. Erat ergo illa *Poema dramaticum*, *Tragœdiæ annexum*, *chorum e Satiris habens*, *perſonarum illuſtrium actionem notabilem*, *partim ſeriam*, *partim jocoſam*, *exprimens ſtilo hilari*, *exitu plerumque læto.* Perſonæ Satiricæ propriæ Satiri erant atque Sileni. Satirorum ornatus, quo in ſcenam prodibant, veſtis erat hinnuli pellis, vel caprina. Gerebant quoque pardalinam textilem, & Liberi patris ſcutum, mitrasque hirſutas. Silenorum ornatus autem chlamys e floribus & tunica graminea hirſuta. Scenæ ornatus arbores, ſpeluncæ, montes, & reliquæ res agreſtes, in topiarii operis ſpeciem deformatæ. In actione omnia ad hilaritatem comparata. Diſcrimen inter hanc aliamque dramaticam Poeſin præcipuum in numeris ſaltationis. Ubi chorus, ibi ſemper ſaltatio. Satirica vero ſaltatio antiquiſſima. Erat iſta ſimplex, facilis, parum operoſa, paucarum perſonarum & plerumque ruſticarum; ſimul vero concitatiſſima, adeoque affectu minime carens. Agebantur hæc Satirica Dramata ineunte vere, & quidem menſe Antheſterione, qui cum Martio noſtro convenit. Poetæ fabularum ſatiricarum vocabantur Poetæ tragici, ſeu Poetæ tragici ſic dictorum dramatum ſatiricorum, quoniam ab aliis nullis, quam a Tragœdiarum Poetis, fabulæ Satiricæ hujus generis aut componebantur, aut docebantur. Horum præcipui & celeberrimi fuere *Theſpis*, *Pratinas*, *Phrynichus*, *Æſchylus*, *Chœrilus*, *Sophocles*, *Achæus*, *Euripides*, *Xenocles*, *Philocles*, *Aſtydamas*, *Jophon*, *Plato*. *Altera* hujus Diſſertationis *Sectio* de Romanorum Satira agit. Magna inter eruditos hac de Satira fuit contentio. *Scaliger* & *Heinſius* originem ejus a Græcis; *Caſaubonus* contra, *Rigaltius*, & *Dacierius*, a Romanis deducunt. Eadem lis de nomine ejus & etymologia. Qui a Græcis primum inventam eſſe Satiram exiſtimant, nomen ejus a Græco quoque vocabulo, nempe σατύρω, derivant. Qui vero Romanis eam tri-

tribuunt, a Romana quoque voce ejus deducunt nomen, ſcilicet a *ſatdra*, quod idem ſignificat ac *plena* aut *perfecta*, quaſi ſubintelligatur *lanx*. Doctiſſimus quoque *Caſaubonus* illam etymologiam merito rejecit, demonſtrans, genus hocce Poeſeos non a σατύρω derivari poſſe, ſed omnino a *ſatura* eſſe deducendum. Satira quidem perantiqua Romanorum poeſis, verum non antiquiſſima omnium. Præcedebant eam verſus *Saturnini* & *Feſcennini*, fundamentum Satiræ. Illi initium Romanæ Poeſeos erant, quæ eandem cum Græcorum poeſi originem habebat. Erant autem verſus illi Saturnini & Feſcennini rudes & inculti, ſine ullo metro, aut certo pedum numero, niſi quos ipſa forſan natura ſuggeſſerat. Cumque ludi ſcenici ad Romanos inſtituerentur, abſque ullo carmine carminumque imitandorum actu erant. Hi vero ruſtici & agreſtes verſus poſtea emendabantur, certisque numeris adoptabantur, & ſic tandem enata eſt *Satira*, quæ, quoad numerum, perfectum carmen, variisque jocis refertum, erat. Poſt aliquot annos, & quidem A. U. C. 514, *Lucius Andronicus* cœpit argumento fabulas ſerere, & a Satira ſpectantium animos ad illarum argumenta transferre. Satira igitur quodammodo negligebatur. Sed paulo poſt fabellis, Atellanis potiſſimum, conſerta, mutato nomine *Exodia* appellabatur. Inde duæ ſpecies Satiræ enaſcebantur. Altera ab *Ennio* anno poſt, quam *Livius Andronicus* fabulas ſuas in ſcena repræſentaverat. Animadverterat hic, Romanis mirum in modum arridere, ſi vitia in ludis ſcenicis riſui exponerentur & vellicarentur. Credebat itaque, idem eventurum, ſi carmina componerentur, quæ priſtinas facetias & dicteria retinerent, ſed in aliam transfigurarentur formam. Verſus igitur quosdam componebat, non in ſcena repræſentandos, ſed privatæ lectioni deſignatos, in eisque vitia hominesque vitioſos acerrime notabat. Contigit ei quoque, ut, quos fecerat, verſus placerent Romanis. Ob hanc quoque Satiræ mutationem, ejusque novam figuram, autor Satiræ Romanæ, proprie ſic dictæ, appellatus eſt. Hujus veſtigia ſequebatur *Pacuvius*, ejus cognatus.

gnatus. Quales vero hic in Satira progreſſus fecerit, vix judicare poſſumus, cum temporum injuria parum ejus operum ad nos pervenerit. Altera Satiræ ſpecies *Varroniana*, ſeu *Menippea*, vocabatur, a *Varrone*, ejus autore, qui in ea præſertim *Menippum*, Philoſophum Cynicum, Gadarenſem, imitatus erat. Varia in Satiris *Varronis* inter ſe commixta deprehendebantur, non ſolum res varii generis, ſed & verſus, quin imo verſus cum proſa, & Græca cum Latinis. Novam Satiræ faciem dedit *Lucilius*, dum Archææ Comœdiæ characterem potiſſimum imitatus, vitia hominum vehementer carpſit, quod proprium illius Comœdiæ fuit. Stilus ejus humilis, & ad populum accommodatus, ſimul vero durus & impurus: non ſemper quoque eodem metri genere uſus eſt. Poſt *Lucilii* tempora maxime floruit *Horatius*, qui illum longe ſuperavit, Romanamque Satiram prorſus perfecit. Stilus ejus purus, humilis, multis tamen refertus figuris. Semper cum vulgo loquitur; quare etiam Sermones dixit, quas fecit, Satiras, in quibus heroico tantum verſuum genere uſus eſt. *Horatium Juvenalis* excepit, multum ab illo diſcrepans. Vicit eum dignitate argumentorum, quæ tractavit. Jocatur interdum, & naſo ſuſpendit hominum vitia, magis tamen aperte laceſſit, flagellat, & urit. *Horatium* jocorum gratia præcedit, licet non copia. Metro heroico quoque uſus, numerum ſtrictius illo obſervavit. Sermo ejus puriſſimus, ſublimis, & ſententioſus, adeoque intellectu non ita facilis: quare & a multis neglectus fuit; cujus rei cauſam multi quoque obſcœnitatem ejus dicunt. Tandem ſecutus eſt *Perſius*, qui, Philoſophia & *Horatium* & *Juvenalem* longe præcedens, ſe ſemper & ubique Philoſophum Stoicum ſiſtit. Argumentorum dignitate certe *Horatio* major, & *Juvenale* non inferior. Multum in eo deprehenditur ardoris & ſpiritus. Laceſſit potius hominum vitia, quam deridet. Stili puritate cedit *Horatio* & *Juvenali*, verſuum vero concinnitate *Juvenale* forte non inferior, & *Horatio* ſuperior. Sermonis caſtitate illum longe ſuperat. Dictio ejus ſublimis, gratiæque plena. Figuris ſæpe feliciſſime utitur,

tur, tropi vero duriuſculi ipſum ſæpe obſcurum reddunt. Quod magno & ſublimi ejus ingenio eſt tribuendum, cui iſtiusmodi exceſſus valde ſunt familiares. Hi tres Satirographi, *Horatius*, *Juvenalis*, ac *Perſius*, ſummi ſemper merito ſuo ſunt habiti, & ſinguli proprios habuere fautores. *Dan. Heinſius* & *Dacierius* ſingulari plane modo ſuum extollunt *Flaccum*, omnibus aliis plane poſthabitis. *Julius Caſar*, *Scaliger*, *Rigaltius*, & alii, deprimunt *Horatium*, ut *Juvenali* palmam deferant. *Caſaubonus* contra nullus dubitat *Perſium* ſuum *Horatio* non ſolum æquiparare, ſed & quodammodo præferre, licet illi ſuam laudem non deneget. Non eſt autem, cur alterum alterius damno laudemus. Singuli ſuas ſibi proprias habent elegantias, ſuaque merita. Quamvis enim alius alium in re quadam vicerit, in alia tamen idem victus eſt ab eodem. Finita ſic Satiræ hiſtoria, Autor ita eam deſcribit: *Satira eſt Poema mordax & ſalſum, ad perſtringenda hominum vitia comparatum, virtutem ubique pulchram ſiſtens atque laudabilem.* Hæc animo ſecum perpendens, cognoſcet, Satiram nec a Græcis inventam, nec adornatam, nec denique perfectam & abſolutam, ſed hæc omnia Romanis ſolis tribuenda eſſe. Hanc Diſſertationem ſequitur vita *Perſii*, cum argumentis cujusvis Satiræ; tandem ipſe textus *Perſii* Latinus ex recenſione *Caſauboni*, 1615, Lutet. Pariſ. cum Autoris noſtri e regione appoſita Germanica verſione, & ubique ſubjectis animadverſionibus. His abſolutis, Autor breviter deſcripſit effigiem, quæ in fronte libri conſpicitur, Bacchi chorum, ſcenamque Satiricam, continens, admirandum antiquitatis monumentum. Tandem addidit editiones quasdam *Perſii*, quæ in *Bibliotheca Latina* B. *Fabricii* non leguntur. Omnia ita ſunt comparata, ut dignus ſit liber, qui evolvatur; quæ etiam cauſa eſt, cur elegantes præſertim obſervationes ſicco, quod ajunt, pede præterierimus, cum perſuaſiſſimi ſimus, neminem fore, quem pœniteat tam obſcurum Poetam, inſigni luci redditum, perlegiſſe.

DISSERTATIONUM ANTI-HARDUINARUM Biga, quarum altera agit de Galilæa monte, altera de

Harmonia apparitionum Chriſti redivivi, ad vindicandum locum Matth. XXVIII, 16, ſcripta a M. CHRISTIANO GOTTLOB EICHLERO, Catecheta ad Ædem D. Petri Lipſ.

Lipſiæ, ex officina Laugenhemiana, 1737, 4.

Plag. 8.

Rev. Autor diligentiæ ſuæ ſacræ ſpecimina hic dedit nec vulgaria, nec mediocri diligentia elaborata. Occaſionem ſcribendo huic libello ſuppeditavit *Joannes Harduinus*, Presbyter
Pag. 6 ſeq. Gallus, ſocietati Jeſu addictus, vir paradoxorum amator, audacioris quippe ingenii & ad fingendum accommodati. Hic enim, novam apparitionum Chriſti redivivi harmoniam ſtructurus, libellum Gallice conſcripſit, cui titulus: *l'Apparition du Sauveur dans la Galilée, dont parlent S. Matthieu & S. Marc, expliquée par le* P. H. J. *à Paris d. 6 Mais.* Is fuit inſertus *Ephemeridibus Trevultinis* (Memoires de Trevoux) *A. 1729 Sept. Art. 95 pag. 1763 ed. Paris. Harduinum* eſſe autorem hujus expoſitionis, Autores Ephemeridum iſtarum indicant *Art. 20 pag 2279.* Jeſuita legit *Matth. XXVIII, 16,* Jeſum ſuis apparuiſſe in *Galilæa.* Noluit itaque iſte regionem intelligere, ſed potius per *Galilæam* credidit deſignatam eſſe partem oliviferi montis, quam media ætas appellavit *Galilæam.* Dabimus in compendio rationes & argumenta *Harduini*, eisque addemus Rev. *Eichleri* allatam in contrarium diſceptationem. *Harduinus* ita putat, rationesque ſuas ſubducit ſeptem. Credit 1), Servatorem viſionem ſui promiſiſſe redivivi *Matth. XXVI, 31,* eamque promiſſionem fore primæ apparitioni adjunctam & ſic expletam, mulieribus edixiſſe *Cap. XXVIII, 7, 10*; 2) Galilæam ab Hieroſolymorum urbe
8. abfuiſſe 12 milliaria, ideoque diſcipulos primo reſurrectionis Chriſti die Hieroſolymis in regionem usque Galilæam iter facere haud potuiſſe, qui tamen abierint, ob *Matth. XXVIII, 16,* ac eodem die redierint, *Luc. XXIV, 33,* ſiquidem diſcipuli Emaunte reduces in urbe apud eos ex Galilæa reverſos
9. diverterint; 3) mandatum Chriſti de Galilæa provinciæ intelligi non poſſe, ſiquidem hæc ſit ampla, & Servator locum

eum ejus peculiarem, in quo fuiſſet apparituros, haud indicarit; 4) primæ apparitioni conveniſſe ordinationem Apoſtolorum ad Evangelium diſſeminandum, ad adminiſtrandum Baptiſmum, & ad remittendum peccata, qui ordo Sacramentorum ab eis turbetur, qui Galilæam *Matthæi* pro provincia reputent; 5) ſecundam Chriſti apparitionem ad mare Tiberiadis in Galilæa contigiſſe, ob vocem πάλιν, id eſt, *ſecunda vice*, adhibitam *Jo. XXI, 2*; 6) *Matthæum* indicaſſe, apparitionem Galilæanam undecim duntaxat Apoſtolis contigiſſe: a qua proinde illa, 500 fratribus oblata, differat *1 Cor. XV, 6*; 7) locum quendam montis oliviferi appellari Galilæam, Pag. 11.
teſte *Barradio*, Jeſuita, qui *Operum T. IV pag. 337 Loarium*, Epiſcopum Conimbricenſem, αὐτόπτην & αὐτήκοον, (*Soarium* debebat dicere,) laudavit. Mirum eſt, *Harduinum*, duas illas apparitiones, *Thoma* abſente & præſente factas, a *Matthæo* inunam eſſe contractam, divinando aſſecutum; mirum magis, ipſum verba: οἱ δὲ ἐδίστασαν, *Matth. XXVIII, 17*, de ſolo *Thoma* dubitante accepiſſe. Quæ duo ſententiæ ipſius momenta diſtincte ſatis oſtendunt, quam violenta & contorta ſit *Harduini* expoſitio. Quid vero in ſeptem illis argumentis potiſſimum Autor deſideret, nunc eſt inquirendum. Hic haud inficiatur, *Harduini* ſententiam eſſe minus novam, ſed potius ab ipſo Cel. *Jacobo Lenfant* adoptatam. Argumentum *Harduini* primum certe eſt ficulnum. Quis enim evincet, promiſſum 13.
illud Chriſti, *Matth. XXVI, 31*, ac mandatum ejusdem, *Cap. XXVIII, 10*, perſcriptum, ad primam apparitionem ſpectare? Ubinam enim ibi de certo die aliquid prænuntiatum? Chriſtus diſſipatum gregem erat recollecturus, eumque in finem paſtoris inſtar in Galilæam prægreſſurus; diem haud prædefiniverat. Erat eo venturus, quo cœtus fidelium coierat. Secundum nihil probat argumentum. Quis enim affirmavit, Chriſtum voluiſſe primo reſurrectionis die in Galilæa apparere? Intervallum Hieroſolymæ a Galilæa *Harduinus* poſuit 17.
nimis breve, ſive is intellexerit milliaria Gallica, ſive Romana. Autor verba *Luc. XXIV, 35*, ὅτι ὁ κύριος ὄντως ἠγέρθη καὶ ὤφθη Σίμωνι, attribuit undecim Apoſtolis, quod vero conſonat. Dum vero illa negat reddi poſſe: *an Dominus vere re-*

Digitized by Google

ſurrexit, & apparuit Simoni? calculum ipſi adjicere non poſ-
ſumus, meliora ex Cl. *Tympii* notis ad *Noldii* Concordan-
tiam particularum edocti, licet non opus ſit, *Simonem Pe-
trum* ibi intelligere, quippe qui intererat undecim Apoſto-
lis, ad quos duo Emauntici diſcipuli, e quibus *Simon* ille,
redibant. Ad argumentum tertium facile reſpondetur, nam
εἰς τὸ ὄρος, *in montem illum Galilææ*, quem ipſi norant diſci-
Pag. 19. puli, & *quem Jeſus ipſis prædefiniverat*, *ὃ ἐτάξατο αὐτοῖς
ὁ Ἰησοῦς*, (*Matth. XXVIII, 16,*) volebat Chriſtus ſuos ire, ibi-
que ſeſe redivivum exſpectare. Addit Autor, Galilæam no-
tari inferiorem, quoties ſimpliciter *Galilææ* occurrit nomen,
in hac vero eminuiſſe montem Tabor, in quo Chriſtus ex
20. teſtimonio veterum fuerit transfiguratus, licet haud infi-
cietur, poſterius hoc a *Joanne Lightfooto* & *Relando* ne-
gari. Quartum *Harduini* argumentum nullius eſt pretii.
Baptiſmus enim jam olim erat inſtitutus, nec remiſſio-
27. nis peccatorum gratia quondam ignorata. Quintum ro-
bore vacat, ſiquidem per particulam *πάλιν* promiſcue deſi-
gnatur res repetita, e. g. *Matth. XX, 5. Joannes* potius, il-
lam apparitionem ad lacum Tiberiadis factam fuiſſe tertium,
docuit luculente *Cap. XXI, 14*, ſcilicet in numero earum, quæ
ſolennius pluribus diſcipulis obtigerant. Sextum caret nervo.
Ubinam enim *Matthæus* dicit, Chriſtum in Galilæa *ſolis* di-
ſcipulis undecim apparuiſſe? Illud *οἱ δὲ ἐδίστασαν* referendum
29. eſt ad nonnullos, a diſcipulis diverſos, monentibus *Caſau-
bono*, *Lamberto Bos* in *Exerc. pag. 13*, ac Cel. *Raphelio* Anno-
tationum Xenophontearum *pag. 65*. Apparitionem illam,
30 ſeq. 500 fratribus factam, in monte Galilææ accidiſſe, Autor
probabiliſſime conficit argumentis exquiſitis. Argumentum
ſeptimum eſt nihili, innixum quippe teſtibus recentioribus.
Galilæos templum & urbem Hieroſolymorum haud debuiſſe
ingredi, *Harduinus* fruſtra fingit. Contraria enim omnia
pateſcunt ex *Jo. IV, 45, XII, 20, Luc. II, 41*, & ex ipſius Chri-
36. ſti exemplo. Nomen *Galilææ* adhæſit parti montis oliviferi
probabiliſſime ex compellatione Angeli *Act. I, 11, viri Gali-
læi*. Hæc eſt *Diſſertationis prioris* ſumma. Cum vero *Har-
duinus* turbaverit Harmoniam Evangeliſtarum, ratus, appa-
ritionem in monte Galilæa contigiſſe, ſecundam vero octi-

Digitized by Google

duo demum inde elapſo, *Jo. XX, 24;* Autor occaſionem ſibi ſubnatam credidit determinandi rectius verba illa Evangeliſtarum, quibus ordo apparitionum Chriſti fuit perſcriptus. Inprimis vero oſtendit, Chriſtum apparuiſſe primo a reſurrectione die πρῶτον Mariæ, μετὰ ταῦτα duobus, Emauntem proficiſcentibus, diſcipulis, ac ὕϛερον τοῖς ἕνδεκα, tandem ea die decem Apoſtolis, qui a numero univerſitatis conſueto *undecim* dicti ſint. Ipſe perpulchre tempus, quo mulieres ad ſepulcrum Chriſti ierunt, ſcopum, & numerum, perſonasque earum, ediſſerit atque illuſtrat. Illud notamus, quod ipſe *pag.* 47 ſtatuat, *Mariam*, *Jacobi* minoris & *Judæ Thaddæi* matrem, primo fuiſſe uxorem *Alphæi*, hoc autem mortuo, *Cleophæ*. Suffragandum enim credimus eis, qui *Alphæum* pro ipſo *Cleopha* habent. Idem enim חלפא *Hhalpha* nomen modo ad morem Græcum Αλφαῖος pronuntiatum fuit, modo ſecundum conſuetudinem Palæſtinæ Κλωπᾶ. Notamus porro pace Viri optimi, ipſum in eo eſſe, ut probet, mulieres reliquas, ſepulcrum Chriſti luſtraturas, a *Maria Magdalena* derelictas, ſpe & timore dubias, fortaſſis tamen lætiſſimo *Mariæ* illius nuntio excitatas, reditum iteraſſe, Pag. 49.
cum domum jam rediiſſent convictæ a duobus angelis de veritate reſurrectionis Chriſti, (*Luc. XXIV, 3, 4,*) ipſasque denuo exiiſſe ad ſepulcrum, introiiſſe in illud, ac vidiſſe angelum ſub ſpecie adoleſcentis, ſedentem ad dextrum ſepulcri latus, *Marc. XVI, 5*, uberiorem ab eo ſermonem audiiſſe, ac inter recurrendum incidiſſe in Jeſum, blande ipſas appellantem, & ad amplexus admittentem. Non eſt, quod ad ſingula aliquid moneamus. Id tantum vellicat animum, quod *Matthæus* ſignificet, mulieres haſce, ad diſcipulos redituras, reperiſſe Jeſum obvium *Cap. XXVIII, 8, 9*, ut adeo dici haud poſſit, ipſas domum rediiſſe, ac exitum iteraſſe ad ſepulcrum, denuoque reditui accinctas a Jeſu compellatas eſſe. Succurrit id quoque, Jeſum apparuiſſe *Cephæ*, deinceps vero reliquis Apoſtolis, *1 Cor. XV, 6*, licet ſcriptores *Harmoniarum* diſtincte haud audeant temporis momenta definire, quibus hæc apparitio cum illa, quæ mulieribus contigit, fuerit conjuncta. Verba illa diſcipulorum undecim (i. e. decem præſentium ex illis undecim, olim duodecim,) a *Luca* perſcripta

Pag. 50. *Cap. XXIV, 34,* ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως καὶ ὤφθη Σίμωνι, ad *Petrum* haud videntur pertinere, qui apud *Lucam* in contextu illó univerſo hand vocatur *Simon*. Quare videtur probabile, Chriſtum, illis decem apparentem, in conclavi peculiari primum apparuiſſe *Petro*, ac deinde reliquis, ad quos receſſerat *Petrus*, ſtatim ſeſe redivivum obtuliſſe, in unum conclave congreſſis. Qua quidem ratione illa *Petro* facta apparitio poſtponenda eſſet illi, qua Emauntici diſcipuli fuerunt colluſtrati. Si enim apparitio *Cephæ* ſeu *Petro* facta præceſſiſſet illam Emaunticam, *Cleophas* cum ſocio id indicaſſet, contraria potius teſtatus *Luc. XXIV, 34*. De reliquo Rev. Autor tam exacte apparitiones Chriſti redivivi diſſeſſerit, ut Æthiopem cenſendus ſit lavare, qui meliora, quantum ad potiſſima attinet, ſeſe prolaturum confidat. De reliquo conjectamus, alterum Emaunticorum diſcipulorum exſtitiſſe *Simonem*, e *Cleopha* natum.

ELOGIUM GUILIELMI DERHAMI, MAGNI rerum naturalium in Anglia doctoris.

Servabimus in his etiam Annalibus memoriam Viri ſummi, &, cujus merita omnis poſteritas noſcat, digniſſimi, *Guil. Derhami*, Doctoris Theologiæ, Canonici Vindeſorienſis, Societatis Regiæ Scientiarum Sodalis, & Rectoris, ſive, quod idem eſt, verbi divini Miniſtri, oppidi Upminſterii in Comitatu Eſſexiæ civibus erudiendis præfecti, quem ante aliquod tempus e vivis exceſſiſſe, pauci forſitan ignorant. De die quidem, quo orbis literarius hanc jacturam fecit, haud nobis conſtat; at, quæ de vita ejus ſatis nobis explorata ſunt, hic breviter commemorare inſtituimus, tanti Viri manibus debitum ita exhibituri honorem. Cum in Academia Oxonienſi literis primum vacaret, Collegio, quod a S. Joanne nomen habet, adſcriptus eſt, eidemque per annos plurimos cum reliquis, qui inde fructus & beneficia tunc temporis percipiebant, interfuit. Muneri Eccleſiaſtico olim obeundo ſeſe quidem dicaverat, neque facile quidquam intermiſerat, quod tali officio rite gerendo parem ipſum reddere poſſet; ſimul tamen ab eodem inde tempore Phyſicam & Philoſophiam naturalem mirum quantum in deliciis habuit. Vix ullam in

rebus

Digitized by Google

rebus caducis præſtantiorem, puriorem, magiſque innocentem, voluptatem inveniri, quam quæ ex naturæ admirandique ejus opificii conſideratione ſedula hauritur, ſuo ipſe exemplo edoctus, adeo feliciter huic ſcientiæ operatus eſt, ut per illam potiſſimum orbi literato ſe, ſuique poſt mortem memoriam, commendaverit. Jam A. 1698 edito libello innotuit, cui titulum fecerat: *The Artificial Clock-Maker* &c. i. e. *Tractatus de Horologiis, eorundemque elaborandorum arte, in quo, methodo cuivis etiam ſat hebeti ingenio pervia, explicatur ratio, calculos eo pertinentes ſubducendi pro multiplici motuum diverſitate, cum hiſtoria Horologiorum & artis Automatariæ antiqua æque ac recentiore, & notitia rerum plurium aliarum, nondum antea ſatis cognitarum*, in forma, quam *octavam* appellant. Hoc Opuſculo meruit locum in Societate Regia Sicentiarum, quem nunquam non cum dignitate ſuſtinuit. Committebantur ipſi per annos 1711 & ſequentem ſermones ſacri, quos ex magni Phyſici, *Boylii*, ultima voluntate contra Atheos quotannis pronuntiare conſueverunt Oratores, ad id officium denominati. Huic vero fini apprime Noſter conducere arbitrabatur, ut Dei cum exiſtentiam, tum attributa, confirmaret enumeratione documentorum ſapientiæ, in mundi creatione editorum. Multa ipſum, privatim & cum cura inſtituta, experimenta, obſervationes, in quas ipſe primus inciderat, ſeverior denique meditatio, idoneum huic labori præ aliis multis reddiderant. *Primam* horum Sermonum *Partem* anno inſequente 1713 evulgavit, ſic inſcriptam: *Theologia Phyſica, ſive Demonſtratio exiſtentiæ & attributorum Dei, petita e rebus creatis; ceu Compendium XVI Orationum, ad normam fundationis* Boylianæ *in templo S. Mariæ le Bow annis 1712 & 1713 recitatarum. Adjuncta ſunt notæ ampliſſimæ, plurimæque Obſervationes, admodum notatu dignæ.* Tanto applauſu elegantiſſimus exceptus eſt liber, ut illo ipſo anno ter preſſo ſubderetur: adeo numerus emtorum ſpem omnium, licet non exiguam, exſuperavit. Academia præcipue Oxonienſis adeo probavit librum, ut ipſum Autorem ſingularis honoris ſignificatione ob eum ipſum judicaret afficiendum. Tranſmiſit ſcilicet ei Diploma, quo Doctor Theologiæ crea-

retur,

Digitized by Google

retur, qui honor non niſi præſentibus, & multa cum ſolennitatum pompa, conferri conſueverat. Non ita multo poſt creatus eſt a Rege Canonicus Vindeſorienſis, quod beneficium, tantum abeſt, ut expetierit, ut ne quidem ante, quam res peracta eſſet, quidquam ejus reſciverit, quod cum ipſo ageretur: quæ ſane regia liberalitas tantum Regem ipſum, quantum *Derhamum*, decuiſſe, communi judicio credita eſt. Tum prior ille de arte avtomataria, tum & hic, liber in Gallicum, poſterior etiam in Germanicum, Italicum, Batavumque ſermonem translatus eſt. *Altera Pars* horum ſacrorum Sermonum, ab Autore A. 1714 luci publicæ expoſita, parem cum priore fortunam experta, ſic inſcripta fuit: *Aſtrotheologia, ſive Demonſtratio exiſtentiæ & attributorum Dei, e cælorum & cæleſti corporum contemplatione deducta.* Collegit idem, junctimque edidit A. 1718, Epiſtolas Philoſophicas *Raji*, *Willughyi*, aliorumque, quibuscum ipſi literarum commercium intercedebat. *Hookii* Experimenta & Obſervationes phyſicæ A. 1726 ab ipſo *Derhamo* in lucem protractæ ſunt. *Albini* Hiſtoriæ naturali Inſectorum ejusdem *Derhami* acceſſerunt annotationes, frugi perquam plenæ. Multas præterea Diſſertationes de rebus phyſicis deinceps Actis Philoſophicis Societatis Regiæ Scientiarum inſeruit, lectu digniſſimas, & ſingulari omnium ſtudio exceptas. Denique nonnullas lucubrationes manu exaratas reliquit, quas in publicum pariter prodituras eſſe, ſpes aliqua allucet. Certe ejus viduæ conſtitutum eſt, Tractatum de oculi ſtructura typographo excudendum committere, quem paucos ante mortem dies abſolverat. Ereptus eſt vivis obitu ſubito parumque expectato, nullo morbo, niſi qui ſenium comitari ſolet, antea afflictus; annum enim octavum & ſeptuageſimum exegerat. Ceterum perquam erat facilis tum acceſſu, tum familiari uſu, vitæ innocentia clarus, liberalitate in egenos multis præcellens, officii inter naturæ contemplandæ delicias, quibus captus erat, nunquam negligens, vel potius ſemper obſervantiſſimus, quippe ſacri muneris partes omnes continuo executus. Judicatu facillimum eſt, talem Virum in animis omnium, quibus cognitus erat, ſatis triſte ſui deſiderium relinquere oportuiſſe.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA:

Tomi IV Sectio IV.

LEXICON HEBRAICUM ET CHALDÆO-Biblicum, ordine Alphabetico, ad uſum Collegii Urbani de propaganda fide, in tres Partes diviſum; Autore Presbytero Priore JOANNE BOUGET, in eodem Collegio Linguæ Hebrææ, & in Archigymnaſio Romano Linguæ Græcæ, Lectore.

Romæ, typis & ſumtibus Hieronymi Mainardi, impreſſoris Cameralis, 1737, fol.

Pars I & II Alph. 9 plag. 8, Pars III Alph. 4 plag. 16.

Quod olim *Scaliger* affirmavit, ſi quem dira maneat ſententia judicis olim, oportere eum Lexica conſcribere, hoc omnes ſunt experti, qui magno labore & ſtudio libris ejusmodi ſcribendis operam dederunt. Præterea enim, quod hic labor ſit immenſus, & niſi longo annorum ſpatio vix abſolvi poſſit, multorum is odia, contentiones, & reprehenſiones, in nos provocare ſolet, quod nunquam deſint, qui, quod emendent, aut addant, aut demant, inveniſſe ſibi videantur. Neque tamen negari poteſt, cum magno juventutis & diſcentium emolumento hoc, quicquid eſt operæ & laboris, ſuſcipi. Non igitur defraudandus eſt laude ſua Rev. *Bougetus*, qui in uſum Collegii de propaganda fide hoc Opus compoſuit; cujus generis ſcripta id efficiunt, ut Scripturam S. in fontibus legere, ſicque ad veritatis divinæ

 ſoli-

Digitized by Google

ſolidiorem cognitionem & meditationem adduci, homines Pontificii poſſint. Pauca de inſtituto Autoris, & tota hujus Lexici diſpoſitione, a nobis monenda ſunt. Nec pudet, nec piget Autorem, in Præfatione fateri, eſſe hoc Opus plurium annorum fœtum. Scribendi hujus ea Rev. Autori cauſa fuit, quod bonum & præclarum judicaret, alumnorum Collegii de propaganda fide hoc modo ſtudia juvari, quibus, per varia & continua pietatis exercitia, perque multiplicem illarum doctrinarum exercitationem, quæ ad dilatandam & diſſeminandam inter heterodoxos atque infideles gentes doctrinam Pontificiorum faciunt, in linguarum ſtudium ſerio, & quantum expedit, incumbere non licet. Adhæc ſibi perſuadet, hoc Opus illis poſſe inſervire, quibus vel ætas provectior illam memoriæ aciem, linguis ediſcendis unice neceſſariam, hebetavit, vel negotiorum copia otium non permittit, vel aliorum ſtudiorum neceſſitas tempus opportunum eripit. Itaque non tantum alumnis illis, ſed & aliis, qui in hac lingua profectus facere cupiunt, ſcripſiſſe Opus hoc videtur. Non vero eadem *Bougetiani* hujus Lexici eſt ratio, quæ aliorum, olim a Scriptoribus diverſis editorum, in quibus radix omnium vocum conſtituitur, qua duce reliquæ ſunt quærendæ; ſed per Opus hoc univerſum integræ voces, quemadmodum in Codice ſacro occurrunt, exhibentur. Illam enim viam paulo longiorem & intricatiorem eſſe arbitratur Autor, ſeque illorum ſortem dudum miſeratum fatetur, qui in radicibus vocum inveſtigandis, quod centies ſibi contigerit, dies totos inſumant, quos rebus altioribus inſumtos, nec injuria, vellent. Sed noſtris alumnis, quibus inſtitutiones Ebraicas tradere ſolemus, non tantum operæ & laboris eſt, quantum Autori videtur. Ante omnia enim præfixa & affixa tum verborum, tum pronominum, deinde literas ſerviles & radicales imperfectorum verborum, paradigmata & characteres, & alia, quæ ad inveſtigationem radicis pertinent, docere noſtros ſolemus, quibus probe obſervatis, ſtatim radices inveniunt, nec horam, nedum dies, huic labori inſumunt, Neque tamen

cho-

hoc ipſo aliquid præſtitit Cel. Autor, quod nemo ante eum, ſiquidem varii eodem modo compoſita Lexica Ebraica nobis dederunt, quod vel *Alberti Porta lingua ſancta* ex recentioribus docere poteſt, quæ in omnium noſtrorum manibus eſt, & eodem modo, quo hoc Lexicon *Bougetianum*, concinnata. Ut ſuis diſcipulis laborem faciliorem redderet, præterea etiam verborum tempora appoſuit, quæ ab initio creſcunt, & unamquamque vocem in ſuas partes grammaticales reſolvit, non vero ultra metas grammaticas progreſſus eſt. Ea etiam nomina & verba cum cura expoſuit, quibus præcedens affixa eſt præpoſitio, quæ vocem vel paulo obſcuriorem vel minus redderet expeditam & inventu facilem. Multi forte erunt, quibus hæc parum probentur; at illi cogitare debent, Autorem non iis ſcripſiſſe, quibus ingenium in numerato eſt, quive lynceis oculis doctrinas quasque intricatiores uno intuitu pervadunt. Præterea leguntur in hoc Lexico nomina propria non urbium tantum, ſed & hominum & virorum. Chaldaicas quoque voces, quæ in ſacris Bibliis reperiuntur, omnes adjecit Autor, cum radicibus & vocum ſignificatione & reſolutione. Exempla interdum addidit ſub vocibus Biblica, eaque difficiliora, ut etiam hoc modo facillima methodo ad linguæ Ebrææ cognitionem adducerentur tirones. In exponendis autem Latine textus ſacri exemplis a vulgata translatione recedere nefas duxit, niſi ubi ad literam & grammatice exponere neceſſe fuit; verſus etiam & librorum nomina ex ipſa vulgata editione deſumta dedit, quæ Pontificiis maxime cognita ſunt ex quotidiano uſu. Quamvis itaque futuri videantur, qui Autori minime concedant, quod contendit, hoc Volumine neminem Philhebræum citra magnum ſtudiorum ſuorum detrimentum carere poſſe; tamen laudem utique meretur Vir doctiſſimus, quod ſuæ ſectæ homines ad ſtudium Ebrææ linguæ adducat, illisque occaſionem ſuppeditet, non tantum in vulgata, ſed & in fontibus, ſacras literas legendi, quo, depulſis ignorantiæ tenebris, ad cognitionem veritatum perveniant.

PAULUS ELUCIDATUS, SIVE COMMENTARIUS paraphraſticus in omnes Epiſtolas D. Pauli, gentium Apoſtoli; Autore P. ANTONIO REMY, Societatis Jeſu.

Auguſtæ Vindelicorum & Ratisbonæ, ſumtibus Strœtter, & Feſenmayr, 1739, 4.

Alph. 2. plag. 17.

Poſtquam duos & triginta annos altiores diſciplinas profeſſus eſt Rev. Autor, requiem denique nactus, ſanctiorum ſe literarum ſtudio, laudatiſſimo plane conatu, penitus addixit, &, ne nihil egiſſe videretur otioſus, graviſſimos pariter atque utiliſſimos exantlavit labores, in iſtud unum incumbens, ut legitimum diviniſſimorum oraculorum ſenſum facili claraque praraphraſi exponeret, obſcura explicaret, & ſingulorum tum Capitum, tum verſuum, aptam ordinatamque connexionem oſtenderet. Atque iſtiusmodi lucubrationibus, qui præ manibus eſt, *in Epiſtolas Paulinas Commentarius* originem debet ſuam. Eſt ille *Paulus* præcipuus inter Servatoris optimi maximi legatos, ſive vocationem, a Chriſto glorioſe factam, ſive curioſiorem muneris adminiſtrationem, ſpectes. Quibus cauſis factum eſt, ut ſingulares prorſus tum alii, tum *Chryſoſtomus* ſigillatim, ei laudes tribuerent. Is enim *Chryſoſtomus* eo progreditur, ut *Homilia VIII*, de ejus laudibus ſcripta, univerſos cœtus Judaici patres, univerſos vates, legatos denique Chriſti ac ſanctos omnes, a *Paulo* eſſe victos aſſeveret. *Cui*, ait, *te, o ſancte Paule, juſtorum Veteris aut Novi Teſtamenti audeam comparare? Omnium quippe virtutem quaſi in arca quadam, ſed cum multo prorſus cumulo, condidiſti. Denique, etiamſi totum contra te aliquis ſigillatim juſtorum appendat chorum, inveniet trutinam virtutum ponderibus a tua parte depreſſam.* Quem igitur digniorem, quem præſtantiorem, eligere potuiſſet, de quo bene mereret, & cujus ſcriptis, quantulamcunque poſſet, lucem affunderet? Præter argumentum, quod uniuſcujuſque *Epiſtolarum* explicatio-

ni

ni præmiſit, *Epiſtolæ* ſigillatim *ad Romanos* quæſtiones, quas vocat, præliminares præpoſuit, lectori haudquaquam injucundas. Interrogat e. g. quo loco ordine & tempore ſcriptæ ſint Epiſtolæ *S. Pauli*; ac reſponſionem ex mente *Baronii*, *Cornelii*, *Tirini*, aliorumque, ſuppeditat; quare *Epiſtola ad Romanos* primo loco collocetur, cum eam præceſſerint aliæ: ubi inter reſponſiones cum re omnino convenientiſſimæ videntur, quod fidem ibi *Paulus*, quæ caput ſit ac fundamentum Chriſtianiſmi, maxime commendet atque inculcet, quodque Roma caput terrarum fuerit; cur ſervum ſe Jeſu Chriſti primo loco nuncupet; an *Paulus* æqualem cum aliis Chriſti legatis poteſtatem, atque etiam æqualem *Petro* dignitatem, habuerit: ubi temere ſe Autor angit, ac tangit omnia, ut neſcio quem principatum *Petro*, vel invitis ſanctiſſimarum literarum monumentis, tribuat. Miramur profecto, ficulneis adeo doctiſſimum Virum hic argumentis niti potuiſſe. Quid enim minorem poteſt veriſimilitudinem præ ſe ferre, quam quod cauſas indicaturus, cur Sigilla Pontificiorum Diplomatum *Paulum* a dextris exhibeant quaſi digniori loco, illam etiam miſcere non veretur, quod *Paulus* fuerit ex tribu Benjamin, quem filium dextræ interpretantur, quodque, cum *Paulus* gentium Apoſtolus, *Petrus* vero Judæorum, ſit conſtitutus, eo *Pauli* honor referatur, ut intelligamus, gentiles Judaico populo præferri. His ſimilia ſunt multa, quibus non immorabimur, ad argumenta potius uniuſcujusque *Epiſtolæ* ſingulatim progreſſuri. Hic non generalis ſolum integrarum *Epiſtolarum*, verum etiam peculiaris *Capitum*, conſideratio fieri ſolet. Dividit, & jure quidem, *Epiſtolas* in *partem dogmaticam* atque *ethicam*. Inde argumentum *Epiſtolæ ad Romanos* hæc inter alia continet: *Divus Paulus, abſente tum paſtore ordinario* (*Petro* in Britanniam profecto), *de perículoſo ſchiſmate certior redditus, hanc ſcripſit Epiſtolam. In prima Parte, quæ dogmatica eſt, & uſque ad* Caput 12 *excurrit, ejus intentio univerſim eo collimat, ut frænum injiciat temerariæ Judæorum ac Romanorum arrogantiæ, oſtendendo,* Pag. 20.

& hos

hos & illos in profundam immanium flagitiorum abyſſum ruiſſe præcipites, unde ſola Jeſu Chriſti miſeratione & clementia ere ti ſurrexerint, per opera legis tam moralia, quam ceremonialia, ſolis naturæ legiſque viribus facta, Judæos minime juſtificari poſſe, neque iis ulla ratione permotum ſupremum Numen, ut eos ad ſui nominis agnitionem vocaret. Quod autem ad gentiles attinet, ſolide demonſtrat, neque eorum in ſpeciem præclare geſta plus valoris ac momenti habuiſſe ad promerendam eis gratiam juſtificantem, ſed omnes ſine diſcrimine eam conſecutos ſola Dei miſerentis benignitate ac fide in Jeſum Chriſtum. Paucis deinde interjectis pergit: *In poſteriore Epiſtolæ parte, quæ ethica eſt, fideles inſtruit, quales ſe exhibere debeant erga Deum, erga fratres ſuos, erga inimicos, erga principes, & erga ſemet ipſos. Abſolvit eam ſaluberrimis monitis circa uſum ciborum permiſſorum, aut vetitorum lege Moſaica, & celebrationem certarum ſolennitatum.* In argumento *Epiſtolæ ad Hebræos* cauſas ſimul perveſtigat Rev. Autor, cur nomen *Paulus* ſuum non præfixerit; quatuor potiſſimum allegans: quod Hebræis ſcriberet, qui ſiniſtram de eo ſententiam fovebant, quaſi nimis fervido perſecutore atque adverſario legis antiquæ, quos ideo adjecta nominis inſcriptione abſterrere noluerit a legendo; tum, quod *Paulus* non Hebræorum, ſed gentium, Apoſtolum ac magiſtrum ſe fuerit profeſſus, ideoque noluerit incipere Epiſtolam: *Paulus Apoſtolus*, verum ſine titulo potius nudam propoſuerit doctrinam; poſtea, quoniam *Chriſtum Dominum* appellaturus Apoſtolum Novi Teſtamenti, noluerit eundem ſibi titulum arrogare; ac tandem, quoniam tam longa ſit hæc *Epiſtola*, ut libro, quam Epiſtolæ, ſimilior omnino habeatur. Quam vero poſtremam rationem Autor ipſe minus validam eſſe profitetur. Examinanda nunc eſſet etiam præcipuorum oraculorum explicatio, ſed, ſi quis Auorem noverit, & cujus ſectæ ſe profiteatur fautorem, quos fuerit duces ſecutus, & quomodo rationes inierit ſuas, facile conjiciet. Negari quidem non poteſt, multis ipſum in locis ſatis videri ſincerum. Fallimur?

ſimur? An huc præ ceteris ſpectat, quod in *Epiſtola ad Galatas Capite II commate 14* vituperari a *Paulo Petrum* agnoſcat, atque etiam *commate 16 unam* Jeſu Chriſti fidem commemoret, quod tamen vocabulum tantos olim Pontificiorum in *Lutherum* furores concitavit. Secus autem ſe res habet cum plurimis aliis locis. Sic *ad Romanos III, 22*, explicat: *Hae porro juſtitia, quæ a Deo venit, hominesque, quibus infunditur, Deo ſimiles reddit*, &c. Ubi nos quidem *habitum* iſtum, quem barbare vocant *infuſum*, vix per ſomnium quærendum eſſe putaverimus. Verba enim Græca ſunt: δικαιοσύνη δὲ Θεȣ̃, διὰ πίςεως Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τȣ̀ς πιςεύοντας; ſcilicet non χέεται, ſed πλȣτεῖ εἰς πάντας, *Rom. X, 12*, ἀποκαλύπτεται, *Rom. I, 17*. Sic & *verſu 28* ſenſum illatum cum innato miſcet, ubi hæc leguntur: *Cenſemus enim, id quod re ipſa eſt veriſſimum, juſtificari hominem per fidem, nempe vivam, quin opera externa legis Moſaicæ aut pure naturalia ipſi meritum quoddam concilient*, &c. Neque minus *1 Cor. VII, 1 ſeq.* ad connubia jam inita male reſtringit: *Tametſi, ais, perquam laudabile & eximium quippiam ſit, omni prorſus abjecta conjugis conſuetudine, ea conſentiente, caſtimoniam perpetuo colere; ad evitandam tamen fornicationem, aliaſque libidinis ſordes, autor ſum vobis, ut ſuam quiſque uxorem, & proprium quæque fœmina virum, ad honeſtum conjugii uſum ſancte retineat.* Porro, quid, quæſumus, eſt adjectitium, ſi hæc non ſunt, quæ ad *1 Tim. III, 2*, interpretationis gratia leguntur: *Si, dum eligitur, jam matrimonii vinculo illigatus ſit, vel uxorem jam amiſerit, unicam tantum habuiſſe oportet, non viduam, aut ſucceſſive duas, quacum etiam poſt ſuſceptos ſacros ordines tanquam cum uxore ſibi cohabitandum, & ab omni conjugii uſu deinceps abſtinendum, noverit - - Uxorum pluralitas ſive ſucceſſiva, ſive ſimultanea, manifeſtum indicium eſt incontinentiæ, quæ perfectæ puritati e diametro opponitur, cum tamen iſta vel maxime refulgere debeat in eo, qui alios ad eam excitare debet tam exemplo, quam verbo.* Quam vellemus, ut ipſo nobis opere oſtenderent perfectam, & quam maxime quidem perfectam, qua ſuper-

Digitized by Google

ſuperbiunt, puritatem Pontificiorum antiſtites! Sed non minus cuperemus, ut & eruditiſſimus Autor, quæ *Capite* ſtatim ſequente *commate tertio Paulus* protulit, atque etiam, quibus finem ſanctiſſimis literis imponit *Joannes*, verba paulo ſaltem curioſius expendiſſet. Id enim ſi ubique feciſſet, plauſum profecto iſte labor calculumque omnium mereret.

DISCIPLINÆ MORALES OMNES, ETIAM eæ, quæ forma artis nondum comparuerunt, perpetuo nexu traditæ, Autore ISR. GOTTLIEB CANZIO, P. P. O.

Lipſiæ, apud Frid. Matth. Friſium, 1739, 8.
Alph. 4 plag. 4.

Utilitatis, munerisque publici, ratio Cel. Virum impulit, ut moralium diſciplinarum luculentum hoc Syſtema componeret, compoſitumque publica donaret luce. Cur tot diſciplinas, quas alii intactas reliquerunt, conſtituerit, fœtus unius membra ſatis multa, hanc ipſe cauſam expromit: *Tot in quoque rerum genere diſciplinas conſtituamus, neceſſe eſt, quot nempe rerum, ſcientiis objectarum, principes adinveniuntur reſpectus.* Æquitatis conſideratio genuit *Jurisprudentiam*, utilitatis ratio *Politicam* peperit. Juris ratio, per ſeſe ſpectata, genuit *Jus naturæ*. Cum vero homo ſimul ſit conformandus ad animi ſui tranquillitatem, & ceterorum ſalutem quærendam, *Ethica* Juri naturæ eſt adjicienda. Mores nemo recte format, niſi officiorum in Deum memor. Quare *Theologia naturalis practica* hic locum ſibi vindicavit. Hæc vero innititur theoreticæ, quæ cauſa fuit, cur *theoretica* hic haud exulet. Operæ pretium fecit Autor, dum de *fide naturali*, *idololatria*, & *ſuperſtitione*, diſtinctius expoſuit. Jurisprudentia, ad ſocietates applicata, peperit *Oeconomicam, conjugalem, paternam, herilem:* ad gentes applicata, progenuit *Juriſprudentiam gentium.* Societates majores, tum civiles, tum ſacræ, præbuerunt anſam cogitandi de *Juriſprudentia publica univerſali*, quam primus

in

in artis formam redegit Illuſtris *Juſtus Henningius Bœhmerus*; de *Juriſprudentia privata univerſali*, cujus lineas primus primas duxit Cel. *Griebnerus*; de *Juriſprudentia publica eccleſiaſtica univerſali*; de *Juriſprudentia eccleſiaſtica privata univerſali*. Has excipit *Juriſprudentia gentium*. Juriſprudentia autem poſitiva univerſalis divina, ſi qua eſt, quam in publicum protraxit *Chriſtianus Thomaſius*, ex ſacris literis magis, quam ex ratione, petenda videtur. Dedit tamen Autor ejus ideas, inſervientes judicio, quousque ea tradi plenius poſſit aut debeat. *Juriſprudentiam Chriſtianam poſitivam univerſalem*, quæ, quid omnes Chriſtiani omni loco, omni tempore, ex ſuo potius arbitrio, quam Dei præcepto, obſervandum duxerint, explanat, in deſideratis numerat; quam ex Hiſtoriæ eccleſiaſticæ fontibus perbelle, ſi cui arriſerit, derivari poſſe putat. Statuit porro *Jurisprudentiam Principum privatam*, & poſtea demum de *Oeconomica ſubditorum prudentia* egit. Subjunxit *Prepologiam*, generalibus nixam præceptis, quam alii ſpecialibus ſuſceperunt tractandam. Hic eſt Operis conſpectus, in quod confluxerunt ea, quæ *Grotius*, *Puffendorfius*, *Thomaſius*, *Gundlingius*, *Buddeus*, *Wolfius*, reliquique, docuerunt. Ubi duces nullos deprehendit, ex ſuo judicio ac ingenio diſſeruit. In Jure eccleſiaſtico evitavit *Hobbeſianiſmum*, *Papiſmum*, *Independentiſmum*. Conſcientiæ jura ſollicite ſecrevit a jure cultus publici. Subjunxit denique tot diſciplinis moralem Metaphyſicam, eandemque inter ordinariam illam reliquaſque morales ſcientias omnino mediam, & a nemine traditam. Huc enim haud ſpectant, quæ *Puffendorffius de ente morali* commentatus fuit. Decoro, Pag. 1278.
maxime ſociali, ſubjecit contrarium vitium, nempe *pedantiſmum*, qui decori ex neglectu emanat. In prooemiali tractatione expoſuit de liberis hominum actionibus, de obligatione, de lege naturali, de conſcientia. Libertas, ipſo judice, eſt facultas, ex pluribus, quæ ad eligendum propoſita, eligendi, non eligendi, eligendi hoc aut illud. Libertatem cœleſtem vocat, ubi omnis optio in propoſitorum 3.

Digitized by Google

Pag. 4. bonorum multitudine refertur ſemper ad optimum. Ab hac
libertas differt paradiſiaca regenitorum, & naturalis, ac
voluntas ſerva. Autor unam ab altera ſollicite ſecernit, adeo,
ut Theologi hinc facile ſint perſpecturi, Philoſophiam re-
centiorem nil moliri vel machinari in Theologiam revela-
tam. Nihilo minus ſingulares nobis videntur hæ propoſi-
tiones duæ. Una *pag.* 2 habetur: *Omne ſimplex habet vim*
agendi ſeu ſpontaneitatem. Altera *pag.* 23: *Alia humana eſt*
actio ſpontanea, quam quis ſciens & volens ſuſcipit, alia
2. *mixta, alia invita.* Neceſſitatem Autor ſtatuit triplicem,
metaphyſicam, cujus oppoſitum involvit idearum repu-
gnantiam, *phyſicam*, cujus oppoſitum in naturæ curſu in-
volvit repugnantiam, & *moralem*, quæ mores oppoſitos
reddit impoſſibiles, interdum inadmittibiles, vel ob le-
gem, vel ob evitandam quamlibet inconvenientiam, vel ob
affectum vehementiorem. Hæc rurſus ei eſt triplex, illa
neceſſitas juris, iſta *neceſſitas ſapientis*, rectius determinatio,
3. hæc *neceſſitas ethica.* Illa autem voluntas, quæ, quod in-
telligit, nulla neceſſitate, nec metaphyſica, nec phyſica,
nec ſemper morali, agit, dicitur libera, qualis eſt huma-
5. na. Addit Autor, actionem nullam ſine invitamento ſeu mo-
tivo ſuſcipi, propterea, quod nihil ſine ratione ſufficiente
fieri poſſit, quod axioma demonſtravit *Ontol. Civit. Dei* §.
61. Invitamenta illa exiſtimat eſſe ſic in anima, ut perci-
piantur ſeu diſtincte, ſeu confuſe, ceteroquin clare, ſeu
obſcure duntaxat. Exiſtunt enim in animo multa, quæ
ſenſionem noſtram fugiunt, *1 Cor. IV*, 4. Pergit ipſe ita:
Anima etſi libere agat, tamen non ſine motivo agit. Inde
definitio: Determinatio moralis eſt, qua quærenti, an &
cur Titius in poſterum ſic aut aliter ſit acturus, vel a te, vel
ab omniſcio, reſponſio unica completa, ex certis motivis, Ti-
tio obverſantibus, iiſdemque in toto complexu ſpectatis, peti
poteſt. Actiones igitur morales ſunt determinatæ; neceſſa-
riæ non ſunt. Homo ſenſu compoſito, ſi voluntas cum omni
externo & interno ſpectetur motivo, tum neceſſario agit: &
tamen, ſenſu diviſo, manet libera. Quodlibet enim, ſenſu
com-

Digitized by Google

compoſito, dum ita eſt, ſeu exiſtit, neceſſario ita exiſtit. Aliter id poſſet, dum ita eſt, ſimul ita non eſſe. Quæ eſt idearum repugnantia. Ex hac obſervatione ſubvertit *Collini* ob- Pag. 6.
jectiones, quibus hic libertatem hominis ivit oppugnatum. Removet deinde ejuſdem argumentum, a præſcientia Dei falli neſcia petitum, ſiquidem præſcientia res, ut ſunt, ſupponit, haud ſubjicit neceſſitati. *Collini* argumentum, a con- 7.
curſu Dei, qui omnibus præſtatur rebus, deſumtum, ita elidit: *Deus concurrit ad vim agendi, non ad virium agendi limites.* De *indifferentia æquilibrii* ita exponit: *Ipſa appel-* 9.
latur ille ſtatus, cum anima vel nulla in partem ex pluribus ullam, vel certe quidem perfecte æqualia, motiva habet, quæ ſecum invicem compenſata perinde habent, ac ſi exiſterent neutra: ut ſi perinde ſit, ſive æqualia perfecte, ſive nulla, libræ pondera imponas. Cum fieri non poſſit, ut anima in eligendo plane nullis ducatur motivis, & vero indifferentia æquilibrii omnis vel nulla motiva admittit, vel aliquid, quod perinde eſt, ac ſi admitteret nulla, conſequitur, animæ libertatem ex indifferentia æquilibrii agere nunquam.
Hiſce delibatis, ediſſerit doctrinam de imputatione, eamque 10.
quadrifariam poſſe incidere docet. *Perfectio* ex ejus mente eſt *communitas, qua plura* (poſitiva) *conſtituunt unum.* Et eam ob cauſam *ſtatus hominis ille eſt perfectus, ſi mutabilia, quibus afficitur, conformantur iis, quæ conſtanter inſunt,* id eſt, *naturæ animi & corporis. Hoc ſi fiat, natura corporis & animi non impugnatur mutabilibus iſtis.* Ex hac notio- 11.
ne fluunt deinde fœcundæ multæque concluſiones. Inde definitiones deſumtæ actionum tum bonarum, tum malarum. *Actio libera* enim, quouſque conſervationi conducit, *bona* ſeu *honeſta* dicitur; quæ eidem repugnat, *mala* ſeu *turpis.* Ex doctrina de obligatione nonnihil decerpendum ob eos, qui hic ſunt ſcrupuloſi, aut ſecus ſentiunt. Nam, obliga- 14 ſeq.
tionem dari, licet ſuperiorem, a quo pendeas, haud credas conſtitutum, arbitratur Autor. Novimus, quid celeberrimi viri hic notandum exiſtimaverint. Dabimus verba ipſa: *Obligatio, generali ſenſu, eſt neceſſitas moralis, ad aliquid*

Digitized by Google

agendum libere vel patiendum. Ejuſmodi neceſſitas aliquid agendi, cujus oppoſitum certa quædam, a ſapiente non admittenda, inconvenientia eſt, in ipſum quoque Deum cadit. Ita fieri non poteſt, quin Deus fidem adſtrictam liberet; nec enim a ſe ipſo deſciſcere poteſt, teſte Paulo 2 Tim. II, 13. *Quare ad fidem præſtandam, etſi non nobis, certe tamen ſibi, aut ſuæ ſapientiæ, non obligatur. Cum in obligatione omni, generatim accepta, ſtudium devitandi quandam inconvenientiam ita nos agere jubeat, ſequitur, repræſentationem ejus declinandæ inconvenientiæ eſſe volentis animæ motivum. Omnis igitur obligatio connectit cum actione motivum. Non eſt igitur cauſa quippiam, quamobrem hanc definitionem reſpuamus. In obligationis igitur, per ſe generatim ſpectatæ, idea nondum requiritur ſuperioris, qui autoritatem habet, notio. Scio,* Puffendorfium *aliter docere* de O. H. & C. Lib.
Pag. 15. I Cap. 2 §. 5. *Non jam argumento theologico agam, dari obligationem ſine ſuperiore. Nam Pater in divinis cum filio agit de redimendo genere humano. Accedit ſimplici decreto majus vinculum, id eſt, obligatio. Nec tamen illa obligatio, filius ut patre inferior ſit, aut viciſſim, efficit. Sed mittam hoc. Secundum* Puffendorfii *ſententiam datur juſtitia cauſæ, ordine rationis, antequam ſuperior concipi poſſit. Jam vero ita argumentamur: Aut eo, quod juſtum eſt, homines obligantur, aut non obligantur. Si eo, quod eſt juſtum, obligari homines dixeris, tum datur obligatio, antequam ſuperior ſit conſtitutus: id quod nos probare contendimus. Si illis juſtis cauſis, quas, qui ſuperior eſſe vult, demonſtrat, homines non obligari dixeris; tum nemo, ne juſtis quidem cauſis, ad imperantem obſequio venerandum devincitur: quod abſurdum.* Ita ex ipſo
16. *Puffendorſio* patet obligatio objectiva. Diſtinguit Autor deinde obligationem in *naturalem* & *formalem*, quarum illa habet motiva nulla alia, ac ea, quæ ex actionum ipſarum & agentium ipſorum indole petita ſunt; quoniam oppoſita agendi ratio neceſſario neceſſitatis ſcopo eſt inconveniens. Hanc eſſe perhibet eam, quæ aut, præter hæc motiva motivum autoritatis, a ſuperiore, quæ interponitur, addit, aut vero ſola hac autoritate nititur. Prior eſt *rationalis*,

quæ

Digitized by Google

quæ motivis ſimul inſtructa & autoritate ſuperioris; poſterior, quæ ſola ſuperioris autoritate nititur, *arbitraria.* Diſpeſcit obligationem *formalem* porro in divinam & humanam; naturalem vero diſpeſcit in *rigidam* & *liberalem.* Lex, ipſo judice, *eſt regula actionum liberarum, quæ inducit obligationem rigidam*, cum conſilium inferat tantummodo *liberalem.* Actiones vere *indifferentes* non admittit, Pag. 18.
ratus tamen, dari tales ob finitam cognitionem noſtram tum *in concreto*, tum reſpectu omnis cognitionis humanæ, tum evangelice, & philoſophice. *Jus* ipſi eſt facultas, quæ 21.
exigere valet, ut neceſſitas moralis expleatur. *Legem na-* 26.
turalem vocat eam, quæ voluntati & vitæ hominum regulam, ex *cauſa, natura, fine*, & *perpetua harmonia*, actionum ſuſcipiendarum, & ipſorum agentium, præſcribat. Quadru- 27.
plex illa regula ſic habet: 1) *agnoſce omnium cauſam Deum*, 2) fac, ut actiones tuæ cum conſervatione tui & omnium reliquorum conſentiat, 4) noli hodie deſtruere, quæ heri adſtruxeras. Generale legis naturæ axioma & principium primum ſtabilit hocce: *Ex pluribus honeſtis, quæ ſunt in tua* 28.
poteſtate, fac id, quod honeſtate cetera antecellit. Stabilitum inde it, legem naturæ verſari circa honeſtum per ſe, ideoque eſſe immutabilem, additque, eam eſſe divinam, & a Deo conſtitutam. Admittit præterea, dari ſæpius fata, quæ actio- 30.
nes liberas naturali nexu non ſequantur. Quo ipſo remunerationes pœnaſque Dei poſitivas comprobat, licet ex plerumque miraculo careant. Quæritur, an athei legibus naturæ teneantur. En Autoris ſententiam: *In lege naturæ,* 31 ſeq.
quatenus ſimul divina eſt, duplex ineſt obligatio, naturalis altera, altera divina. Unde conſequitur, atheum, licet divinam obligationem turpiter, nec ſine graviſſima culpa, ſpernat, duci tamen præter illam adhuc debere obligatione hujus legis naturali, cum, quod hæc lex inculcat vel prohibet, per ſe vel ad conſervationem hominis, vel ad ejuſdem perniciem, faciat. Ipſe deinceps diſquirit, quomodo lex naturæ homini inſcripta dici poſſit. Moralitatem objectivam comprobat & vindicat. Ex principio illo: *fac, quod honeſtate* 34.

Digitized by Google

Pag. 35. *præſtat*, deducit amplificationem ſalutis ſocietatum. Licet
vero lex naturæ ſit immutabilis; concluſiones tamen inde
derivatæ ſunt modo immutabiles, modo mutabiles, prout
lex applicatur ad determinationes facti vel eſſentiales, vel ac-
36. cidentales. Doctrinam de conſcientia ita exponit, ut ſoli-
dius alibi demonſtratam haud facile inventurus ſis. Placue-
39. runt hæ propoſitiones: *Dolorem, peccatorum magnitudini*
exacte reſpondentem, concipere nemo poteſt, niſi qui infinite
peccati conſectaria, per orbem diffuſa, & a ſe genita, perſpi-
ciat, & ei perſpicientiæ æqualem animo foveat pœnitentiam.
Quod cum nemo, ne regenitorum quidem ullus, teſte expe-
rientia, ob carnis & finitæ naturæ imbecillitatem, faciat, nec
facere poſſit; nemo quoque tantum dolere poteſt, quantum ad
40. *reſcindenda morali diſſenſu peccata requiritur.* Ex quo
dogmate confirmat neceſſitatem ſatisfactionis Chriſti, & æter-
nitatem infernalium pœnarum. Conſcientiam erroneam ho-
44. mini inferre obligationem, ſolide inficiatur. Errorem in-
eſſe in propoſitione minori intra ſyllogiſmum conſcientia-
rium, oſtendit, & eum haud eſſe præditum vi obligandi.
45. Error ille eſt vel facti, vel juris, aut evitabilis, aut inevitabi-
lis. Errores hi poſſunt expendi vel reſpectu Dei, vel reſpe-
ctu hominum. Reſpectu poſteriori perpenſus poteſt eſſe
tam craſſus legique naturæ repugnans, ut in republica haud
50. ſit tolerandus. Huc ſpectant atheiſmus, epicureiſmus, ido-
51. lolatria. Contendit Autor poſthæc, imperantibus nihil eſſe
poteſtatis in errores, adverſus revelatas veritates commiſ-
ſos. Digna ſunt legi ea, quæ de conſcientia erronea longe
53. lateque executus fuit idem, haud alibi facile obvia. *Conſcien-*
tiam dubiam eſſe judicium de actione nondum perficien-
da, ideoque hoc nomine eſſe dignam, monet contra *Chri-*
ſtianum Thomaſium. Expoſitionem de conſcientia certa, pro-
babili, improbabili, ita concludit: *De conſcientia certa unum*
56. *habeo, in laudem Theologiæ Chriſtianæ quod dicam. Exiſtimo,*
conſcientiam plene certam ſine fide hominis, in cruento merito
Chriſti poſita, minime dari. Hæc ex Proœmio decerpſimus,
eorum in gratiam, qui Philoſophiam recentiorem aliquid
mon-

Digitized by Google

monſtri alere, ſibi & aliis perſuadent. Progredimur ad reli-
qua. Jurisprudentiam naturalem Autor exponit per duos gra-
dus, primum, ne lædas alterum, alterum, ut ames & benefa-
cias. Primi illa determinat officia: 1) Satisfac læſo, 2) te ipſe
defende, 3) agnoſce omnium æqualitatem. Secundi hæc: 1)
Eſto amans alterius, eique beneficus, 2) ſervato pacta, 3) Pag. 86.
ſtudium aliis inſerviendi augeto in dies. Legem Aqui- 68.
liam, *ut ſervus dedatur noxæ*, ipſe credit a ratione videri
alienam; quare ejus abſurditatem oſtendit copioſe. Ne
lædamus inimicos, ſolide præcipit ex præcepto Juris natu- 73.
ræ, ratus, licere vitam tueri cum nece aggreſſoris, niſi hic
ſit magiſtratus noſter; licere pudicitiam tueri cum nece ſtu-
pratoris; non licere honorem defendere cum nece calumnia-
toris. Cauſam agit fratrum, quorum hiſtoria legitur *2* 77.
Macc. VII, 1 ſeq. Neceſſitatem carere legibus, negat. Quin
potius jus neceſſitatis ſtatuit peculiare, in eo conſiſtens, ut,
urgentibus duobus malis, altero majore, altero minore, ſed
vere tali, & a quo majus per ſe, non per accidens, excludi-
tur, eligere liceat minus. Officia æqualitatis egregie exponit.
Mendacium definit per ſermonem haud veritati congruum,
alteri nocentem. Refellit *Puffendorſium*, qui docuit, jura- 99.
menta pactis per ſeſe invalidis, vel metu injuſto extortis,
haud inducere novam obligationem; licet id largiatur, jus-
jurandum, de re impoſſibili & illicita præſtitum, obligationis
robore deſtitui. Primum ſermonem protoplaſtis eſſe infu-
ſum, oſtendit. Hæreticum poſſe dici bifariam, docet, prouti 108.
vel ad Deum, vel ad rem publicam, reſpicitur. Fidem hære-
tico datam eſſe utique ſervandam, comprobat idoneis argu-
mentis. Quantum error ad vim pactorum reddendam irri- 112.
tam valeat, explicat luculentius. Quid dolus & metus va- 117.
leant in pactis, ſolide demonſtrat. Cœlites ipſos creſcere
perfectionibus, damnatos in inferis augere perpetuo imper-
fectiones ſuas, late exponit. In Theologia naturali theore- 141 ſeq.
tica, exiſtere Numen ſummum, demonſtrat per dogma,
ex mea & mundi contingentia deſumtum. Qui principium
rationis ſufficientis deſerunt, ii, Numen id exiſtere, ne-
queunt

Digitized by Google

Pag. 148. queunt ſolide demonſtrare. Argumento novo Autor oſtendit contingentiam omnium hujus mundi partium. *Spinoziſmum* egregie proſternit, qui id habet incommodi, ut tradat, competere poſſe uni enti, ſeu uni ſubſtantiæ, omnia,
151. quæ percipimus, tanquam varias affectiones. Alterius argumenti, pro Numinis exiſtentia allati, hoc nititur nervo & capite: *Quicquid vel in nobis, vel extra nos, ſentimus, refertur ad hæc ſequentia: ad vim cogitandi, volendi, nolendi, operandi, & denique ad extenſionem.* Unde oſtendit, complexum omnium perfectionum una poſſibilium in ente aliquo exiſtere. Præterea exſolvit tria ſophiſmata *Spinozæ.* Ut demonſtret, Deum eſſe ens ſimplex, demonſtrat prius,
157. eum haud *compoſitam* eſſe ſubſtantiam. Ex ſimplicitate Dei evincit, Deum cerni non poſſe oculis corporis. *Æternum* dicit id, quod, quæ habet, ſimul habet, ſine omni ſucces-
158. ſione. Recordamur hic Cel. *Chriſt. Sam. Hollmanni*, qui nuper in æternitatem Dei tentavit ſucceſſionem & puncto-
159. rum præterlabentium differentiam introducere. *Tempus*
163. *æternum* definit Cel. *Cantzius*, an detur, non decidit. Doctrinam de præſentia & omnipræſentia ſuam repetiit. *Juſtitiam* ex ſtudio benignitatis & ſapientia conformat, & hanc notionem ipſa damnatorum pœna ſempiterna illuſtrat. Philoſophiam recentiorem a fato nuper excogitato abſolvit *pag.*
176 ſeq. *174.* Operationes Dei immediatas non tantum admittit, ſed ſolide etiam demonſtrat, adeo, ut etiam conſervationem mundi & concurſum Dei tum in regno naturæ, tum in regno gratiæ, habeat pro operatione immediata. Sed de his jam ſatis. Perplacuit Jus privatum univerſale, alienum
582. quippe & ab Hobbeſianiſmo & a Monarchomachia. Arriſit Jurisprudentia ſocialis eccleſiaſtica, diſciplina prorſus no-
733. va. Placuere & reliqua. Sed jam vela contrahimus, diductam & perpetuam Cel. Autori incolumitatem comprecati.

HISTOIRE DE FRANCOIS EUGENE, &c.

hoc eſt,

HISTORIA PRINCIPIS SABAUDIÆ ET PE

demon-

Digitized by Google

*demontii, Marchionis Salucini, primarii olim Ducis rebus bellicis Imperatoris præſidere juſſi, Status Adminiſtri primi, Conſilii bellici Præſidis, Gubernatoris ac Legati generalis per Belgium Auſtriacum, Equitis ab Ordine Aurei Velleris cognominati, &c. adornata a Domino L. C. D. C***.*

Tomi II.

Londini, ſumtibus Societatis, 1739, 8.

Tom. I plag. 16, Tom. II plag. 14.

Quantus exſtiterit Princeps *Franciſcus Eugenius*, qui *Leopoldo*, *Joſepho*, ac *Carolo ſexto*, Imperatoribus laude omni ſuperioribus, operam ſuam ſaluberrimam addixerat, norunt ii etiam, qui Indum & Gangem bibunt, ac remotiſſima orbis terrarum loca & ſecula attingunt. Autoris eam ob cauſam deſtinatio ita tulit merito, ut vitam daret tanti Herois, nunquam non maximi ſummique, momentis quidem ſingulis hiſtoricis haud prægravatam, nihil non tamen eorum complexam, quæ ad ſummam rei quodammodo videntur pertinere, exorſus ab obſidione Vindobonenſi anni 1683, ac inde ad obitum ejus tractationem perſecutus. Nimirum rebus permultis ipſe interfuit, plurimas ab eis accepit, quibus eas inſpicere & coram conſiderare licuit, atque, quod majus eſt, eum tenuit locum in amicitia Principis ipſius, ut complura rectius propiusque noſſe potuerit. Noſtrum erit, potiora duntaxat delibare. Princeps, A. 1663 d. 18 Oct. natus, ſeptennis inſtitutioni Doctoris Sorbonici fuit demandatus. Patrem, decem vix natus annos, amiſit. Ex eo tempore bellicæ ſeſe tradidit vitæ. Primum Regi Galliarum *Ludovico XIV* operam obtulit ſuam, ſed fruſtra. Dominus enim *Louvois*, Status publici Galliarum adminiſter, ei haud favit. Odia, quibus *Olympia Mancini*, ejus mater, in Pariſienſi aula fuit exercita, & quibus ipſa tandem ſuccubuit, perſenſit omnium optime, in Belgium cum matre eapropter ſecedens. Et hæc fuit occaſio & invitamentum illud, cur Principes *Ludovicus Thomas*, *Ludovicus Julius*, & *Franciſcus*

[Margin: Tom. I pag. 2. — 4. — 7.]

Digitized by Google

ciſcus Eugenius, alius poſt alium, munia bellica obire aggre-
Pag. 9. derentur, Imperatoris in uſum conſecrata. *Ludovico Julio*,
fratri demortuo, ſucceſſit mature in munere illo *Eugenius*,
16. quo menſuram implevit chiliarchæ. Quid obſeſſam & ex-
pugnatam Budam memoremus? *Eugenius*, geſtis hic præ-
clare rebus, peditatus præfecturam vicariam ſuſcepit.
18. A. 1687 Venetias menſe Januario abiit, ludos ſpectatum,
Principibuſque ibi præſentibus ſeſe approbatum. Rebus ad
Eſſecium feliciter geſtis, ductor campi vicarius fuit renun-
tiatus. Inde ab A. 1688, cum Dux Lotharingiæ ac Elector
Bavarorum ad Rhenum cum copiarum Imperatoriarum parte
feſtinarent, Princeps *Ludovicus* Badenſis cum *Eugenio* in
25. Hungaria Turcis manſit oppoſitus. A. 1689 Ducem Sa-
baudiæ in fœdus cum Imperatore pertraxit. A. 1690 copiis
Sabaudicis partem Cæſarearum junxit, ac Sabaudiam a copiis
Gallorum liberavit. In Delphinatum A. 1692 impreſſio-
nem fecit. Licet vero ipſe Ducem Sabaudiæ multis emolu-
mentis eſſet ditaturus; hic tamen blandis Gallorum promiſ-
ſionibus ſenſim captus A. 1696, & cum Gallis inducias pa-
37. cemque pactus, deſeruit fœderatos. Gallus *Eugenio* noſtro
promiſit præfecturam ſummam Campaniæ, cui pater præ-
fuerat, Mareſchalli dignitatem, ac 20000 librarum Gallica-
rum penſionem annuam, ſi Imperatorem ſequi, eique ope-
ram ſuam præſtare, omitteret. At fruſtra. *Eugenius* rediit in
Hungariam, & adverſus Turcos bellum gerere haud ceſſavit.
64. Memorabiles ſunt *Eugenii* ad *Leopoldum* Imperatorem literæ,
quibus prælium ad Zentam depugnatum ad vivum delinea-
tur. Mirum ſane, expeditionem tam felicem a Comite *Ca-*
70. *prara* minus benigne expoſitam fuiſſe *Leopoldo*. Laudan-
73. dum contra reſponſum Imperatoris, qui Principem *Fran-*
ciſcum Eugenium ab omni temeritate abſolvit. Termina-
tum fuit bellum Turcicum A. 1699 d. 26 Jan. pace ad 25 an-
nos inita. Paulo ante Princeps *Ludovicus* Badenſis cœpit in
aula Imperatoris fieri minoris, eo quod Principibus, nono
74. Electoratui adverſantibus, aures daret. Ut valeret ejus au-
toritas denuo, operæ nulli feliciter pepercit *Eugenius*. De

eis,

Digitized by Google

eis, quæ ſucceſſioni Hiſpanicæ ſunt conjunctiſſima, protulit ea Autor, quæ non ſolum ſunt veritati conſentanea, ſed etiam alibi paſſim enarrantur, ac ideo jam a nobis videntur
omittenda. Admirationem poſteritatis meretur artificium Pag. 21.
illud, quo *Eugenius* A. 1701 tormenta ac exercitum Imperatorium per Alpes tranſportavit ac traduxit. In delineando bello Italico, Bavarico, ac Belgico, a Seculi exordiis ad pacem uſque Badenſem ducto, Autor omne adhibuit veritatis ſtudium, omnem diligentiæ vim & conatum. Literæ Mareſchalli Gallici, a *Villa regia* (Villeroi) dicti, ad Pur-
puratum *d'Etrées* datæ Venetias, exponunt heroicum *Euge-* 165.
nii in Cremonam ſtratagema. Ducis *Marlborugii* Epiſtola, ad Ordines Belgii fœderati miſſa, haud minoris eſt momenti, ſiquidem in ea exponitur prælium, A. 1704 d. 2 Julii ad Schellenbergum, ac d. 13 Aug. ad loca Hochſtadio vicina com-
miſſum. Poſteriori prælio feliciter depugnando præcipuum 164.
addiderant momentum copiæ Regis Boruſſorum, id quod dilaudare haud omiſit Princeps *Eugenius* in literis, ad Regem d. 16 Aug. datis, quas hic inſertas eſſe, ſignificandum exiſtima-
mus. Monumentum, in quo victoria illa inſcripta fuit, 167.
Hochſtadii erectum fuiſſe, conſtat. Id quod Autor hic denuo exhibuit legendum *pag. 170 ſeq.* Literis *Eugenii*, ad Cæſarem *Joſephum* A. 1705 d. 16 Auguſti datis, edocetur Lector ea, quæ in prælio Caſſanenſi contigerunt. Prætermittimus Epiſtolas alias, quibus, tanquam tot gemmis, exornatus eſt hic Commentarius. *Liber prior* in fine anni 1707 ſubſiſtit. Reliqua, quæ inde ad *Eugenii* mortem fuerunt geſta publice, continentur *Libro poſteriori*. Obiit Heros tantus A. 1736, nocte illa, quæ Aprilis dies 20 & 21 diſpertitur. Qui bella, Imperatoris juſſu geſta, atque cauſas, eis junctas, legere avent, hic invenient affatim deliciarum, quibus famem poſſint propulſare. Noſtrum eſt, prædicare accuratam tractationis rationem, qua nihil fuit in lucem protractum, quam quod publice proficiat ſcire, ac rebus Principis
Franciſci Eugenii propius pernoſcendis poſſit inſervire. Li- 190.
teræ *Eugenii*, *Marlborugii*, ſummi Turcorum Imperatoris

bellici, ac aliorum, paſſim inſertæ, Opus reddunt & eximium & commendabile. Delectant bellorum origines accuratius perſcriptæ, momenta fœderum perſpicue delineata, rationes tranſactionum, induciarum, ac pacis non unius. Anecdota autem domeſtica hic haud ſunt quærenda.

D. GUIDONIS GRANDI, IN PISANA ACAdemia Matheſeos Profeſſoris, & S Michaelis in Burgo Abbatis, Epiſtola de Pandectis, ad Cl. Virum JOSEPHUM AVERANIUM, in eadem Academia Juris interpretem celeberrimum. Editio altera, Notis variis, & Appendice veterum monumentorum, ab Autore locupletata. Cum Indicibus neceſſariis.

Florentiæ, typis Regiæ Celſitudinis, apud Tartinium & Franchium, 1727, 4.

Plag. 20.

Ad hiſtoriam Pandectarum *Juſtiniani* hæc ſpectat Epiſtola. Cel. enim Autor, dum tabularium Monaſterii ſui perquiſivit, in *Judicati* cujuſdam paginam forte fortuna incidit, quæ Cel. Viri, *Henrici Brencmanni*, ſententiam, de non recepto apud Piſanos ante Seculi XIII finem Pandectarum jure, labefactare videbatur.
Pag. 6. Dabimus ea Autoris argumenta, quibus, Pandectas Piſanis prius jam innotuiſſe, evinci poteſt. En unum. Lata eſt judicialis Piſarum in oppido ſententia A. 1193 d. 17 Cal. Febr. ab arbitris publicis, in qua laudatur & *Interdictum de cloacis*, quod habetur *Dig. Lib. XLIII Tit. 23*, & *triticaria condictio*, ibidem contenta *Lib. XIII Tit. 3*, & præcipue *lex ultima de aqua pluvia arcenda*, quam ex *Lib. XXXIX Tit. 3* pro ſeſe citavit Syndicus S. Michaelis Monaſterii, adverſario, vim legis a Piſanis fuiſſe receptam, haud inficiante. En alterum: Ad marginem vetuſti *Statutorum* Piſanorum codicis, qui inſcribitur *Commune legis & uſus*, citantur Digeſta, e quibus afferuntur
10. in illis particulæ. Conſtitutiones autem illæ, in quibus decerpta e Digeſtis ſeſe offerunt, maximam partem Seculo XII fuerunt conceptæ. Accedit, quod *Donatus Antonius Aſtenſis* do-

Digitized by Google

docet, leges Digeſtorum ante Amalfitanam direptionem
per Italiam & Imperium occidentale paſſim jam fuiſſe rece-
ptas, atque in uſum traductas. Pandectas Seculo XII fere
medio jam commemoravit *Petrus Blæſenſis Ep. 140.* *Ivo*
Carnotenſis jam *Ep. 99* leges Pandectarum quaſdam laudavit.
In Farfenſibus Placitis, ſub *Ottone III* confirmatis, jam fit Pag. 12.
mentio *Legum Juſtiniani*. Concilium Ticinenſe, A. 1022 ce-
lebratum, meminit Conſtitutionis *Juſtiniani de Adſcriptitiis*
colonis. In Edicto *Henrici I* Imperatoris, ibi inſerto, in-
jicitur mentio Conſtitutionis, quæ habetur in *Novella 123*
Cap. 15, ſeu in *Codice Lib. I Tit. 3.* *Ludovicus Pius*, ut 15.
antiquiora ne omittamus, *lege 55* ſanxit, *ut omnis ordo Ec-*
cleſiarum lege Romana viveret, & ſic inquirerentur & defen-
derentur res eccleſiaſticæ. Idem inſtitutum jam antea uſu
fuiſſe tritum, patet ex lege 100 *Liutprandi*, Regis Langobar-
dorum. Chronicon *Sigeberti Gemblacenſis* in Auctario *Ro-*
berti Montenſis ad A. 1032 ſic habet: *Lanfrancus Papienſis, &* 18.
Garnerius, ſocius ejus, repertis apud Bononiam Legibus Ro-
manis Juſtiniani Imperatoris, operam dederunt eas legere, &
aliis exponere. Conjectat Noſter, *Irnerium* ſeu *Warnerium* 19.
latere in *Garnerio* illo. Unde colligit, inventionem Pan-
dectarum ad Bononiam ac Seculum XI initum referri de-
bere. *Lanfrancus* ille, *Ivonis Carnotenſis* præceptor, tan-
dem evaſit Archiepiſcopus Cantuarienſis. *Irnerius* ſeu *Garne-*
rius potuit ad *Mathildis* Marchioniſſæ ætatem, provectam
ſatis, in vivis ſupereſſe. At, *Lotharii Saxonis* Imperatoris
ætatem eum adtigiſſe, negat Noſter. Amalfitanam Pan- 21.
dectarum inventionem fabulis accenſet, eo quod illam nul-
lus ſcriptor ætate ſuppar indicaverit. Pandectarum Piſana-
rum originem conjectat deberi civi ac judici Piſano *Joanni*
Burgundio, celeberrimo Jureconſulto, bis ad minimum
Conſtantinopolin ad fungendum legatione miſſo, nempe
ad annos 1145 & 1172. Fabulam de origine Amalfitanæ
Pandectarum inventionis ſic expedit. In *Chronico Richardi* 26.
de S. Germano ad A. 1231 legi notat menſe Junio, *Conſtitu-*
tiones novas, quæ Auguſtales dicuntur, apud Melphiam, Au-

guſto mandante, *condi*, ac paulo inferius ad menſem Augu-
Pag. 32. ſtum, *Conſtitutiones imperiales Melphiæ publicari.* At Melphia differt ab Amalfi, ac municipalia Statuta differunt a legibus publicis. Quæ adverſus *Brencmannum* copioſe affert Noſter, maximam partem ut omittere debeamus, in cauſa eſt noſtri ratio inſtituti. Epiſtolam hanc, ad *Averanium* datam, ab Autore conſcriptam fuiſſe A. 1723 Cal. Octobr., id quidem diſcimus ex *pag. 36.* Epiſtolam excipiunt Notæ uberiores, quibus loca Epiſtolæ haud una, feliciter demonſtran-
41 ſeq. tur ſuis inſiſtere rationibus, eisque ſat firmis. Enotabimus inde monumentum unum & alterum. Jus Romanum a Gothis in Italia haud fuiſſe abrogatum, plane oſtendit *Gran-*
47. *dius.* Idem a Carolingis ſervatum, addit. Credit, *Gratiano* ac *Ivoni Carnotenſi* laciniam Digeſtorum innotuiſſe, non Digeſtorum molem univerſam, eo quod ille leges haud alias ex Digeſtis nominet, quam quæ ad materiam *Appellationum & Accuſationum* pertinent, hic vero nil, niſi quod
48. in Titulo *de Sponſalibus* exſtat, affert. *Pandecten* veteres vocaſſe Biblia univerſa, *Bedæ*, *Caſſiodori*, aliorumque, teſtimoniis reddit combrobatum. Laudat locum *Agobardi*, Lugdunenſis ab A. 816 Archiepiſcopi, qui, in libro *de Diſpenſatione eccleſiaſticarum rerum Cap. 18* furtum de publico ærario inter majores reatus enumerans, ait: *quod & Leges*
49. *ſeculi ſacrilegium vocaverunt.* Credit Autor, deſignari *l. 9 Dig. ad leg. Juliam peculatus.* Conſtitutionem ſeu reformationem Monaſteriorum Cluniacenſem non ſoli *Hugoni* Abbati deberi, ſed ad *Romualdum* quoque eſſe referendam,
58. docet. Memoratu etiam eſt dignum, *Nicolaum II* Papam A. 1060 in controverſia Farfenſis Abbatis ſententiam protuliſſe ſecundum *Juſtiniani legem 1 C. Quorum appellationes.* Conſtat id ex *Muratorii Tom. II P. II rer. Ital. pag. 589.* Memorabilius vero, Autori tandem videri vero diſſimile, *Garnerium*, *Lanfranci* ad A. 1032 Comitem Bononienſem, eundem exſtitiſſe ac *Irnerium*, præceptorem Bononienſem &
64. *Bulgari*, & *Martini*, & *Hugonis*, & *Hugonis Doctoris.* Anno tamen 1158 jam deſierat vivere *Guarnerius* ſeu *Irnerius* ille

Digitized by Google

ille ob locum *Ottonis Morena* ad A. 1158. Cur vero ante Pag. 65.
Irnerium ſcripſerit nemo Commentarios in Jus civile Romanum, id Ven. Autor exinde deducit, quod *Juſtinianus* vetuerit, Commentarios ne quis legibus ipſius annecteret, in *Conſtit. Tanta C. de vet. jur. enucl.* ac in *Conſtit. Deo autore eod. Tit.* quæ & Digeſtis præmittitur. *Lanfrancus*, *Garnerius*, & *Pepo*, ante *Irnerium* voce duntaxat leges explicarunt, haud vero gloſſis commentariisve. Suſpicatur porro, *Gual-* 67.
terium, ſocium *Ivonis*, qui S. *Petri Damiani* magiſter exſtitit, *Guarnerium* fuiſſe vocatum. Locus exſtat apud *Damianum Opuſc.* 45, alias *Epiſt.* 17 *Lib. VI.* Nullum a *Lotha-* 69.
rio III ſancitum fuiſſe decretum, quo Longobardicæ leges fuerint abrogatæ, ſolide affirmat, allatisque in medium argumentis evincit. Piſanos, Amalfin A. 1135 capientes, prædamque agentes, haud præivit, nec eis interfuit, *Lotharius* Imperator, qui tum potius egit in Germania, Piſanis infenſus. Haud ſupereſt facile de eo ulla dubitatio. Ruit itaque id, 77.
quod vulgo referunt, *Lotharium* Pandectas, tunc Amalfi inventos, donaſſe Piſanis. Cauſa, cur *Lotharius* odiſſet Piſa- 79.
nos, hæc exiſtit. Piſani *Innocentium II* Papam A. 1134 in Concilio Piſis celebrato, cui *Bernbardus Clarevallenſis* quoque interfuit, ſtimulaverunt, ut ipſe Ducatum Tuſciæ *Ingilberto* conferret, quem ipſi in tutelam ſuam receperant & defenderant contra Lucenſes, teſte Autore Breviarii Piſanæ Hiſtoriæ *Tom. VI rer. Ital, p.* 170, ubi tamen conferenda eſt lectio ſincerior ex MSto *Strozziano*, apud *Ughellum* evulgato. In 80.
expeditione altera A. 1137 prædæ de Amalfitanis haud fuerunt actæ, eodem Breviarii Autore teſte. Quæ a recentiori ſcriptorum turba fuere addita, redolent fabulas omni ex parte. Et quis auſit demonſtrare, omnia Pandectarum volu- 82.
mina ex exemplo Piſano ſeu Florentino fuiſſe deſcripta, licet *Brencmannus* ita ſtatuerit *Lib. III Cap.* 2. Nonnunquam ſa- 83.
nior eſt lectio & ſenſus vulgarium Pandectarum, quam Florentinorum, judice Ven. Abbate. *Juſtinianus* utique leges, 85.
Codicibus ſuis inſertas, in Italiam miſit, & ipſe *Paulus Diaconus Hiſt. Langob. I,* 25, quatuor Juris *Juſtinianei* partes nominat

minat ac deſcribit. Gradus conſanguinitatis enumerentur eodem plane ordine ac diſtinctione, totidemque pæne verbis,
Pag. 86. quibus *Juſtinianus Inſtit. II Tit. 2 Cap. 1* utitur. Unde facile perſpicitur, *Juſtinianum* leges ſuas interpretationibus Latinis plerumque inſtruendas curaſſe. *Infortiatum Gothofredus* ingenioſe credidit denominatum ab *oneribus*, φορτίοις, conjugii, de quibus ibi initio agitur. *Digeſtum novum* videtur dictum ex Titulo *de novi operis nuntiatione*, quo id
87. aperitur. Hetruſcas Pandectas in uſum alicujus Græciæ Prætoris ſcriptas eſſe, multisque ſcatere nævis, Noſter pronuntiat. *Bulgarum* fuiſſe Piſanum, negat Cl. *Alexander Machiavellius*, J. U. D. Collegiatus Bononienſis, & in patrio Archigymnaſio Bononienſi Juris legumque interpres, eumque Bononiæ ſuæ vindicat in literis, ad Ven.
87. Autorem datis. Ipſe vero Piſanis eum adſcribit. *Burgundium* JCtum fuiſſe Poëtam quoque & Medicum, ex ejus Epitaphio, A. 1194 facto, & hic allato *pag. 100 ſeq.*, dilucet. Theſaurus certe rerum notatu digniſſimarum in *Appendice veterum monumentorum* ſatis copioſa in lucem
103. fuit protractus. Viros *beatæ memoriæ* eos quoque eſſe dictos, qui in vivis adhuc fuerint, contendit Noſter, exem-
109. plis ſane fide dignis inſtructus. Epiſcopos olim omnes fuiſſe appellatos *beatiſſimos*, indicat *pag. 113. Baptiſteria* olim vocata fuere templa baptiſmalia. Epiſcoporum Piſanorum ævi medii catalogus a Ven. Autore affertur emendatior. Ne quid de notis doctiſſimis, quibus chartæ veteres illuſtrantur, dicamus. Gratulandum exiſtimamus Cel. Autori de labore tam feliciter egregieque exantlato.

D. GUIDONIS GRANDI, S. T. D. CREMOnenſis Abbatis S. Michaelis in Burgo Piſarum, & in ejusdem urbis celebri Academia Publici Matheſeos Profeſſoris, Vindiciæ pro ſua Epiſtola de Pandectis, Florentiæ ſecundo edita cum Notis, adverſus inanes querelas & oppugnationes BERNARDI TANUCCII, J. U. D. Stienſis, in eadem Academia Cæſarea Juris Interpre-

terpretis, in ejus libello, non ita pridem Lucæ impreſſo, expoſitas.

Piſis, typis Jo. Dom. Carotti, 1728, 4.

Plag. 10 ½.

De origine Pandectarum ad Italos delatarum inter *Grandium* ac *Tanuccium* diutinam vigere controverſiam, norunt jam pridem, qui in re literaria non plane ſunt hoſpites. Vindiciæ, quibus controverſiam ignorantes convinci poſſunt, prodierunt utrinque. Eas, de quibus hic agitur, in *tres Partes* Autor diſtribuit. *Prima* laborat demonſtrare primæ *Tanuccinæ* querelæ vanitatem, difficultatem objectam haud ſibi obeſſe monet, Epiſtolæ 140, a *Petro Blaſenſi* ſcriptæ, tempus expendit, & Canones *Gratiani*, aſſertioni ſuæ ab Adverſario oppoſitos, inveſtigat ponderatque. *Se-* Pag. 22.
cunda exponit de Pandectarum inventione apud Amalphin, ab Adverſario parum honoriſice pro Piſanis expoſita, de eadem inventione Pandectarum, & ut parum firmiter ea ab Adverſario propugnetur, præterea de *alterius inanis querimonia, imo calumnia, adverſarij depulſione.* *Tertia* diſſeri- 43.
tur de contradictionibus & novitatis ſtudio ſibi affícto; in 54.
Dempſterum & *Robertum Montenſem* & *Accurſium* conjecta convicia repelluntur; & reſpondetur ad *Ivonis Carnotenſis* 59.
decretum, Autori objectum. Ipſe in limine oſtendit, vo- 2.
cabulum *calumniandi* idem eſſe ſæpius ac judicium criticum interponere, eumque ſignificatum occurrere credit apud *Gellium VII, 3,* & *Quintilianum X, 3.* Dixerat Autor, *Pan-* 5.
dectas ſub hoc ipſo nomine apud *Petrum Blaſenſem*, qui A. 1160 floruit, *antiquius fortaſſe, quam ab aliis factum fuerit, commemoratas Ep. 140,* ubi hæc leguntur: *Vides - - - quam immeabile pelagus ſit Pandecta, in qua civile jus continetur.* Addiderat hæc Autor: *Licet aliquas illarum leges Ivo Carnotenſis, qui præcedenti Seculo XI vixerat, allegaverit:* idem procul dubio de *Gratiano* dicturus, ſi tum ejus Decreti memoria mentem ſubiiſſet. Oppoſuit Adverſarius leges, a Pandectis a *Gratiano* traductas. Reſpondet Noſter, haſce 6.

 eſſe

eſſe haud admodum multas, nec a *Gratiano* ipſo laudatas,
Pag. 7. ſed opera Gloſſatorum annotatas. Monuit Adverſarius, ſe-
rius *Petrum Blæſenſem* e vita diſceſſiſſe, ſiquidem is ad
initia Pontificatus *Innocentii III* vitam traxerit; Epiſto-
lam vero illam 140 eſſe anno 1160 recentiorem, eo quod in-
ſcriptio atque præfixus *Archidiaconi Bathonienſis* titulus ſic
ſuadeat. Reſpondet Noſter, ſe nunquam mortem *Petri
Blæſenſis* ad A. 1160 retuliſſe, ſed vitæ florem; inſcriptio-
nem vero eandem Epiſtolæ 22 eſſe præfixam, ubi tamen eam
eſſe a librario intruſam, ipſe Adverſarius *pag. 12* fuerit faſ-
8. ſus. Eandem interpolationem *Epiſtolæ 26* accidiſſe, Noſter
ex ipſa hiſtoricorum momentorum luce docet. In ea ſic
*Petrus: Lectioni Codicis & Digeſtorum plerumque ad ſolatium,
non ad uſum, tempus vacationis impendo.* Incidit ſcriptio
9. hujus Epiſtolæ in annum circiter 1148, publicatio autem *De-
creti*, a *Gratiano* conſarcinati, in annum 1151 collocari ſo-
let. *Tanuccio* errorem porro Noſter exprobrat haud mini-
mum. Ille enim *pag. 15* conjecerat, *Epiſtolam 140* a *Petro* il-
lo poſt Lateranenſe Concilium ſcriptam fuiſſe, quia inibi
vox *transſubſtantiationis* occurrat. Nolumus diffiteri, voca-
bulum *transſubſtantiationis* illo Concilio eſſe antiquius.
12. Quæritur vero, an *Gratianus* univerſum Opus Pandectarum
noverit verſaveritque, an laciniam aliquam duntaxat habue-
rit compertam. D. *Virginius Valſecchius* contenderat, ipſum
duas Pandectarum leges protuliſſe. *Tanuccius* vero 51.
Noſter addit præterea Canones quinque. *Grandius* pro laci-
nia pugnat; *Tanuccius* pro opere univerſo, in *Gratiani*
notitiam delapſo. *Grandius* grandi hoc utitur argumento:
13. *Gratianus Diſtinct. 7* conditores legum recenſet, mentio-
nemque ingerit Codicis *Theodoſiani*, *Gregoriani*, & *Hermo-
geniani*, alto autem ſilentio premit leges *Juſtinianeas*. Eo-
dem telo pugnat *Tanuccius pag. 23*, oſtenſurus, *Iſidoro* nul-
lam Juris *Juſtinianei* notitiam fuiſſe. Gloſſæ e Digeſtis ad-
14. ditæ ſunt Decreto *Gratiani* nonnunquam. Nemo id negat.
At nemo huc uſque ſolide evicit, eas ab ipſo *Gratiano* eſſe
profectas, ſiquidem eædem haud habentur in exemplaribus
Gra-

Digitized by Google

Gratiani omnibus antiquis, nec ſæpius menti *Gratiani* ſunt conformes. Oſtendit Noſter nominatim, illum *Canonem 11 Diſt. 1* non ex *Digeſtis*, ſed ex *Iſidoro Lib. I Etymol. Cap. 8*, eſſe deſumtum. Id enim expreſſe monent *Gratiani* correctores, quos *Gregorius XIII* mercede conduxerat. Canonem *Qui ſaccum 45 Diſt. 50* eſſe aliunde additum, patet ex *Canone* antecedente & conſequente. Idem de *Canone 126* pronuntiandum. Ut ſummatim dicamus, quod Autor & res ipſa ſolide declarat, leges, in *Gratiani* Decreto deprehenſæ, non ex univerſo Pandectarum opere, ſed tantum aliquot ex Digeſto veteri, aliquot ex novo, nullæ ex infortiato, ſunt deſumtæ. Id vero caret dubitatione, *Petrum Blæſenſem Ep. 26* legem *de uſufructu legato* ex ipſo infortiato laudaſſe. De reliquo interpolationes, quas *Gratiani* Decretum Autore ſuo defuncto paſſum fuit, facile dilucent ex *Diomedis Bravæ*, Patricii Tranenſis, *Diſquiſitione critica de interpolatione Gratiani*, Bononiæ apud *hæredes Benatii* A. 1694, 4, in lucem emiſſa. Si Cl. *Tanuccius* eam conſulere dignetur, tum veremur, ne nihil, certe pauculum, reſtet, quod in *Gratiani* Decreto ſpeciem tueri poſſit natalium e Pandectis deducendorum. Ven. *Grandius* amolitur a ſeſe, quicquid ipſi apud Piſanos invidiam conflare poteſt, ac denuo, Pandectas in oppidum Piſarum haud Amalphi, ſed Conſtantinopoli, per Piſanorum Legatum, *Burgundionem*, JCtum celebrem, translatas, contendit. Quæ origo utique Piſanis eſt glorioſior illa altera, quæ ex militum Piſanorum deprædatione Amalphitana eximium Piſanorum cimelium derivat & arceſſit. Accedit, quod in Piſanis faſtis nihil de illa Amalphitana Pandectarum inventione habetur. Primus utique, qui de Pandectarum inventione a Piſanis facta neſcio quid muſſitavit, eſt *Raynerius Granchius*, ducentis & amplius ab Amalphitana expeditione annis exactis, in ſuo caliginoſo Poemate *de Præliis Thuſciæ*, ubi ſubobſcure ejus rei mentionem facit, ut neſcias, an Amalphi, an Neapoli, an aliunde, Pandectum Piſani advexerint. Luculentior vulgaris opinionis traditio ab A. 1507 incipit in hiſtoria illa *Gryphiana*, plurium errorum a *Brencmanno* con-

Pag. 15. (beside "dum. Ut ſummatim dicamus…") · 20. (beside "de declarat") · 25. (beside "translatas, contendit") · 27. (beside "na Pandectarum inventione") · 29. (beside "mentionem facit")

 vi-

victa. *Gryphius* ille fidem ſuam dudum decoxit. Requiritur certe & deſideratur Hiſtoricus ætatis idoneæ fideique plenus, qui Amalphitanam illam Pandectarum inventionem Piſanis clare diſtincteque tribuat. Recentiores enim Junonis *Gryphiana* amatores haud moramur.
Pag. 67. *Panormiam* non *Hugoni Catalaunienſi*, ſed *Carnutenſi*, eſſe tribuendam, monet, ſiquidem in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſi Codex reperiatur cum inſcriptione: *Panormia Ivonis.* Præter eam ab *Ivone* Decretum fuiſſe conſcriptum, negat æque ac illud, in Panormiam quidquam ab *Ivone* fuiſſe congeſtum ex Pandectis. In Præfatione enim *Ivo* commemorat fontes, e quibus ſua collegerit, ne quidem memor Pandectarum. Addit Noſter:
70. *Quicquid ergo ex Pandectis huic Decreto acceſſerit, præter Autoris ipſius Ivonis mentem peregrina manu adjunctum merito cenſeri debet.* Obiter notat, Conſtitutionem *Lotharii* Imperatoris, tempore *Eugenii* Papæ ſancitam, eamque feudalem, tribuendam eſſe *Lothario*, primo Imperatori, qui A. 824 Romam a patre *Ludovico Pio* miſſus fuit.
75. Id vero pace Ven. Autoris monendum exiſtimamus, *Lotharium II, Hugonis*, Regis Italiæ, filium, omnino in Diplomatibus chartisque ætatis ſuæ *Imperatorem* vocari, licet ipſe ita judicet: *Eum nemo inter Imperatores numerandum cenſet.* Nec tamen diffitemur, ut ex conflictu ſilicis chalybisque ſcintillæ emicant, ſic ex controverſia hac Duumvirorum eruditionis laude præſtantium veritates haud unas in lucem fuiſſe protractas, accuratiusque perſpectas, quas, ni ipſa exarſiſſet liticula, nemo fortaſſis quæſiviſſet, aut eum eruditis communicaſſet.

HERMANNI BOERHAAVE, PHIL. ET MED. Doct. Inſtit. Coll. Pract. Botan. & Chem. Prof. in Acad. Lugduno-Batav. Præſ. Coll. Chirurg. Soc. Reg. Scient. Lond. & Acad. Reg. Scient. Pariſ. Sodalis, Prælectiones Academicæ in proprias Inſtitutiones rei medicæ. Edidit, & Notas addidit, ALBERTUS HALLER, Volumen primum, Chylificatio.

Gœt-

Gœttingæ, apud Abrahamum van der Hœck, Acad. Typogr. 1739, 8.

Alph. 1 plag. 9.

Quod noſtris præcipue temporibus uſu venire intelligimus, ut Virorum Clariſſimorum, & magna nominis gloria, variisque ingenii monumentis, illuſtrium, Recitationes Academicæ, poſt mortem eorum, ab inconſultis & lucri, quam tantorum virorum famæ, cupidioribus hominibus in publicam lucem imperfectæ, impolitæ, atque vitioſæ, protrudantur; id ne *Bœrhaavianis* Prælectionibus accideret, eo majorem Celeberrimus *Hallerus* metuendi cauſam habuit, quo certius id ſuperſtite adhuc, inſcioque, & invito *Bœrhaavio* olim jam factum eſſe, meminiſſe potuit. Aliorum itaque conatibus ut anteverteret, ex amore erga præceptorem, quem audiviſſe ſenex olim, ſiquidem annos Deus concedet, non ſine animi inſigni voluptate referet diſcipulis, ipſemet Prælectiones illas, quas in *medicas Inſtitutiones* annis 1725, 1726, & 1727, ex ore *Bœrhaavii* exceperat, perpetuaque cum ſodali *Schreibero* collatione perfectiores reddiderat, in publicos uſus edere, præſertim cum eſſet librarius, qui ſumtus erogaret, laudabili conſilio animum induxit. Atque ex tot maximi Viri diſcipulis vix unum elegeris, qui melius provinciam hanc ornaret, quam Cel. *Hallerus*, tantam ingenii doctrinæque famam inter Medicos politiores jam conſecutus, ut, audito tantum præſtantiſſimi Editoris nomine, ſignum velut aliquod ad bene de Opere hoc ſperandum ſublatum eſſe exiſtimemus. Sed multa erant tamen, quæ ipſum ab hoc inſtituto deterrerent. Neque enim ignorabat, apud alios exſtare Codices uberiores, multorumque annorum intervallis locupletatos, qui plura verba *Bœrhaavii*, & plures forte memoria dignas ſententias, complecterentur. Facile etiam intelligebat, ad expoliendum libellum multum otii requiri, neque tamen ob temporis anguſtias nimium poliendo procraſtinandum eſſe laborem, qui alias inutilis Bibliopolæ futurus eſſet. Verum dubitantem excitavit confirmavitque

χαϱιέςατος *Werlhoſius*, ut ita relegeret Codicem, locisque Auctorum in ordinem redactis, & teſtimoniis conſultis, prelo pararet. Quem etſi non uberrimum, nec puriſſimo ſermone conſcriptum, ſua pro modeſtia, Cel. Editor judicat; vere tamen dicere poſſumus, magno uſui futurum hunc laborem ſolidioris Medicinæ ſtudioſis omnibus, quod, quæ *Bœrhaavius* in *Inſtitutionibus* brevioribus verbis dixerat, hic copioſius diluantur, eximieque explicentur & illuſtrentur. Dum itaque Cel. Vir in hoc opere verſatur, &, ut fieri ſolet, incaleſcit, inſuperabilis ipſum ardor, addendi nonnulla, inprimis quæ ad partium corporis humani hiſtoriam attinent, ſive ex proprio experimento vera viſa, ſive ex certæ fidei ſcriptoribus, a *Bœrhaavio* vel per ſumma negotia, vel ob temporis rationem, non evolutis, petita eſſent, invaſit. Namque ſummus Vir peritiam ſuam Anatomicam vel præparatis a *Ruyſchio* corporis humani partibus, vel publicis *Ravii* & *Albini* demonſtrationibus, debebat. Reliqua congeſſerat ex Scriptoribus, quos fidos & in re Anatomica principes judicabat.. Ita factum eſt, ut alia corrigi, alia paſſim accedere, potuerint. Utrumque egit Cel. *Hallerus*, deſcriptionesque partium corporis humani ex optimis certe & præſtantiſſimis Autoribus accurate emendavit & auxit, ut ſumma veluti eorum, quæ alibi diſperſa occurrunt, nobis proponatur. Quanquam ipſemet aſſeverare non audet, omnia a ſe dicta, quæ de quacunque corporis humani particula vere dici queant; ſemper tamen vera ſe attuliſſe, ſerio contendit. Verum in aliis quoque, quæ *Bœrhaavius* omiſerat, fuit aſſiduus, varia experimenta, ad illuſtrandam corporis humani ſani conditionem comparata, adducens, ad fontes, ex quibus *Boerhaaviana* hauſta fuerunt, Lectores remittens, monumenta item Autorum rei medicæ alia, quæ obſervationes *Boerhaavii*, aut ſententias ſine teſte prolatas, firmare queant, ſubindicans, ſæpius etiam a præceptoris opinione diſcedens, & ſuam ſententiam libere edicens, ubi ad tuendam veritatem ingenua ubique libertate uſus eſt, quæ in ipſius præceptoris, ſi viveret, minime incurſura

ſura reprehenſionem videatur. Quæ dum aguntur, librique moles, multo autem magis laboris difficultas, augetur, cum Autor paulatim fieret, qui Editorem ſe profeſſus erat, contigit, ut tempus, quod bibliopola bona fide conſtituerat, vix dimidio Operi ſufficeret, & nunc quidem *unum* tantum *Volumen*, quod uſque ad *Paragraphum 130 Inſtit. Bœrhaav.* procedit, in conſpectum publicum exponi potuerit. Enimvero temperatius, opinamur, moram hanc ferent æqui Lectores, qui cogitabunt, omnem a Cel. *Hallero* in poliendo hoc Opuſculo operam collocari, certoque futurum eſſe, ut intra anni ſpatium *quatuor Inſtitutionum Volumina*, eadem ratione, qua hoc *primum*, perfecta, proſtent, atque ad extremum Operi Index accedat. Cum forte alios etiam Codices nactus aliquando fuerit, aut alibi editos in manu habuerit, excerpturum ſe ea omnia, quæ profutura videbuntur, ſuisque ſubjecturum eſſe, pollicetur, inprimis ex uberrimo Codice Cl. *Joannis Geſneri*, Math. & Phyſ. apud Tigurinos Prof. Publ. Ord. quem in præſenti expectat. Tandem & læti hic nuntiamus, poſt laborem hunc abſolutum a Cel. *Hallero* exquiſitiſſimum, quem poſſidet, Codicem *Commentariorum in Aphoriſmos practicos Boerhaavianos* publicatum iri, ex quo copioſius aurum, quam nunc ex ſtercore ſuppoſititii Operis, colligere licebit. Reſtat, ut, quoniam ex tanto ſelectiſſimarum rerum apparatu delectus difficillimus videtur, nonnulla tantum ſpeciminis loco adducamus. Ex *Boerhaavianis* Prælectionibus particulam quandam, quæ in ipſorum ſtatim προλεγομένων initio legitur, ipſius Autoris verbis recitabimus, ut & tractandi ratio & dicendi genus cognoſcatur. Dixerat *Boerhaavius* *Inſtit.* §. 4: *Morbi quidem præſentia impulſu automatico cogit corpus ipſum ad applicationem auxilii, ceterum ignoti.* Hæc ita ipſemet explicat *pag. 3 Prælectionum:* Automatico] *Hoc nomine intelligimus motum pendentem ab artificioſiſſima corporis humani fabrica, quam voluntatis imperio compeſcere non valemus. Eſt equidem, & vere exiſtit, hoc motuum genus, licet diſpliceat quibusdam Philoſophis. Corpus noſtrum congeries eſt minimorum*

ela-

Digitized by Google

elaterum, quorum actionibus conjunctis ſanitas efficitur. Horum elaterum princeps eſt cor; id motus ſuos reciprocos perficit, donec univerſa machina corporis deſtructa ſit. Sed minores elateres ubique diſperſi ſunt per corpus, arcentes injurias corporum, quæ nos ambiunt. Ponatur in ſubitum frigus corpus hominis, motu nimio exæſtuans. Coagularetur certe ſanguis, & ſiſteretur ejus motus ſubito, niſi caveret natura corporis. Conſtringuntur nempe ſubito vaſa cutanea omnia, excludunt actionem inimici frigoris. Venenum aſſumtum eſt. Pereundum homini, ſi vis ejus aut in ſanguinem ſe penetret, aut diu in viſcere agere queat. Oritur vomitus. Actum eſt id omne, quod præſtiturus erat peritus medicus. Neque reſiſtere poſſumus beneficæ voluntati, ut voce pæne vera utamur, machinæ noſtræ. Monet amicus amicum, ſe ſubitum ictum minaturum oculo, caveat, ne claudat. Secura eſt anima de periculo. Sed accedit ſcritura manus, ſubito clauduntur palpebræ, proſpicitur tenerrimo organo, nulla animæ prudentia, imo vero invita, ſed fruſtra reluctante, mente. Adigitur vitri fragmentum intra cutem, ſed vitrum non niſi in ſcindentes laminas frangitur, deſtruit ergo corpus, niſi expellatur. Ergo fit ſuppuratio, atteritur, quod in vicinia eſt, ut naſcatur cavitas plena pure, ut fluctuet hoſtile vitrum, mox effluat. Harum actionum, a corporis mirabili fabrica orientium, junctam in conſervanda valetudine poteſtatem Naturam *vocavit* Hippocrates, *cui tot & tantas efficacias tribuit, criſes, ut unicum nominemus ex multis, acutorum. Ex quibus certe medicandi ratio mortalibus innoteſcere potuit. Sic felices in morbis acutis hæmorrhagiæ venæſectionem, crudeli ſpecie minax remedii genus, indicaſſe videntur priſcis mortalibus. Sic, illapſa in oculum arenula, protinus videmus conſtringi valide palpebras, ita repelli oculum in interiora orbitæ, comprimi glandulam lachrymalem magnam, effluere lachrymas, quæ cito & eluant arenulam, & mulceant natam ex frictione inflammationem. Quid ſimplicius, quam imitari naturam, & illapſa inimica corpora expugnare ſiphunculo, ſub palpebras impellente liquo-*

rem

rem mitem & lepidum, qui & dolores leniat, & aſperum corpus eluat. Hactenus *Boerhaavius.* Ex annotationibus Celeb. *Halleri* illæ ipſæ etiam, quæ ad περιλεγόμενα pertinent, largam confeſtim materiem nobis ſuggerent, ex qua ſingulares quædam obſervationes excerpantur. Dixerat *Boerhaavius pag. 19,* curioſitatem veterum in ſtirpium collectione & præparatione ex *Hippocratis* ad *Cratevam* Epiſtola æſtimandam eſſe, ubi locum natalem, tempus, conſervationem, Hellebori fuſius is perſequatur. Monet vero Cel. *Hallerus*, niſi ſpuria fuerit hæc Epiſtola, quod ſatis videatur veriſimile, curioſitatem tamen *Hippocratis,* ibi laudatam, & vanam & proletariam eſſe. Itidem contra *Boerhaavium pag. 21* docet, rudem fuiſſe anatomen eorum, qui condiendis cadaveribus operam olim addixerint, propterea, quod illi, abdomini per factum foramen inſerentes manum, viſcera ex obſcuro evulſa, cerebrumque per nares hamo eductum, nunquam niſi lacerata viderunt. Liquere *pag. 23* negat, quam ſectam Philoſophorum ſecutus fuerit *Hippocrates.* Theoretica enim ſcripta, in quibus in rerum cauſas inquirat, omnia, ni fallatur ipſe, ſpuria eſſe, in veris autem monumentis adeo a ratiociniis abſtinuiſſe *Hippocratem*, ut primus Philoſophiam a Medicina ſeparaſſe *Celſo* dicatur. *Pag. 24,* quamvis *Schulzius* atque *Clericus* negent, *Hippocratem* corpora humana ſecuiſſe, manifeſtum tamen ex locis genuini libri περὶ ἄρθρων putat Cel. *Hallerus,* corpora humana, & de induſtria quidem, ab eo inciſa eſſe, ut qui confirmet ſuam ſententiam ex Anatomico experimento, in quo clavicula occurrit, homini ita fere propria particula, ut ex alio animali ea innotuiſſe *Hippocrati* vix videatur. De oſteologia nemo dubitat. *Eadem pag.* Cel. Autor, *Hippocratis* ſcripta de vulneribus capitis, de fracturis & articulis, ordine, veritate, & fide, pæne præſtare reliquis ejus ſcriptis, contendit. *Pag. 25, Hippocratem* Chirurgum & obſervatorem clinicum maximum fuiſſe, docet. Theoriam & neglexit, &, ſi libro de veteri medicina fides eſt, etiam damnavit *Hippocrates*, in anatome præter oſſium cognitionem non curioſus. Medicamenta dura, paradoxa, & pauca, in

Digitized by Google

in uſum vocavit. Vir in univerſum magnus, & nobis etiam utilis, ſed Medicinæ dogmaticæ non dicendus fundator. *Pag.* 29, *Celſum*, ait, ipſum Medicinam calluiſſe, idque ſatis clarum eſſe ex eo, quod proprium judicium in diſſidiis ſummi momenti expromat, in Chirurgicis etiam propriam ſententiam opponat aliis, atque de operatione ancyloblephari addat, ſe non meminiſſe, aliquem ſic reſtitutum fuiſſe, argumento manifeſto, eum artis effectus & operationes ipſas præſentem & perpetuo ſecutum eſſe. *Pag.* 32 integrum, quam late patet, Medicinæ ambitum complexus dicitur *Galenus*, diſciplinas nimirum, quæ artem præcedunt, Anatomen, Botanicam, partem medicam, Phyſiologiam, Pathologiam, Semioticam, methodum medendi, Pharmaciam, Chirurgiam, uberrime omnia, ita, ut nemo mortalium poſt eum ſimilem laborem votis aggreſſus ſit. Id dolendum eſt, quod poſteri, perculſi eruditione & eloquentia *Galeni*, in iis acquieverint, quæ a *Galeno* acceperant, & de augenda arte ne cogitaverint quidem, quam dudum perfectam eſſe, ſerio exiſtimabant, quod de Anatome, de Theoria medica, & de medicamentorum viribus, per quatuordecim fere Secula verum eſt. *Pag.* 36, Arabes, Græcorum fere compilatores, morborum acutorum tamen aptiores curationes inveniſſe, aromatumque & mitiorum purgantium, Mannæ, Sennæ Caſſiæ, Rhabarbari, utilem efficaciam in vulgus notiorem effeciſſe, docemur. *Pag.* 39 *Paracelſus* non in pago Einſidlen, quæ recepta fama eſt, ſed in Abbatis Cellani ditione, natus eſſe certo memoratur. E *pag.* 47 diſcimus, primum a ſordido lucro & vana divitiarum cupidine Chemiam ad indagandam naturam corporum revocatam a *Boyleo*, poſt hunc vero philoſophicis uſibus inſerviiſſe, autoribus *Hombergio*, *Hoffmanno*, *Stahlio*, & *Boerhaavio*, quo nemo difficiliores labores ſuſceperit, nemo remotas elementorum naturas propius inſpexerit.

FLORES GEOMETRICI, EX RHODOnearum & Cloeliarum Curvarum deſcriptione reſultantes,

una

una cum novi Meſolabi expeditiſſimi auctario, Autore GUIDONE GRANDO, *Abbate S. Michaelis in Burgo Piſarum, & in Academia Piſana Publico Matheſeos Profeſſore.*

Florentiæ, typis Regiæ Celſitudinis, apud Tartinium & Franchium, 1728, 4.

Plag. 10, Tabb. æn. 2.

Vehementer omnino dolemus, tardiſſime ad manus noſtras perveniſſe libellum hunccce elegantiſſimum, eruditionis mathematicæ præſtantioris, cujus laude dudum floret Autor Celeberrimus, novum non minus, quam jucundum lectu, ſpecimen. Ecquid enim, quæſumus, mirabilius, quam ex eo Geometriam videre naturæ æmulam, folia floreſque ferre, ſuosque adeo hortos habere? In eos vero immiſſus, favente Minerva, Cel. Autor, duos exinde faſciculos decerpſit, unum, qui ex Curvis quas vocat, Rhodoneis, alterum, qui ex Clœliis, quas appellat, componitur. Et priorem quidem, inde a ſatis longo tempore dono miſit Regiæ Scientiarum Societati Londinenſi, quæ in *Tranſactionum* ſuarum *Anni 1723 Menſe Julio & Auguſto num. 378* eum luci dedit; alter vero plane novus eſt. Cum enim Vir doctiſſimus florum ſuorum Geometricorum mentionem alicubi feciſſet, multos cupido invaſit, propius, quid rei hoc eſſet, videndi; quibus igitur rem gratam facturus, Schediaſma ſuum de Rhodoneis non modo typis deſcribi denuo curavit, adjectis quibusdam obſervationibus, ſed alterum quoque, non minus elegantem, Clœliarum faſciculum Supplementi loco adjecit. Utrumque vero in obſervantiæ ſuæ teſtimonium obtulit Illuſtriſſimæ Doctiſſimæque Comitiſſæ *Clœliæ Grillo-Borromeæ*, cujus virtutes eximias, raramque in rebus præcipue mathematicis ſcientiam, effuſo ſtudio prædicat. Sed ad rem. Geometricos igitur flores Vir Cel. generatim appellat figuras, Curva quadam, per aliquot foliorum ambitum, ab uno centro ſeſe expandentium, deducta, circumſcriptas. Jacent autem vel in uno plano, vel in Curvam ſuperficiem expanſæ ſunt.

Pro numero foliorum flores ſunt bifolii, trifolii, quadrifolii, pentafolii; quibus, methodi cauſa, addere licet unifolios. Cum vero modis innumeris ejusmodi flores generari poſſint, duos duntaxat ad examen revocat Cel. Autor, quorum unus Curvas Rhodoneas, Clœlias alter, exhibet.

TAB. I Fig. 1.

En Rhodonearum deſcriptionem: Aſſumto quolibet circulo, cujus centrum ſit C, ductoque radio CD ad alterum CA poſitione datum utlibet inclinato, ſi fiat angulus GCA ad angulum DCA, ſive arcus GA ad DA in ratione conſtanti b ad a, ductoque ſinu GH, fiat $CI=GH$, erit punctum I ad Rhodoneam ipſius datæ rationis b ad a. Quodſi omnia Rhodoneæ folia unica circulatione comprehenduntur, Rhodonea ſimplex erit; ſi duabus, tribusve, erit duplex, aut triplex, & ſic porro. Poteſt etiam Rhodonearum geneſis e duplici motu pendere: altero æquabili radii CA moti circa centrum C, per ipſum radium alternis vicibus adſcendentis & deſcendentis, viribusque ſollicitati, quæ ſint ut ſinus complementi anguli GCA, qui ad DCA eſt ut b ad a, quæ ratio ipſius Rhodoneæ propria dicitur. Porro non difficulter perſpicitur, Rhodoneam duos habere ramos ſimiles & æquales ex utraque parte axis CE. Poteſt autem Rhodonea ſimplex deſcribi, quæ dictum numerum foliorum m complectatur. Scilicet pro ratione a ad b aſſumatur ratio 1 ad $\frac{m}{2}$. E. g. Quodſi deſideretur hexafolia, erit $m=6$, ergo $a:b=1:3$. Etenim numerus foliorum, quibus integra Rhodonea ſimplex compingitur, eſt ad unitatem ut $2b$ ad a, prout demonſtrat Cel. Autor; adeoque, ſi $a:b=1:\frac{m}{2}$, erit, duplicando conſequentes, $a:2b=1:m$, ſive $2b:a=m:1$, ergo numerus foliorum deſideratus m prodibit. Pro Rhodonea duplici ſumenda ratio 1 ad $\frac{m}{4}$; exiſtente m

in-

TAB. I ad Supplem. Nov. Act. Erud. T. IV Sect. ..
pag. 180. 181. 182. 1..

Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.





Fig. IV



Digitized by Google

impari numero; pro triplici, 1 ad $\frac{m}{6}$, dummodo *m* non ſit diviſibilis per *3*, pro quadruplici, 1 ad $\frac{m}{8}$, exiſtente *m* impari, & ſic porro. Quodſi autem ratio *a* ad *b* ſit irrationalis, Rhodonea ex infinitis circulationibus generabitur, & infinitis circulationibus generabitur folium, cui circulus integer circumſcribitur. Quibus ita declaratis, progreditur Vir Cel. ad Quadraturam ſpatiorum a Rhodoneis comprehenſorum, nec non ad earum rectificationem. Igitur demonſtrat, quodlibet Rhodoneæ folium eſſe ad Quadrantem circuli ut *a* ad *b*; porro, quodlibet folium eſſe ſectoris circularis ſibi circumſcripti ſubduplum, unde ſequitur, totam Rhodoneam ſimplicem eſſe unius circuli ſubduplam, duplicem duorum, triplicem trium, & ſic deinceps. Quodſi bifariam ſecetur angulus *ECA*, quem axis folii Rhodoneæ *CE* comprehendit cum *CA*, per rectam *CD*, quæ Curvæ occurrit in *R*, & deinceps radio *CR* deſcribatur arcus *RSK*, erit lunula *KER* perfecte quadratilis, & ad quadratum radii ut *a* ad *4b*. Plura quoque ſpatia mixtilinea Quadraturæ capacia a Cel. Autore oſtenduntur, quæ in ipſo libello videri poſſunt. Pro tangente ad quodlibet folii punctum ducenda, v. g. ad *I*, ducatur *CI*, ſitque in circulo (ex geneſi Curvæ) $GH = CI$. Ducatur ad *G* tangens *GL*, ſitque ſubtangens circuli *HL*. Quo facto, fiat, ut *b* ad *a*, ita ſubtangens circuli *HL* ad *CM*, quæ perpendicularis eſt ad rectam *CI*, junctaque *MS* tanget Rhodoneam in puncto *I*. Quod dimenſionem perimetri folii cujuscunque attinet, demonſtratur, ſi fiat, ut *b* ad *a*, ita radius circuli ad quartam, deſcribaturque Quadrans Ellipſeos, cujus ſemiaxes ſint radius circuli & quarta modo inventa, demonſtratur, inquam, perimetrum Quadrantis elliptici æqualem fore perimetro ſemifolii Rhodoneæ, & partes partibus correſpondentibus. Quibus expeditis, monſtrat Autor Cel., quomodo Rhodonea datæ rationis *a* ad *b* (minoris inæqualitatis) TAB. I Fig. 2.

Digitized by Google

ex conica ſuperficie ſecanda ſit. Jam vero de Clœliis quoque Curvis dicendum. Earum vero geneſis, Rhodonearum origini analoga, eſt ejusmodi: Secetur Sphæra (vel Sphæroides, vel ſolidum cujuslibet Curvæ, circa axem ſuum rotatione genitum,) plano horizontali, exhibente circulum *DEA*, quod per centrum, vel citra vel ultra tranſiens, concipi poteſt; au-
TAB. I Fig. 3. ctoque plano verticali *CGHB*, cujus interſectio cum horizontali ſit recta *BH* abſcindens a fixo puncto *E* arcum *EH*, qui ſit ad *EFm* ratione data *a* ad *b*, ponatur *CM* æqualis ſinui arcus ipſius *EF*, (aut illi ſinui proportionalis in ratione *CB* ad *BD*, quoties circulus *DEA* non tranſit per Sphæræ centrum, ſeu generalius, quoties radius *DB* non æquatur altitudini *CB* Conoidis *CDE*,) atque in plano *CHB* ordinetur *MG* ipſi *BH* parallela, erit punctum *G* in Curvam *COD*, quam Clœliam vocat Autor, & quidem primæ deſcriptionis. Secundæ vero deſcriptionis Clœlia eſt, quando in ipſo radio *BH* pars *BI* accipitur æqualis ſinui arcus *EF*, hincque erigitur perpendicularis *IG*, arcui *CH* occurrens in *G*, quod punctum erit ad Clœliam ſecundæ deſcriptionis. Ejus igitur ichnographia eſt folium Rhodoneæ *DIB* rationis *a* ad *b*. Quodſi Cylindrus ſuper folio Rhodoneæ *eng* intelligetur, interſectio ejus cum ſuperficie ſphærica vel ſphæroidica Clœliam hancce producet. Patet exinde, Clœliam ſecundæ deſcriptionis ſolum in hemiſphærio aut in portione hemiſphærio minori formari poſſe. Utriusque vero deſcriptionis Clœliæ a duplici quoque motu produci poſſunt, perinde ac Rhodoneæ. Sed, ne nimis longi ſimus, videamus ſtatim, quænam de Curvis hiſce notatu digniora ſint. Et primo quidem numerus foliorum invicem diſtinctorum cujusvis Clœliæ eſt ad unitatem ut $2b$ ad a ut in Rhodoneis. Quodſi ratio a ad b ſit irrationalis, innumera folia Clœliam component. Ubi vero $a = b$ prodit in hemiſphærio Clœlia bifolia, quæ in prima deſcriptione idem eſt ac Carbaſum quadrabile, olim a *Leibnitio* determinatum in *Actis A. 1692 Menſe Junio pag. 275.* In ſecunda vero deſcriptione prodit portio iſta curvilinea, juxta quam feneſtras teſtudinis ſuæ aperiendas docuit *Vivia-*

nui,

nus. Quoad Quadraturam foliorum Clœliarum demonſtrat Cel. Autor, eas, quæ primæ ſunt deſcriptionis, abſolute ſemper quadrabiles eſſe. Quodſi enim diſtantia plani horizontalis ſecantis a vertice Sphæræ ſit $=P$, & $Q=$ quartæ proportionali ad b, a, & radium Sphæræ; ſemifolium Clœliæ oſtenditur æquari rectangulo ex P in Q; unde variæ deducuntur concluſiones. Circa Quadraturam Clœliarum ſecundæ deſcriptionis multa obſervantur notatu digna, quæ tamen huc transferri vix patitur ſpatii anguſtia. Quoad rectificationem Clœliarum, docetur in primis, qua ratione invenienda ſit peripheria Elliptica, æqualis Clœliæ ſecundæ deſcriptionis; ubi pulchram analogiam inter rectificationem Rhodoneæ & Clœliæ obſervare eſt. Jam enim diximus, cujusnam Ellipſis ſemiperimeter ſit æqualis perimetro folii Rhodoneæ; quodſi jam fiat Ellipſis, cujus ſemiaxes conjugati ſint, quarta proportionalis ad b, a, & radium Sphæræ, quæ dicatur B, & alia C, cujus Quadratum ſit æquale Quadrato B & Quadrato radii Sphæræ ſimul ſumtis; ejus ſemiperipheria exæquabit folium Clœliæ, prout Cel. Autor eleganter demonſtrat. Et hic quidem recenſioni præclariſſimi Tractatus finem imponere animus erat; lecta tamen Appendice, quæ novam pro inveniendis duabus mediis continue proportionalibus methodum continet, temperare nobis haud potuimus, quin iſtam exſcriberemus. Praxis autem Problematis eſt, quæ ſequitur. Sint datæ rectæ DE, DN, ex quibus fiat rectangulum $NDEF$, illique circumſcribatur circulus DKF, ac ſtatuantur omnia in plano verticali, ita, ut DN ſit horizontalis & DE verticalis. Extenſa vero ND verſus B, ut ſit $BD=DH=\frac{1}{2}DN$, erectaque perpendiculari BA, ad ipſam inclinetur ex D recta $DA=\frac{1}{2}DE=DP$; fixoque in A clavo, affigatur filum AQ, diſtentum plumbo Q, cujus longitudo ſit $=\frac{3}{2}DE=AD+DE$. Mox, ſtilo appoſito ad filum in B, paulatim adducatur ſtilus juxta lineam horizontalem BNI, promovendo ipſum filum, ut ſucceſſive poſitiones accipiat ADE, AHO, ANR, AIK, (tutius erit loco ſtili acum adhibere, cujus foramini filum inſertum ſit,).

TAB. I Fig. 4.

ſit). Ubi ergo plumbum *Q* filum diſtendens, & per *E* circularem aream ingreſſum inde exire cœperit ad punctum *K*, hoc ipſum ſignetur in circumferentia; nam, ducta *KL* parallela ipſi *DN*, erunt *KL*, *EL*, mediæ quæſitæ inter datas *ED*, *DN*. *Q. E. I.* *Demonſtratio*: Quoniam $AI+IK=AD+DE$, ablatis æqualibus IK & DL, fit $AI=AD+LE$; ergo $AI^2=AD^2+LE^2+2AD\times LE=AD^2+DI^2+2ID\times DB$; ergo $LE^2+2AD\times LE=DI^2+2ID\times DB$. Jam vero eſt $DN=2BD$, & $DE=2DA$; ergo $LE^2+DE\times LE=DI^2+DN\times ID$. Porro eſt $DI^2=DN\times DI+NI\times DI$; ergo $LE^2+DE\times LE=2DN\times DI+NI\times DI=2LM\times LK+MK\times LK=2LM\times LK+LK\times VL$, ob $VL=MK$. Porro eſt $DE=DL+EL$; ergo $DE\times LE=DL\times LE+EL^2$; quamobrem habebitur $2EL^2+DL\times LE=2LM\times LK+LK\times VL$. Ablatis jam rectangulis $LK\times VL$ & $DL\times LE$, quæ ob circulum æqualia ſunt, reſtabit $2EL^2=2LM+LK$, vel $LM\times LK=EL^2$; ergo $LK:EL=EL:LM$, vel, quia $LM=DN$, erit $LK:EL=EL:DN$. Rurſus, quoniam $DL\times LE=VL\times LK=LK\times MK$, erit $EL^2+DL\times LE=LM\times LK+LK\times MK$, quoniam modo oſtenſum eſt $EL^2=LM\times LK$. Eſt autem $LM\times LK+LK\times MK=LK^2$; ergo $LK^2=EL^2+DL\times LE=DE\times LE$; $DE:LK=LK:LE$. Igitur *DE*, *LK*, *EL*, *DN*, ſunt continue proportionales. Q. E. D. Notandum, Curvam *QEOK* a pondere *Q* deſcriptam eſſe hyperbolam æquilateram, cujus axis transverſus eſt $=2AB$.

PRÆLECTIONES DE CREATIONE MUNDI, in quibus quædam Leibnitii & aliorum opiniones examinantur, editæ a JO. GEORG. ABICHT, S. Th. D. & Prof. Publ. Prim. Conſiſt. Aſſeſſore, Paſtore, & Circ. Saxon. Sup. Gen.

Vitembergæ, impenſis Sam. Godofr. Zimmermanni, 1738, 4. Plag. 5.

Autor

S. Rev. Autor, *νῦν ἐν ἁγίοις*, Prælectiones ſuas obſignat epiphonemate: *Amicus* Plato, *amicus* Ariſtoteles, *amicus* Newton, *amicus* Leibnitius, *amicus* Wolffius, *ſed magis amica veritas.* In Præfatione *Leibnitium* arbitratur exſtitiſſe hominem, nonnunquam nimia ingenii judiciique fiducia a veritate digreſſum. Fabulam *Vallæ* de *Tarquinii Sexti* filio, *Apollinem* de ſua fortuna conſulente, ac in *Minervæ* adyta ducto, exiſtimat, quantum ad acceſſionem de ſalutato *Minervæ* adyto attineat, eſſe judicium *Fontenellii* de *Leibnitii Theodicæa.* Liceat autem nobis monere, duo hic eſſe notanda, unum de *Leibnitio*, alterum de *Fontenellio. Leibnitius* ipſe, quantum ad prius attinet, eſt illius acceſſionis autor in *Parte III Theodicææ §. 404 ſeq. Fontenellius* autem hæc in Vita *Leibnitii* tantum repetiit, tantum abeſt, ut voluerit augmento illius fabulæ judicium ferre de *Leibnitii Theodicæa.* Ejusdem videtur eſſe commatis, quod Cel. Autor *§. 73 pag. 34* dictitat, *Leibnitium* dicis cauſa ſententiam *Baylii* refutaſſe, innixus Epiſtolæ cuidam, a *Leibnitio* ad Cel. *Pfaffium* datæ. Novimus enim, quid B. *Jo. Chriſtoph. Colerus* in *Anthologia* reſponderit. Docet S. Rev. Vir, *æternitatem a nobis definiri haud poſſe*, Deum *in certo æternitatis puncto* libere creaſſe mundum, eumque in tempore perfeciſſe, & ipſum præterita cum futuris ac præſentibus ſine ulla ſucceſſione intelligere. Addit porro, eos, qui, materiam eſſe æternam, in quam Deus ab æterno operetur, ſtatuant, ſtatuere duo ſumma æterna principia, quorum alterum alteri haud ſubſit. Dum vero materiam illam fictam vocat *ſubjectum paſſivum*, nobis nondum licet intelligere, qua ratione ſubjectum ejusmodi paſſivum dici poſſit *ſummum* ac independens. Materiam ſolam per ſe & neceſſario ſubſiſtere, eam ob cauſam tradit eſſe abſurdum, quod motus & forma hujus univerſi (externa indubie) ſint in numero rerum contingentium. Alii ex contingentia virium finitarum, earumque reſiſtentium ſeu reagentium, id ipſum demonſtrare malunt. Argumentum illud, a contingentia mundi ductum,

Pag. 36.

Digitized by Google

Viro S. Rev. viſum fuit ſummi ponderis, cui quippe
inædificavit fundamentum tractationis ſuæ. Recenſet ille
deinde ſummatim opiniones veterum Philoſophorum de
coſmogonia, quas Autores ſocii Angli in *Hiſtoriæ uni-*
Pag. 7. *verſalis Parte prima* copioſiſſime expoſuerunt. Ipſe
deinde *Ariſtoteli* eam tribuit ſententiam, mundi nun-
quam exſtitiſſe exordium, mundum nunquam eſſe creatum.
Idem tradit, *Spinozam* fuiſſe Epicuræorum diſcipulum.
Mundum eſſe æternum, negat, rationem arceſſens ex ejus
8. contingentia. Genus humanum eſſe æternum, negat ex eo,
quod homines naſcuntur, & veteres, mundum divinitus
eſſe creatum, confeſſi fuerunt. Singulare eſt, Autorem
credere, axioma illud: *Eſſentiæ rerum ſunt æternæ*, ideo a
Platone & *Ariſtotele* fuiſſe aſſenſione exceptum, quod prior
finxerit, mundum intelligibilem eſſe æternum, poſterior au-
tem crediderit, mundum ſenſibilem eſſe æternum. En ejus
10. mentem, hiſce verbis expreſſam: *Eſſentiæ rerum nunquam
exiſtunt ſine earum exiſtentia.* Novimus alias, *Carteſium* ita
docuiſſe, ut ne videretur transſubſtantiationis dogma enerva-
re, quod cum eſſentiis rerum haud æternis mutabilibusque,
& ab exiſtentia varia dependentibus, ſatis concordat. Cre-
dibile nobis videbatur initio, Autorem Summe Rev. voluiſ-
ſe ſcribere: *Exiſtentiæ rerum nunquam exiſtunt ſine earum
eſſentia*; niſi idem ſtatim ſubjeciſſet: *Rerum eſſentiæ nun-
quam exiſtunt ſine exiſtentiis, quod Nominales Philoſophi
firmis rationibus probarunt. Quod vero* Thomas *&* Scotus,
eſſentias rerum æternas eſſe, dixerunt, id ex amore Ari-
ſtotelis *factum eſſe, puto.* Hinc ſequitur, nullum dari
triangulum in intellectu Dei, niſi re vera & extrinſe-
cus quoque triangulum exiſtat ejusmodi. Neſcimus fere,
an non prono alveo ex opinione Cel. Autoris profluat
doctrina de æternitate mundi. Eſſentiæ enim rerum fue-
runt ſemper in intellectu Dei, ideoque ſunt æternæ. Si
igitur eſſentia & exiſtentia ætate ſunt æquales, exiſtentia re-
rum, quarum eſſentiæ Deo fuere ſemper obviæ, erit quo-
que æterna. At ſuſpicari libet, notionem *eſſentiæ* Autori
eſſe

Digitized by Google

eſſe aliam ac nobis. Credit deinde, eo non ſequi, eſſentias eſſe æternas, quod *multæ res ſunt* (*) *poſſibiles, quæ actu non exiſtunt*, & quod vitium non poſſit ſimul eſſe virtus, ſed æternum diſcrepet a virtute. Propoſitiones identicas exigui uſus & momenti eſſe, opinatur. Negat, dari ſimplicia extenſionis expertia, &, hæc ex exiſtentia rerum compoſitarum demonſtrari poſſe, inficiatur. Addit: *Sed hoc ſequitur, dantur compoſita extenſa, ergo dantur ſimplicia extenſa, id eſt, atomi.* Si tamen ſtricte loquimur, *ſimplicia extenſa* conveniunt cum *indivisis multipliciter diviſis.* Monades tamen cogitantes, & eæ, quæ non cogitare valent, a doctoribus monadum ſatis diſtinguuntur. Addit Cel. Autor illud: *Monades* Leibnitii *non* Pag. 12.
ſunt probabiles. Docet deinde, *eſſentiam rerum contingentem* eſſe. Cum vero alii putabunt, hoc idem eſſe, ac triangulum poſſe eſſentiam trianguli retinere, & nihilo minus fieri quadrangulum poſſe, noſtrum eſt, ſuſpendere judicium, & hanc litem Scholaſticis permittere. Oſtenſum it deinceps, *mundum non eſſe machinam*, nec horologium cum mundo eſſe comparandum; tempus vel durationem mundi non eſſe ordinem ſucceſſivorum; mun- 13.
dum æternum eſſe eundem, ac eum, qui a Deo haud ſit creatus; animam non eſſe ſubſtantiam univerſi repræſenta- 14.
tivam pro ſitu corporis in univerſo; indifferentiam objectorum probare libertatis humanæ ſpecimina, vel potius arbitrii humani; principium rationis ſufficientis & indiſcernibilium conſiſtere haud poſſe cum libertate Dei; libertatem 16.
humanam conſiſtere in potentia interna agendi, quæ a nulla externa dependeat cauſa; illos, qui voluntatem moveri di- 17.
cant externis rationibus moventibus, loco libertatis introducere neceſſitatem. Addit poſthæc: *Ego dico, mundum non* 19.
eſſe puram machinam, ſed in ea locum habere liberas hominum actiones. Sed Clar. Wolffius *putat, mundum* (corporeum) *eſſe puram machinam, in qua actiones ex puro arbitrio productæ nullum locum inveniunt. Ego aſſero indiffe-*

 ren-

(*) Has res inter ſe connexas *Leibnitius* vocavit *mundos poſſibiles.*

Digitized by Google

rentiam, ut conſervetur juſtitia Dei; Clariſſ. Wolffius *negat indifferentiam, ut machina mundi conſervetur. Liberæ enim actiones non habent locum in machina* (corporea). *Judicet æquus Lector, quis noſtrum tueatur veritatem divinam.* Liceat tamen credere, eos, qui cum B. *Jo. Franc. Buddeo*, aliisque Theologis, nec infimi ſubſellii viris, *æquilibrii indifferentiam* a libertate hominum tuenda excludunt, juſtitiam Dei & veritatem divinam reliquiſſe ſalvam. Dicent alii, mundum corporeum aut eſſe machinam, aut animal, &, ſublato hoc caſu poſteriori, reſtare priorem. In ipſo Corpore Juris civilis *Juſtinianei* confertur facultas deligendi humana cum libræ momento, licet juſtitiæ civilis ibi plena ſint omnia. *Leibnitius* docuit, corpora agere ſecundum regulas mecha-
Pag. 21. nicas, ſpiritus ſecundum invitamenta logico-moralia. Noſter docet, *animam non agere ad modum machinarum, ſed ad modum entium rationalium, & libere agentium.* Ipſe requirit ad liberum animæ arbitrium, ut ipſa phyſice influat in corpus, & illud moveat, & eam ob cauſam rejicit harmoniam præſtabilitam, quaſi cum hac conſiſtere nequeat arbitrium animæ. Homines appetere bona, (licet ea ipſis ſæpe talia appareant,) & mala averſari, negat ob verſum furentis *Medeæ: Video meliora proboque, deteriora ſequor,*
22. & ob *Rom. VII, 15, 19, 23.* Sed nemo negat, hominibus ſæpius magis placere bona apparentia, quam ſolida & vera. *Bonum* a Cel. *Wolffio* definitur, *quod ſtatum noſtrum perficit.* Id eſt bonum verum. Sed idem largitur, hominem ſexcenties bonum ſequi imaginarium & apparens. Ipſe autem Autor id vocat bonum, quod in nobis aut voluptatem efficit, aut auget, aut dolorem minuit. Sed id ipſum eſt bonum vel verum, vel apparens. Addit Noſter: *Animam habere vires intelligendi, volendi, & corpus movendi, experientia teſtatur. Non exiſtimo, animam in ſe ipſa evolvere ideas rerum mundanarum; id enim nullo experimento probatur, & ex eo ſequitur, mundum præſentem nobis eſſe inviſibilem.* Progreditur deinde ad harmo-
23. niam præſtabilitam, eamque ſibi minus probari, argumen-

tis

tis haud contemnendis ſignificat. Id vero ex Hiſtoria Pag. 24.
philoſophica comprobari poſſe, negare liceat, quod inte-
xuit: *Animam agere in corpus, & corpus in animam, omnes*
antiqui docuerunt Philoſophi. Carteſius, *qui actionem ani-*
mæ in corpus, & corporis in animam, negavit, &c. *Carte-*
ſiani recentiores, licet non omnes, ita docuerunt, non
ipſe *Carteſius*. Nec negamus, influxus phyſici ſyſtema
eſſe facile & ſatis commodum, nulla abſurditate laborans,
licet nondum comprehendamus, qui illud quotidiana ex-
perientia ſtabiliatur. Modum enim commercii animam in-
ter & corpus, & ipſam unionem utriusque, nimis ignora-
mus. Id quoque conſectarii nobis non pateſcit: *Neceſſe*
eſt, ut animæ in corpus agant, actionesque humanas produ-
cant, alias neque Deus, neque magiſtratus, homines punire
poteſt. Pœnæ enim, earumque ſenſiones, in tribus ſyſtema-
tibus, quodcunque eligamus, manent ſalvæ. Syſtemata il-
la ſunt hypotheſes, non ſunt principia moralia. In nul-
lo eorum negatur, animam eſſe cauſam efficientem &
principium exigitivum actionum corporis, actionesque li-
beras imputari hominibus poſſe & debere. In ſingulis eo-
rum multum ineſt incomprehenſibile, ut in multis aliis
rebus phyſicis. Inde, quod mechaniſmus corporis in har- 28.
monia præſtabilita eſt incomprehenſibilis, Autor colligit,
illud eſſe rejiciendum, indubie largiturus, influxum quo-
que phyſicum eſſe incomprehenſibilem, ſiquidem corpus
in animam nec contactu, nec inflatu, agere poteſt. An Ill. 30.
Wolfius ordinarium & naturalem modum excitandi fidem
per verba audita concionis ſacræ neget, quemadmodum
Vir Cel. ſibi perſuadet, admodum dubitamus. Auditio
enim illa fit naturaliter, & ſecundum regulas mechanicas.
Vis vero verbi divini exſerit ſeſe in animo ſecundum *or-*
dinem regni gratiæ, quem Theologi exponunt. Procedit
porro Autor ad controverſiam de origine mali, ubi *Leib-*
nitium notat, qui nihil eorum inficiatus eſt unquam, quæ
hic ex hiſtoria lapſus *Adami*, creationis, regni gratiæ &
gloriæ, proferuntur. An Vir S. Rev. *Theodiceam* perle-

Digitized by Google

gerit, fere dubitamus, ſiquidem in Præfatione id *Fontenellio* tribuit, quod *Leibnitius* poſuerat in *Theodicæa*. Do-
Pag. 32. cet ipſe, *mala metaphyſica non eſſe mala.* Illa fuiſſe efficta a *Leibnitio*, addit, ut ex eis deduceret malum morale, ratus, ex illis haud neceſſario ſequi malum morale. At ſubjungere hoc liceat, *Leibnitium* ex finitudine originaria animarum humanarum deduxiſſe tantum *poſſibilitatem labendi in malum morale.* Quod enim humanum genus re vera lapſum fuerit in malum morale, id ex ſacris literis demum ac triſti experientia communi conſtat. *Leibnitius* ex infinito Dei intellectu, ſumma ejus bonitate, ſanctitate, & bonitate, collegerat, Deum creaſſe mundum, in quo, ſimul ſumto, cujus pars eſt regnum gloriæ & ipſe ſanctorum angelorum chorus, tantum boni inveniatur & contineatur, quantum a præſtantiſſimo & optimo Deo expeti poſſit, malum vero morale ex abuſu arbitrii humani exortum, a Deo autem ob rationes perfectionibus ſuis haud alienas permiſſum fuiſſe. Hæc eſt ſumma *Theodicææ*. Quare profani quoque homines ſolent jactitare, *Leibnitium* in gratiam
33. Theologorum iſthæc ita compaginaſſe. Noſter vero hæc ſubdit: Leibnitius *reſpondit, Deum, qui ſemper vult optimum, ex pluribus mundis* (poſſibilibus) *elegiſſe optimum, quod vero non probat, ſed ſumit.* Optimum hoc loco eſt idem ac ſcopo bono convenientiſſimum. Ex perfectionibus Dei facile patet, Deum non niſi convenientiſſima ſibi e pluribus poſſibilibus deligere. Recordamur ſimul eorum, quæ *§. 4 pag. 2* Autor propoſuit, ſcilicet mundi hujus formam, ordinem, diſpoſitionem, & partium motum, *alio etiam modo exiſtere potuiſſe*, & hunc mundum productum eſſe ex arbitrio entis *ſapientis* & potentiſſimi. *Leibnitius* hæc ita propoſuit: E pluribus mundis poſſibilibus Deus hunc elegit ſapientiſſimus, eumque optimum, ſiquidem ſapientiſſimus eligit ſcopo convenientiſſima, id eſt, optima. Differt uterque in modo loquendi, res utrobique eſt eadem. Conceſſit *Leibnitius*, a mundo optimo haud prorſus

Digitized by Google

ſus diſſidere & aliena eſſe mala moralia permiſſa. Id Pag. 34.
Noſter ita exprimit: *Supponit, optimum in ſuo genere mundum ſine malis eſſe non poſſe.* Utinam addita fuiſſent *Leibnitii* verba! Ut *Baylii* objectionem quandam obtundat Vir Celeberrimus, ſubjicit hæc: *Libertas hominis pertinet ad eſſentiam hominis, & non eſt gratia accidentalis.* Videtur hic eſſentiam exiſtimare quiddam immutabile, citra quod homo non poteſt eſſe dicique homo. Si quid liceat divinare, eſſentia hic prorſus alia intelligitur ac illa, quam ſupra *contingentem* & ideo mutabilem dixerat. Tandem S. Rev. Autor plures mundos poſſibiles negat, quos tamen fuerat largitus *§. 4 pag. 2* re ipſa, licet verbis aliis uſus. Subdit tandem Vir humanitate olim & muneris gravitate venerabilis: *Hac inter alia plurima negotia ſcribere licuit. Veritas divina me diſſentire jubet in his opinionibus. Sed meus diſſenſus nil derogat venerationi, quam meritis ſummorum Philoſophorum in rem literariam debeo. Libertas modeſte diſſentiendi in orbe literario merito locum retinet, quam mihi humanitas Virorum eruditiſſimorum non denegabit.* Qui candor, quæ ipſa humanitas, quod ipſum Viri Cel. favendi ſtudium, nos invitavit, ut eadem modeſtia nonnihil paſſim moneremus, rati, ipſi, ſi viveret, haud diſpliciturum eſſe amorem proximi excuſandi & defendendi, inviolato erga reliquos amore, ſiquidem modeſte diſſentire licet, & veritas divina docet, ne quis quid deterimenti etiam poſt mortem capiat, cum pro ſeſe amplius haud valet cauſam ſuam orare.

36.

DISSERTATIO EPISTOLARIS AD V. S. R. CHRISTOPHORUM AUGUSTUM HEUMANNUM, qua ipſi Natalem 56 gratulatur, atque ſimul de Eruditis, quibus dies natalis fuit fatalis atque ultimus, breviter commentatur, FRID. PETR. TACKIUS, V. D. M.

Gœttingæ, 1736, 4.

Plag. 2.

Eruditis, qui operibus immortalibus & haud deſituris vacant, de morte etiam cogitandum eſſe, prudens dictitat

Digitized by Google

tat & docet experientiæ magiſtræ norma & vox conſtans.
Ipſis enim dies natalis ſæpius fuit fatalis & morte plenus.
Cl. *Daniel Fridericus Janus* de hoc argumento ſeſe acturum
eſſe, promiſit in *Miſcellan. Lipſienſ. Tom. II pag. 642*,
ſed fidem datam adhuc non liberavit. Nonnulla tamen præ-
ſtitit *Theodorus Cruſius* in libro, *Vergnügung müſſiger Stunden*,
Tom. I Obſerv. 2 pag. 19, quæ ad hoſce ſpectant corymbos.
Omnia in ordinem redegit ac ſpicilegiis auxit Vir doctiſſimus
& Pl. Reverendus, *Tackius*, cui alia quoque ſcripta orbis de-
Pag. 6. bet literatus. *Joannes Asgill*, Anglus, ut oſtenderet, fieri
omnino poſſe, ut etiam in his terris homo mortem effugiat,
& corpore fiat immortalitatis compos, dummodo fidei in
Chriſtum innitatur heroicæ, omnibus modis contendit. Con-
fer *Relationes innocuas A. 1702 pag. 21.* Eruditi ipſo opere
comprobarunt & tenuerunt contrarium *Asgillio*, qui die ſuo
7. natali obierunt mortem. Ex ordine Theologorum huc re-
ferendi ſunt *Gregorius Magnus*, teſtis veritatis Evangelicæ,
Henricus Cardinalis, Portugalliæ Rex, *Georgius Schererus*, Je-
ſuita, *Dionyſius Vasquez*, Monachus Hiſpanus Ordinis Ere-
mitarum, & Doctor Theologiæ, *David Klugius*, Boruſſus,
Paſtor Hamburgenſis, *Erhardus Schnepfius*, & *Joannes a
Fuchte*. Ex ordine Jureconſultorum hic commemoran-
tur *Hermolaus Barbarus*, (ſed qui nunquam JCti nomen
12. affectavit,) *Petrus Francius*, importune cum *Jacobo Peri-
zonio* altercatus, *Joannes Hevelius*, Mathematicus, Con-
ſul Dantiſcanus, *Albertus a Mandelslo*, *Joannes Ulricus
Pregitzerus*, & *Petrus Pithœus*. Medicos huc transſcribimus
Proſperum Albinum, *Joannem Ludovicum Hanemannum*,
Joannem Hortenſium, D. *Martinum Gotthelf Læſcherum*.
15. Inter Philoſophos non omittimus *Platonem*, *Antipatrum Si-
donium*, *Orontium Finæum*, *Paulum Didymum*, & *Wolfgan-
gum Caſparum Printz*. Gratulamur Autori doctiſſimo
vitam huc usque placide transactam, comprecantes ei dies
in poſterum & multos & jucundos. Imponimus vero hiſce
finem addito verſiculo:

Ad finem ſi quis ſe parat, ille ſapit.

* * *

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio V.

INTRODUCTION A L'HISTOIRE UNIVERſelle, &c.

hoc eſt,

INTRODUCTIO IN HISTORIAM UNIVERſalem, complectens originem, progreſſum, viciſſitudines, & ruinam, Monarchiarum, primariorum regnorum, rerumque publicarum, inde ab orbe condito usque ad Imperii Romani in Occidente deſtructionem & finem, addita ſupputatione chronologica, Autore DANIELE THIENPONT, Sacerdote.

Tomi II,

Bruxellis, impenſis Joannis Leonhardi, 1736, 4.

Tom. I Alph. 2 plag. 17, Tom. II Alph. 2 plag. 9.

Cum Hiſtoriæ ſtudium ſit & utile, & amœnum, & tam ad prudentiam ſenſim inſtillandam accommodatum, quam ad perfectiones Dei cognoſcendas, ejusque potentiam, ſapientiam, & juſtitiam, intelligendam, idoneum; Autor Pl. Rev. id ipſum non ſolum agnovit, ac in Præfatione expoſuit, ſed tractationem ipſam quoque hiſtoricam ad hunc finem ediſſerendum direxit, prædicandus eo nomine, quod Geographiæ & Chronologiæ præſidia paſſim ita adhibuit, ut Lectori faciliorem de re-

Digitized by Google

bus ipſis & eventis earum notitiam inſtillaverit. Chronologiam Codicis Ebraici ſequitur, licet eos non faſtidiat, qui ſeptuagintaviralem ampleċtuntur. *Tomo primo* exponuntur varia, quæ *Capitibus quinque* comprehenduntur. *Caput primum* eſt chronologicum. Eo enim exhibetur ſupputatio, a condito mundo ad natalem Jeſu Chriſti deducta, & in ſex epochas diſtributa, primam ab exordio hujus univerſi usque ad diluvium, ſecundam a diluvio usque ad *Abrahami* vocationem, tertiam a vocatione *Abrahami* usque ad exitum ex Ægypto, quartam ab illo exitu usque ad initia templi Salomonei, quintam ab illius templi initiis usque ad Judæorum exilia, ſextam a Judæorum inde exilio usque ad natalem Jeſu Chriſti. *Caput ſecundum* æque eſt chronologicum, quo de originatione vocis *Æra*, de *Olympiadibus*, de *anno Juliano*, de *Æra vulgari*, & de *Epochis*, agitur. *Capite tertio* diſſeritur de exordio mundi, de annis filiorum *Noachi* quaquaverſus diffuſorum, de Monarchia Aſſyriorum, de *Cyro* & Monarchia Perſarum, de Regibus Macedoniæ ante *Alexandrum Magnum*, de Monarchia Græcorum, ſeu de *Alexandro Magno*, de diviſione terrarum *Alexandro* ſubditarum, de Regibus Macedoniæ poſt *Alexandrum Magnum*, de Regibus & Aſiæ & Ægypti & Syriæ poſt *Alexandrum* eundem. Regibus vero illis, Ægypto dominatis, præmittuntur antiquiores etiam, qui regno præfuerunt, principes. *Capite quarto* exponitur de potioribus regnis & rebus publicis Græcorum, de regno Argolidis & Mycenarum, Corinthi, Spartæ, ſeu Lacedæmonis, Athenarum, & Lydiæ, atque Tyri & Sidonis. *Quintum* complectitur rempublicam Hebræorum, ductores, & judices, & Reges eorundem, Reges Judæ & Iſraelis, ſummos Judæorum Pontifices, familiam & gentem Maccabæorum, Reges Judææ ultimos, rempublicam Carthaginenſium, regnum & everſionem Trojæ. *Tomo II* continentur res Romanorum a prima origine usque ad *Auguſtulum*, ſed citra Capita, Sectiones, & partitiones. Si ſtilum ſpectes, in eo omnia terſa, plana, compoſita, & apte fluentia. Ratio tractationis ſatis eſt coagmentata

& con-

Digitized by Google

& connexa, ſed nec ſatis in partes minores diſtributa, nec teſtimoniis ſcriptorum coævorum roborata. Charta eſt nitida. Index ſua accuratione ſeſe commendat. Hæc ad naturam libri externam. Ut judicare Lector poſſit etiam de nucleo, ſpeciminis loco nonnulla inde dabimus decerpta.
Singulares hæ Autoris ſunt ſententiæ. Interpretes Græcos, Tom. I
vulgo LXX, exſtitiſſe numero 72. Probabile eſſe, contextum Pag. 2.
& Ebraicum & LXXviralem Vet. Teſt., quantum ad Chronologiam attinet, eſſe corruptum & mutatum. Verſionem Vet. Teſt. vulgatam ex Concilii Tridentini norma in lectione
publica & in cathedra eſſe avthenticam. Quatuor millia an- 4.
norum ab origine mundi ad Chriſti natalem eſſe circiter
elapſa. Cainanem in genealogiam Chriſti fuiſſe intruſum, 8.
& recte a *Gen. XI, 12,* & *1 Par. I,* abeſſe, quia *Joſephus*, *Arphaxadi* filium fuiſſe *Salam*, aperte docuerit *Antiq. Jud. I, 6.* Poſſe vero contradictionem inter LXX & textum Ebraicum ita enodari, ut Cainanem inſeruerint interpretes Ale-
xandrini vel ex inſtinctu divino, vel ex traditionis via. Tem- 9.
pus habitationis Iſraelidarum in Ægypto determinat calculo annorum 215, ac annos illos 430, commorationi eorum Ægyptiacæ attributos *Ex. XII*, credit extendendos eſſe ad complectendum ſimul tempus, in Cananæa ab eis transactum,
ob teſtimonium *Pauli*, qui 430 illos annos a prima promiſ- 1.
ſione exorditur *Gal. III, 17.* Sed *terminus a quo*, quem vocant, apud *Paulum* non eſt adeo clarus, ut Autori videtur.
Ipſe in enodandis illis 480 annis, ab exitu Iſraelidarum ad 12 ſeq.
finitam templi *Salomonei* ædificationem computandis, admodum eſt multus, ratus, notam temporis, qua quies terræ deſignatur, intelligendam eſſe per numeros ordinales, licet in Ebræo poſiti ſint cardinales. Hac ratione ab exitu Iſraelidarum usque ad fundamenta templi a *Salomone* jacta com-
putavit annos 479. Exponit deinde calculum chronologi- 15.
cum, per annos Regum Judæ, Babylonis, Perſiæ, *Alexandri M.* & Conſulum Romanorum, usque dum attingit Chriſti natalem. *Capite ſecundo* differit de variis Epochis. Epocham
Seleucidarum ponit in duodecimum annum a morte *Ale-* 25 ſeq.

 xandri

Digitized by Google

xandri M. annumque ab orbe condito 3602. Autores libro-
rum de Maccabæis adhibent eam, Autor prioris libri an-
num exorditur a vere cum Judæis, Autor poſterioris cum
Chaldæis ab autumno. De Olympiadibus, ludis Olympicis,
de periodo Juliana, quæ complectitur annos 7980, de anno
Juliano, de Æra vulgari, deinde agit ſatis compendioſe.
Oſtendit perfunctorie, Æram Chriſtianam quatuor vel quin-
que annis eſſe contractiorem juſto, ſi more ſolito ad hiſto-
riam, quam de *Herode Magno Joſephus* tradidit, provoce-
Pag. 31. tur. Ipſe vero, ad *Lucam III, 23,* potius refugiendum
ratus, Chriſtum, 29 annos natum, ſacro imbutum fuiſſe
lavacro credit, quo ipſo æram *Dionyſianam* ſeſe ſtabiliviſſe
arbitratur. Eos quoque teſtimonio *Suetonii Taciti*que refel-
lit, qui, *Tiberium* ſocietate imperandi per 4 vel 5 annos
cum *Auguſto* ante obitum hujus gaviſum eſſe, ſibi perſua-
dent. *Capite* demum *tertio* hiſtoriam creationis hujus uni-
verſi exponere aggreditur. De Aſſyriorum, Medorum,
& Babyloniorum, Regibus antiquiſſimis diſſerit ſuccincte.
69 ſeq. Monarchas Perſidis a *Cyro* ad *Darium Codomannum* copio-
ſius perſequitur, nihil eorum omittens, quæ in ſcriptis te-
ſtium idoneorum de eis leguntur. Facta enarrat ita, ut ju-
dicio pragmatico abſtineat. Ecbatana, ubi *Cambyſes* gladio
ſponte evaginato interiit, non in Syria cum Autore, ſed
ad littus Palæſtinæ prope Carmelum montem, eſt locanda.
74. Hebdomadas annorum LXII, a *Daniele* commemoratas, ex-
86. orditur a 20 anno regni *Artaxerxis Longimani.* Regibus
Perſiæ exſtinctis, *Alexander Magnus* primarium orbis im-
100. perium capeſſivit. De Regibus Macedoniæ, qui ante *Ale-
xandrum* illum floruere, exponit idem poſtea. De *Philip-
105. po, Alexandri* parente, fuſius tractat. *Alexandri Magni* fa-
cinora amplis verbis exequitur. Tabulas genealogicas paſ-
108 ſeq. ſim inſeruit. Et, cum de Regibus Macedonum, *Alexan-
drum* ſecutis, Ægyptiorum, Aſiaticorum, & Syrorum, com-
271. mentatus eſt, *Capite quinto* de Hebræorum republica agit,
de Judicibus Regibusque exponit, ſummos Sacerdotes ſub-
379 ſeq. jungit, de Maccabæis diſſerit, Herodianos illuſtrat, ac de
Car-

Digitized by Google

Carthaginenſium republica exponit, haud ſecus atque de Regibus & excidio Trojæ. Quo facto, ad *Tomum II* Pag. 434 ſeq. adornandum, & eadem methodo luci publicæ offerendum, procedit. Eo ipſo complexus fuit omnem hiſtoriam Romanam, inde ab ejus origine usque ad interitum *Romuli Momylli*, ac Imperii occidentalis per *Odoacrum*, Herulorum Regem, everſione. Plane & perſpicue expoſita ſunt potiora capita, & ſcriptoribus optimis, quos fontium loco habere ſolemus, congruenter ſatis. Genealogia *Gratiani* 47 ſeq. *& Theodoſii M.* Imperatorum operoſe fuit in tabulam relata. Non eſt, quod diſquiſitiones criticas, judicia intexta, Geographiæ momenta accuratiora, aut excitata Scriptorum teſtimonia, hic quæras. Antiquitates Romanas Autorem eximie callere, paſſim apparet. Genealogia Regum Romanorum ſuo loco exſtat. Haud equidem ubique eandem cum Autore in rebus minoris momenti fovemus ſententiam; nec tamen eidem laudem induſtriæ & eruditionis dubiam reddere conamur. Quin potius eidem fœtum hunc, propitia ſorte editum, gratulamur, adjectis precibus, ut in poſterum otii ſui horas ſimilis generis eruditis laboribus impendat.

VIES DES PAPES ALEXANDRE VI ET LEON X, par Monſieur D. B.

hoc eſt,

VITÆ PONTIFICUM ROMANORUM, Alexandri VI & Leonis X, Autore D. B.

Londini, typis Samuelis Hardingi, 1737, 8.

Plag. 9.

Utraque hæc vita Appendicis vel Mantiſſæ loco adjuncta fuit *Hiſtoriæ Juris publici eccleſiaſtici Gallici*, eodem ab Autore ibidem in publicam lucem emiſſæ. Videtur ipſe ideo virium ſuarum in Hiſtoria Papali exercendarum hic feciſſe periculum, ut judicium reipublicæ literariæ prius exploraret, quam ad plura edenda progrederetur. *Alexandrum VI* ad vivum delineaturus, ita dicere orditur: *Fruſtra quæri-*

Digitized by Google

mus in hiſtorica & mythica rerum commemoratione Principem,
Pag. 5. *cujus crimina in comparationem adduci poſſunt cum crimini-*
bus hujus Pontificis. Licet enim doctrinam religionis vix
violaverit, ſeſe tamen turpiſſimis monſtroſiſſimisque commacu-
lavit vitiis. Ac tuto licet affirmare, ignoraturos eſſe homi-
nes, ſi commemoratio ejus una cum ipſo fuiſſet exſtincta, ad
quemnam gradum improbitas hominis corrupti & malitioſi
progredi queat. Alexandri deinde familia, ortus, educatio,
7. dignitates, recenſentur. Electus ipſe fuit Papa A. 1492 d.
2 Aug. ſecundo Conclavis die. Ab electione ejus ſuſpicio-
10. nem Simoniæ Noſter profligat. Huſſitas *Alexander* ad ec-
cleſiam ſuam reduxit multos, Maurosque ut *Ferdinandus*
Catholicus ejiceret ex Hiſpania, conſilio effecit. De con-
14. cubina liberisque ejus diſſeritur inprimis ſtudioſe. *Cæſar*
Borgias certe exſtitit inſignis nobilisque nequam. In gra-
tiam *Lucretiæ* filiæ nil improbitatis omiſſum. An parens
20. cum ea rem habuerit, Autor dubitat. Contra *Carolum VIII*
egit cum Turcorum Imperatore, quod tamen ipſum Autor
in dubium revocat. Ad minimum Papa molitiones *Caroli*
Italicas reddidit irritas. Dein Colonnis & Urſinis deprimen-
24. dis multum operæ impendit. Secundus Papæ filius occi-
dendum curavit natu maximum, ſi famæ credimus, quam
26. Noſter judicat vel fallacem, vel incertam. De *Savanarolæ*
exitu egregie diſſerit *pag. 29 ſeq. Ximenii* vitam exponit co-
pioſe *pag. 36 ſeq.* Inde ſeſe convertit ad fœdus Papæ cum
39. *Ludovico XII* initum. Purpuratorum curiæ Romanæ Pa-
trum, ſimulatque defuncti eſſent, bona cedebant ærario Pa-
41. pæ. Quare tum ditiores morti promtæ fuerunt dati. Du-
cis Valentinienſis, ſeu *Cæſaris Borgiæ*, indoles ac agendi ratio
eleganter explanatur, viri quippe conſilio manuque egre-
gii, vigilantis, atque ad parta tuenda aptiſſimi, crudelita-
tem & perfidiam in ſubſidium ſæpiſſime vocantis. Homi-
44. cidia & venena in promtu erant patri ac filio. Utrisque
perimebant *Urſinorum* gentem illuſtriſſimam. Papa ac libe-
ri ipſius ſcortationes inauditas ac obſcœnas voluptates adeo
47. amarunt, ut verecundia eas ſignificari vetet. *Ludovico IX,*
Nea-

Digitized by Google

Neapolitanum occupaturo regnum, nemo impenſius obſtitit, quam *Alexander VI*, oblitus auxilii, per quod *Cæſar Borgias* Ramandiolam tenebat. Artibus hisce obviam ibat Galliarum Rex interventu transactionis, cum Hiſpano factæ. Pag. 51.
Sed nihilo minus ei illudebat Papa, eumque Neapoli privabat. Papa tandem venenato vino peribat, quod miſcuerat ditioribus purpuratis pecunia emungendis. 59.
Quem exitum Noſter defendit contra ſecus ſentientes. De cetero ipſius indolem agendique rationes comparat cum illis, quæ *Catilinam* reddiderunt execrabilem. Succedit vita *Leonis X*, 61.
admodum pragmatice ſcipta. Jucunda ſunt, quæ hic de *Concordato* ecclesiaſtico, *Leonem* inter & *Franciſcum I* confirmato, & copioſe & cohærenter diſſeruntur. Autor anonymus, qui nuper Gallice ſcripſit *Hiſtoriam Paparum*, falſe riferat *Leonis X* decretum Lateranenſe, contra mortalitatem animæ, a Philoſophis doceri cœptam, promulgatum. Cu- 91.
jus Autoris judicium Noſter leviter reprehendit. Epiſcopis conceſſit *Leo X* in Concilio Lateranenſi poteſtatem quotannis viſitandi monaſteria virginum ſacrarum, immediate ſedi Pontificiæ ſubjecta. Familiæ autem ſuæ ultra mo- 93.
dum favit. Luxum faſtumque in eo accuſat Noſter, otiandi & literis ſeſe immergendi ei exprobrat cupiditatem, 101 ſeq.
quacum fuerit vacuitas a curandis rebus ad religionem ſpectantibus conjuncta. Reformationem, in Saxonia cœptam, derivat ab invidia *Auguſtinianorum*, qui olim quæſtura indulgentiarum fuerint gaviſi, quorum in locum *Albertus* Archiepiſcopus ſubſtituerit Dominicanos; *Staupizium* 109 ſeq.
eam ob cauſam *Lutherum* ad indulgentias perſtringendas animaſſe; vindictam illam fuiſſe & injuſtam & pernicioſam; *Lutherum* in ſuggeſtu fuiſſe præſtantiſſimum Oratorem, cui nil niſi moderatio defuerit, ac hoſtes ſatis diſerti ſolidique; *Leonem* motus in Saxonia accenſos nauci æſtimaſſe, nec ſuo ſatisfeciſſe officio; Cardinalem *Cajetanum*, olim 113.
Dominicanum, *Luthero* fuiſſe ſuſpectum, & ad haſce res tractandas inhabilem; *Leonis* fuiſſe, abuſus quæſturæ illius tollere. Omittimus alia. Ut verbo dicamus, Autor *Lutheraniſmi*

niſmi originem philoſophice & politice exponit, Pontifi-
ciæ religioni addictus, ac tramitem ſpiritumque *Curajerii*
Pag. 118 ſeq. ſecutus, ni ipſe Autor hujus Biographiæ, quod ſuſpicamur,
exſtiterit. Additur compendium doctrinæ, quam *Luthe-
rus* primo ac deinde patefecit, a Pontifice averſus, & ima-
go *Lutheri*, qualis hic ſiſtitur, eſt ejusmodi, ut ipſum ab
124. audaci & furioſo Autor vix diſtinxerit. *Calvinus* e contra-
125. rio ei longe præfertur. *Leo* tandem repræſentatur tanquam
ſapiens & prudens Princeps, ſed qui negligentem & mi-
nus accuratum egerit Pontificem Romanum.

DELLE SUCCESSIONI INTESTATE IN ORDINE alle Leggi, ed' uſi del foro di Verona, &c.

hoc eſt,

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO ſecundum leges, & uſum fori Veronenſis, Liber, adornatus a DOMINICO MICHELI, Advocato.

Veronæ, typis Dionyſ. Ramanzini, 1732, 4.

Plag. 20 ½.

Dedicatus eſt hic liber clariſſimo Collegio Judicum Ad-
vocatorum Veronenſium, in qua ſcribendi cauſas Au-
tor expoſuit, laudesque iſtius Collegii; quod hanc ob rem
non dubitavit duos ex Judicum numero mittere, qui Autori
gratias agerent. In Præfatione breviſſimis inſtituti ratio-
nem docet; poſtea vero ipſa Statutorum Veronenſium &
Venetorum verba de ſucceſſione ab inteſtato exhibet; at
paſſim leges etiam civiles Romanas in medium affert. Opu-
3. ſculum conſtat *Capitibus XV*, quorum *primum* de compu-
tatione graduum, *alterum* de ſucceſſione ab inteſtato, vulga-
13. ria & generalia tradit. In *Capite tertio* ſucceſſio deſcenden-
18. tium maſculorum agnatorum ſolorum; in *quarto* autem ſuc-
ceſſio fœminarum deſcendentium ſolarum, ex præſcriptis in-
20. primis legum civilium, proponitur. Leges Venetæ cogna-
tas a fœminis agnatis excludi volunt; ſed Statuta Veronenſia
iſtas

ſtas admittunt, ſi matres earum dotem ab adſcendentibus non acceperint; dotata enim aut conferat dotem, aut ſe abſtineat hæreditate. Quid juris obſervetur, ſi mares & fœminæ ſimul ſuccedant, *Cap. V* monſtrat. Scilicet id agunt ubique Statuta Veronenſia, ut familiæ conſerventur, ideoque *Lib. II Cap. 55*, ſi maſculi agnati adſint, fœminæ aliqua ratione a ſucceſſione adſcendentium excluduntur. Ita frater, cum ſorore una concurrens, quadrantem; cum duabus, beſſem; cum pluribus, ſemiſſem, hæreditatis paternæ capit; ſin plures fratres & ſorores hæreditatem petant, illis dupla ſororum portio tribuitur. Præterea ex *Statut. Venet. Lib. IV Cap. 25* filii ſoli ſuccedunt in rebus immobilibus. In *Cap. VI* diſputatur de legitima, ejusque diviſione; in *VII* pergitur ad ſucceſſionem adſcendentium ſolorum. Id ſingulare tenet *Statut. Venet. Lib. VI Cap. 54*, ne mater ad filii hæreditatem accedat, niſi ad fiſcum repellendum; ex legibus autem Veronenſibus matri ſextans relinquitur, patre decuncem capiente. Avus paternus, tanquam agnatus, jure ſuo poſcit beſſem; mater, qui ſupereſt, trientem. Avia tamen paterna & avus maternus æquis partibus potiuntur, quia conditio maſcula ſine cognatione nullo gaudet privilegio. Qua ratione collaterales agnati ad ſucceſſionem vocentur, diſcimus ex *Cap. VIII.* Fratres germani & conſanguineos & uterinos repellunt; immo prorſus fere arcentur uterini, cum ſoli fiſco præferantur. Fratrum filii cum patruis & inter ſe in ſtirpes ſuccedunt, excluſis fratrum nepotibus, qui ſi ſoli adſint, hæreditas abit in capita. *Cap. IX* continetur ſucceſſio agnatarum & cognatarum ſolarum, de quibus jam in *Cap. VI* nonnihil proditum fuit. Si mares & fœminæ concurrant, *Cap. X* ſtatuit, ut agnati mares, qui intra tertium gradum conſiſtunt, portioni fœminarum duas tertias decerpant, ſibique vindicent, ob jus agnationis; hoc enim deficiente, nihil poteſt maſculus fœminis adimere. In *Cap. XI* ſiſtitur ſucceſſio collateralium marium & fœminarum diverſi matrimonii; & in *XII* ſucceſſio collateralium & adſcendentium marium & fœminarum, ex quo notare liceat,

Pag. 27. 29. 39. 57. 65. 70. 86. 94.

 ſi pa-

Digitized by Google

ſi parentes & frater defuncti concurrant, matrem non niſi nonam hæreditatis partem capere. Argumentum *Capitis XIII* complectitur reliqua ſucceſſionis ab inteſtato genera, v. g. filiorum illegitimorum, monaſteriorum, fiſci. Leges Venetæ filios, per ſubſequens matrimonium legitimatos, ſolis parentibus ſuccedere volunt, eosque arcent a fideicommiſſis, niſi ſint diſertis verbis vocati. In *Cap. XIV* oſtenditur, rationem ſuccedendi ab inteſtato eſſe inſtar normæ in dividendis fideicommiſſis, ac denique *Cap. XV* tractat de morte certa & probabili, legesque Veronenſes eum pro mortuo habere affirmat, qui 40 annos abeſt. Ceterum omnia diſtincte Autor propoſuit, eaque tam luculentis ſtemmatibus illuſtravit, ut res permultis tricis impedita hic ſatis explicata videatur. Id unum, quod indoli legum antiquorum Germanorum maxime convenit, adhuc generatim monemus, moribus Veronenſium fœminas in omni fere ſucceſſione ab inteſtato maribus conditionis eſſe deterioris.

Pag. 119.

SANCTIS ZARINI, MEDICO-CHIRURGI Ordinarii Civitatis Prati, de Curatione per ſanguinis miſſionem Libri quatuor, ad Illuſtriſſimum Dominum D. PETRUM MARIAM BARDIUM, ex Comitibus Vernii.

Lucæ, typis Sebaſtiani Dominici Cappuri, 1732, 4.
Alph. 2 plag. 20.

Phlebotomiam Cl. Autor duplici ratione conſiderat, tanquam operationem chirurgicam, & tanquam remedium, quo corpus efficaciſſime evacuatur. Docentur ante omnia Chirurgi, qua methodo ſecanda ſit vena, quæ non tantum legitime, ſed & eleganter, incidenda eſt, tribuendumque aliquid ornatui ſupellectilis, qua vel infligitur, vel obligatur, vulnuſculum. Ipſorum, quibus evocandus eſt ſanguis, hominum conditiones, ætates, ſexus, dignitates, diſpiciendæ ſunt ante omnia. Situs etiam, in quo, ut commode vulnuſculum recipere poſſint, collocandi ſunt ægri, declaratur. Supinos magis, quam erectos, eſſe decet, & eo usque totius operationis ambitus curare

rate adornatur, ut etiam jubeatur Chirurgus ſub ingreſſu ad infimum, capitis & humerorum profunda demiſſione ſalutem impertiri, pileum palliumque ponere, & manicillis ſpoliare manus. Vena, tanquam operationis objectum, eſt canalis, ſanguinem arteriarum vel per anaſtomoſin, vel per carnis intermedios poros, hauriens, & verſus cor ablegans, inſtructus quatuor tunicis, nervea, vaſculari, glanduloſa, & muſculari. Diametrum internam dividunt in intervalla valvulæ ſigmoideæ, vel ſemilunares. Præmiſſis generalibus, ipſum, quod ſibi agendum ſumſerat, Autor negotium exequitur. Nempe hiſtorias ex omnibus Autorum monumentis, antiquis æque ac recentioribus, colligit, easdemque ſic disponit, ut ſtatus quidam præternaturalis, ex inſpectione ſanguinis a principe aliquo Medico judicatus, morbus aliquis miſſo ſanguine curatus, allegetur. Adducuntur rerum a vena male ſecta eventus: arteriarum vulnera, nervorum puncturæ incautius inflictæ. Tendines a phlebotomo inciſi in quem ſtatum ægrum conjecerint, explicatur. Quadruplex ſanguinem mittendi ratio, quæ venæ vulnusculo, hirudinibus, cucurbitulis, & ſimplici ſcarificatione, celebratur, hinc explicatur uberius. Narratur ſanguis viſus fuiſſe lacteo colore, aliquando peſtiferis intenſius fœtuiſſe, ut adſtantes etiam ſiderati ab inſpirato gravi odore conciderint. Vermis in ſanguine iſchiadici comparuit; lapillos etiam, arenam, & ſabulum, aliquando evomuit ſaliens vena. Iis, qui venenum ſumſerunt, inſtar viridis herbæ ſucci ex vena ſecta profluere ſanguinem, obſervavit *Cardanus*, qui & luteus aliquando obſervatus fuit. Frigidus emanavit cum certiſſimo mortis indicio, nec tamen ſemper, ſi ille in vaſe non concreſcat. Lethale id ſignum eſt, ſed, in ſalutem id ceſſiſſe, obſervatum quandoque fuit. Inſtrumenti phlebotomi ſelectus ad miſſionem ſanguinis multum facit; unde de ejusdem forma & teneritate, quod ad cuspidem, quam deceat pileatam eſſe ſecundum *Avicennam*, quædam adducuntur, allatis exemplis, quæ ex improvida ſectione funeſta evaſerint. Quibus in morbis ſalubre vel periculoſum ſit, ſanguinem mittere, confirmatur exemplis. In mor-

 bo

bo regio, ſi ſanguinis ex naribus jam ante fuerit ſtillicidium, funeſta fuit venæſectio, ſed & neglecta lethalis cuidam poſt acceptum ictum calcis a calcitrante equo. Pleuriticis, pure jam maturo per os rejecto, parum utilis ſanguis miſſus extitit. Quibus nondum purgato corpore vena ſecta fuit, ut & illis, qui uno tempore in diverſis partibus ſanguinem miſerunt, ex voto res haud ſucceſſit, ſicut & intempeſtiva venæſectio in febre continua mortem acceleravit. Aliquando in ipſius ſectionis adminiſtratione peccatur a Chirurgo, ſi locum venæ non ſelegerit, quæ periculo non caret, ſi arteriis nerviſque propius accumbat, quandoquidem inde a vulnerata arteria factum fuit anevriſma. Copioſiora iſtius rei adducuntur exempla, & ipſius anevriſmatis curatio, faſciis idoneis, lamina plumbea, & adſtringentibus remediis, ſi recens fuerit, ſectione autem, ſi inveteraverit, inſtituta, annectitur. Nervi ac tendinis punctura ex imprudenter inflicto lanceola vulnere magni ſemper momenti res viſa fuit, eo quod immanes cruciatus & præſentanea inflammatio ſubſequatur. Suadetur, ſi nervus punctim vulneratus fuerit, cutis diſſectio ſupra nervum, quo & ſanguis, ſub cute collectus, evacuetur, & remedium per vulnus propius accedat. Curioſiſſimæ ſunt iſtæ, ex probatiſſimis Autoribus excerptæ, obſervationes de vaſculis lymphaticis venæ ſectione ruptis, ex quibus aliquando ſat ingens limpidiſſimi ſeri copia effluxerit. Solenne ſcilicet eſt, in vicinia venarum magnarum magna reperiri vaſa lymphatica, quæ haud raro ſuper venam ipſam decurrunt; unde mirum non eſt, eadem aliquando ſauciari, cum difficili ſane fluxus iſtius obſtipatione. Aſt, quibus in morbis quæ venæ ſecandæ ſint, ſcire multum expedit. Allegantur Autorum placita. Liene affectis ſecta ſiniſtræ manus prope annularem vena, ſicut pleuriticis oppoſiti lateris miſſio, prodeſt. Suadetur potiſſimum illarum venarum ſectio, quæ ipſi parti affectæ propriæ ſunt, aut quam proxime ad eandem accedunt. An ſenibus ſit mittendus ſanguis, quæritur, nihilque impedire aſſeveratur, ſi floridi fuerint, robuſti, pulſumque experiantur magnum; aſt, parum detrahendum

eſſe

eſſe ſimplici vice, & repetendam potius eſſe venæ ſectionem, monetur. Pueros & adoleſcentes ante decimum quartum annum venæſectione interdixit antiquitas, ſed noſtri temporis mos eſt, nulli ætati parcere. Vix recens nati a lanceola immunes ſalvique permanent. Colliguntur ex *Hippocrate* & *Cornelio Celſo* ac recentioribus, qui venæſectionem pro morborum diverſitate adminiſtrandam docent, aphoriſmi, non quales eſſe debent, ſed quales in Autoribus habentur. Sic ex *Arnoldo Villanovano*, ejusque libro *de regimine ſanitatis*, ſequentes excerpuntur:

In æſtate octava hora, in hyeme meridie, eligantur Phlebotomiæ.

In prima quadra Lunæ juvenes, in ultima quadra ſeniores, minuant.

In prima quadra phlebotomandi ſunt ſanguinei, in ſecunda cholerici, in tertia phlegmatici, in quarta melancholici.

Si Luna ſit in ſigno habente adſpectum malum ad aliquod membrum, non fiat phlebotomia de illo membro.

In Ariete caput, in Geminis cubitus, in Cancro mediana, in Sagittario crus, in Aquario tibia, in Piſcibus pedes, vitentur. Cetera membra tuto ſecantur ; & ſi qua ſunt reliqua ad ſuperſtitionem compoſita.

Confirmatur res uberius ſelectiſſimis curationum hiſtoriis, quibus, morborum levamen a rite adornata venæſectione ſubſecutum fuiſſe, intelligitur. Videas ſelectiſſimas ſanitatum tabulas, quibus morbi cauſa breviter explicatur, &, a vena ſecta ſalutem datam fuiſſe, innuitur, Epilepſia, Rhevmatiſmi, Apoplexiæ ſanguineæ, apparente ſpuma oris cruenta, Tabes, Abortus, Pleuritis, ſævus Lienis dolor, Hepatitis, Mictus ſanguinis, Cordis palpitatio, Angina, Urinæ ſuppreſſio, Paralyſis, Aphonia,

Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,
Promtius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno. Juvenalis.

Aſt operæ etiam pretium viſum fuit, de reliquis ſanguinem

evacuandi modis diſſerere. Cucurbitæ ſuccedunt in locum venæſectionis, eandemque, ſi admitti ob varias rationes non poſſit, ſupplent. Licet enim cucurbitæ quædam applicentur incruentæ, quas ventoſas appellant, ideo, quod ſecundum *Avicennam* ventoſitati inteſtinorum, ſi umbilicali regioni applicatæ fuerint, medeantur; plerumque tamen prævia ſcarificatione cucurbitæ cum multa flamma vulnuſculis in cute ſcalpello factis applicantur ad ſanguinis quantitatem proliciendam. Antiquiſſima iſthæc ſanguinem eliciendi ratio, & *Hippocrati* jam decantata, omni tempore a Chirurgis fuit exercitata, & ſua eidem ſemper exſtitit utilitas. In morbis capitis, cum motus impotentia conjunctis, Apoplexia, Lethargo, Catoche, Epilepſia, multum laudatur, ſenſoriorumque & pectoris affectionibus mire conducit. Morbis dolorificis, iſchiadico, reliquisque arthriticis, opitulatur. Hirudinibus quoque applicatis pro exſugendo ſanguine ſua manet dignitas, ſed cautela opus eſt, ne ſeligantur hirudines pravi moris, quarum morſus veneni locum habet. Variegatæ debent eſſe, ex obſcuro virides, corpore lineis luteis admixtæ, quem characterem jam *Avicenna* ſuo tempore animadvertit. Eluendæ a ſordibus ſuis lacuſtribus ſanguiſugæ, priusquam applicentur, & ex illis petendæ ſtagnis, uti arbitratur *Avicenna*, in quibus ranæ victitant, & lentes naſcuntur. Sunt, quæ morſu nocent, nigræ, rotundæ, & ore magis patentes; quarum morſu Sphacelus aliquando inductus fuit. Allegantur hiſtoriæ ægrorum, quibus ex voto res ſucceſſerat; ſicut & ſcarificationis utilitas plurimis principum in arte virorum teſtimoniis declaratur uberius. Dignus eſt liber, qui legatur, tum ob argumenti amplitudinem, quam ſermonis Latini elegantiam.

D. Johann Heinrich Schulzens Abhandlung von der Stein-Cur, ꝛc.

hoc eſt,

D. JO. HENR. SCHULZII, MED. ELOQU. & An-

& Antiqu. Prof. Publ. in Regia Fridericiana, Commentatio de Curatione Calculi, tum per medicamenta interna generatim, tum ſpeciatim per remedia, noviſſime apud Britannos publicata. Adjuncta ſunt D. ALEXANDRI MONRO, Anat. Prof. Publ. in Acad. Edimburg. Tentamina duo, de artificioſa injectione & conſervatione partium bene præparatarum, quæ ex Anglico vertit M. JO. BENJAM. WOLFFRUM.

Francofurti & Lipſiæ, 1740, 8.

Plag. 7.

Ante aliquot annos Cel. Autor Diſſertationem pereruditam, qua Problema, *an dentur medicamenta, quæ calculum in veſica comminuant*, in partem affirmativam reſolvitur, in Academia Halenſi ediderat. Cum itaque noviſſime fama medicamenti lithontriptici, apud Britannos a virgine *Joanna Stephens* publicati, increbreſceret; nonnullorum hortatu argumentum hoc amplius perſecuturus, ſuperiori anno Diſſertationem *de Lithontriptico, nuper in Britannia publici juris facto*, ibidem habuit. Poſtea nonnulli, Latinæ linguæ ignari, ut hæc Germanice etiam converteretur, admodum cupiverunt. Quorum in gratiam utriusque Diſſertationis ſummam bono ordine, & idoneo nexu, Germanice nunc exponit. Eſſe utique medicamenta, quæ calculum in veſica comminuant, certa atque indubia prorſus experientia confirmatur. Etenim beneficio aſellorum exſiccatorum, & oleo vitrioli irroratorum, Pater quidam ex Societate Jeſu, itemque *Horatius Augenius*, in aliis, in ſe ipſo autem *Guilielmus Laurembergius*, iisdem millepedibus, ſpiritu vitrioli irroratis, calculum comminuerunt, atque eduxerunt. Neque minus idem *Dippelius* in vacca quodam ope ſingularis remedii perfecit, quod oleum vitrioli, cum ſpiritu vini mixtum, probabiliter fuit. Præter experientiam vero etiam rationibus ea lis facile diſceptatur. Cum enim omnes calculi ex materia fluida, ſolo vitio humorum, qui ejusmodi materiam non amplius rite diſſo-

diſſolvunt, oriantur, & tamen in pleriſque hominibus fieri queat, ut ſucci ab ejusmodi vitio, adeoque & a calculorum geneſi, immunes conſerventur; quidni itidem foret poſſibile, virtutem ſuccorum diſſolventium eo usque intendere, atque acuere, ut, quod olim fluidum fuit, nunc vero induruit, emolliatur rurſus, disjectumque ad priſtinam redeat fluiditatem. Sane de calculis adhuc friabilibus magna ſpes ſupereſſe videtur, minor autem, imo fere nulla, de perfecte duris. Enimvero, ſi cogitemus, ſilices in ventriculis avium diſſolvi, idque beneficio ſuccorum, ex ſanguine ipſarum, eodem modo, ſicut in homine, ſegregatorum, hunc ipſum vero ſanguinem ex talibus granis & fructibus generari, qualibus & homines veſci ſolent, neque calorem avium notabiliter vehementiorem eſſe, quam hominum; nulla patet ratio, cur non ſucci humani idoneis remediis ad eam virtutem adduci queant, ut calculos, ex ſuccis humanis, adeoque materia ſibi ſimili, natos, diſſolvant, cum ſæpius ſcirrhi glandularum diuturni, & fiſtulæ calloſæ itidem profligentur. Magnam vero ſimul ea ex cauſa attentionem merentur medicamenta Anglicana noviſſima, ſuperius jam commemorata, quorum deſcriptio cum methodo illis utendi ſecundum exemplar quoddam Berolinenſe manu exaratum hic repetitur, &, quibus momentis a deſcriptione, quæ in *Mercurio Gallico*, atque item alia, quæ Hamburgi publicata fuit, recedat, indicatur. Maxima virtus pulveris a teſtis ovorum calcinatis eſſe videtur, quæ cum propter acredinem ſalium, tum propter virtutem adſtringentem, hic plurimum valent. Cochleæ uſtæ autem acredinem aliquantum temperant, quod & naſturtium verrucoſum uſtum efficit, præterquam quod reliqua etiam medicamenta aliquantum occultet. Præcipua laus forte ſaponi Aloinenſi debetur, qui ſemper, etiam ſi pulvis omittatur, vel in decocto, vel pilulis, ſumi debet. Analyſi compertum eſt, in unciæ ſemiſſe dragmas tres olei olivarum puri & præſtantis, atque dragmam unam ſalis lixivioſi, contineri, adeoque hujus acredinem

nem oleo ſatis involvi, atque contemperari. Quemadmodum vero ſaponis ejusmodi, cum oleo puro confecti, uſus variis in morbis ſatis eſt manifeſtus, atque a Noſtro etiam ſingulari Diſſertatione commendatus; ita ad diſſolvendum calculum eo modo conducit, ut particulæ bilioſæ acres, præcipue, cum iis pulvis calcinatus ſuppetias ferat, mucum, qui partes terreſtres conglutinat, præcipue aggrediantur, partibusque aqueis aditum parent. Quo facto, vinculoque ſoluto, moleculæ minimæ dilabuntur, mucus, ab urina ſolutus & fluidior redditus, cum eadem profluit; ſimulque ſabulum & alia nondum in fluorem redacta fragmenta, quæ jam ſeceſſerunt, eluuntur, ita, ut temporis progreſſu totus calculus colliqueſcat, & educatur. Quæ futura ſint hujus medicamenti fata, ſitne methodus illud ſumendi Germanorum præcipue faucibus blanditura, tempus perdocebit. Cum vero methodus *Augeniana* acidum vitrioli requirat, & *Dippeliana* unice propemodum opponat; in Anglicana autem methodo alcalina utramque faciant paginam; videri forſan queat, totam curationem eſſe irritam, & ſe invicem tollere. Sed, quemadmodum & butyrum antimonii, & ſal acerrimum ex lixivio incocto, cutem cauſtica vi corrodit: in membris etiam aduſtis & congelatis eadem medicamenta locum habent; ita facile inde intelligitur, & hæc remedia oppoſita ad eundem morbum curandum valere. Acida nimirum partes duriores terreas diſſolvunt, eoque facto mucus cum urina mixtus ſecedit. Alcalina autem mucum tanquam vinculum aggrediuntur, ut terreæ partes cum urina eluantur. Anglicana methodus robuſtioribus, & febre hectica nondum attritis, convenit. *Augeniana* & *Dippeliana* in debilioribus etiam, atque hectica febricula jam conjuncta, locum habet. Ceterum ſaponis illius uſus in podagra etiam explorandus eſſet. Qui in fine acceſſerunt Cel. *Monro* Tractatus duo, eorum prior methodum materiam quandam idoneam in vaſa cadaveris, etiam minima, injiciendi commemorat, atque hinc & ſiphonem eo comparatum, & materiam variam ejusmodi injectionibus aptam, ubi Noſter oleum terebinthinæ colore

 quo-

quodam infectum pro vaſculis minimis infarciendis, & confeſtim ſuccedentem injectionem ſpiſſiorem vulgarem, præ aliis collaudat, & colores ad materiam tingendam maxime accommodatos, & ſelectum præparationemque partis ita tractandæ, & ipſam denique injectionis rationem, accurate dilucideque exponit. Alter per omnes corporis animalis partes eundo commonſtrat, quomodo ſingulæ eximi tractarique debeant, ut ad conſervationem diuturniorem aptæ evadant, ipſaque conſervatio, &, ut vocant, balſamatio, ſicca pariter atque humida, optime inſtituatur. Appendicis loco Cel. *Schulzius* Commentationem perelegantem ſubjecit, in qua occaſionem, quæ arti injiciendi balſamandique data fuit, tum ejus progreſſum & incrementa, per induſtriam *Schwammerdammii*, *Hornii*, *Bilſii*, *Wielii*, & præcipue *Ruyſchii*, explicat, variasque circa eam artem cautiones, inprimis quantum probabiliter, ad vaſa exiliſſima materia quadam infarcienda, interſit, poros cutis patulos eſſe atque apertos, & quam commode ad colorandam materiam cinnabaris adhibeatur, ſimul exponit.

ALBERTI SCHULTENS VETUS ET REgia via hebraizandi aſſerta contra novam & metaphyſicam hodiernam.

Lugduni Batavorum, apud Jo. Luzac, 1738, 4. Plag. 14.

Cel. *Schultens*, qui ab illa ætate, qua juvenes, optimis culti literis, ad egregia quævis ſuſcipienda ferventiore impetu feruntur, id omni virium contentione egit, ut linguam Ebræam ope affinium linguarum, Arabicæ maxime, novo quodam lumine colluſtraret, quam ſemel calcare viam incepit, in hunc usque diem ſumma cum laude eſt proſecutus, hoc conſilio, ut linguæ ſacræ decus priſtinum aſſereret, illiusque beneficio ſacrorum oraculorum intelligentiam planiorem redderet. Hujus induſtriæ ſpecimen eſt præſens Commentatio, cujus ſumma argumenta jam breviter quidem, at accurate diligenterque, recenſebimus.

In

In ea eſt ſententia Vir egregius, linguam Ebræam ſuis quidem opibus ſatis eſſe divitem, ſed, quoniam a longo ſatis tempore vernacula eſſe deſierit, nec niſi ſolo Codice Vet. Teſt. Ebraico contineatur, ex linguis orientalibus affinibus, Judæorum magiſtris, priſcis interpretationibus, Scripturæ denique ſcrutinio, adjumenti multum eidem accedere poſſe; quam viam & ſibi a prima juventute arriſiſſe, & a magnis viris impenſe commendatam eſſe, copioſe enarrat. Quæ ipſe in Oratione inaugurali *de Fontibus linguæ Ebraicæ, horumque vitiis ac defectibus*, pariterque in *Originibus*, demonſtraverat, a nonnullis, potiſſimum Cel. *Drieſſenio*, impetita ſunt, dictitantibus, ad Ebrææ linguæ cognitionem ſolam ſacræ Scripturæ collationem diligentem ſufficere, cum illa ſit prorſus ſingularis, nec aliqua ipſi cum reliquis Orientalibus cognatio intercedat, &, ſi quæ voces ex illa in alias demigrent, novos ſignificatus induant. Hanc viam ex Germanis noſtris olim triverat *Sam. Bohlius*, Philologus Roſtochienſis præſtantiſſimus, quam ut plures legerent, indefeſſa diligentia ac egregia doctrina *Jac. Guſſetii* effecit, qui, animadvertens, linguam Ebræam multis laborare *æquivocationibus*, unam eandemque vocem plures admodum, eosque ſæpenumero diverſos, imo adverſos, habere ſignificatus, his defectibus ut mederetur, *generalem* cujuscunque verbi ſignificationem ex diligenti idiomatis Ebræi conſideratione eruere eſt annisus, cui reliquæ omnes absque pugna ſubjici poſſint. Qui generalis ſignificatus quoniam haud raro, ut cum Metaphyſicis loquamur, eſt *abſtractus*, viam hanc *metaphyſicam* appellat Doctiſſ. Autor, quæ quoniam ſemper viſa eſt ipſi *feneſtram aperire infinitis alucinationibus, & fundamenta ſolidæ interpretationis quatere* ac *labefactare*, *omne* denique *ſtudium linguarum Orientalium uno ictu proſternere*, huic ſerio obviam eundum eſſe decernit, *regiam* contra, quam appellat, *viam* validis rationibus communire conſtituit. Diſtinguit inter ſignificatum *primarium* & *ſecundarium*. *Primarius* cuique voci privus eſt ac peculiaris, *ſecundarius* ſe exſerit in metaphoris, metonymiis, aliisque tropis rhetoricis. *Pri-* Pag. 26.

Digitized by Google

marios ſignificatus, quos etiam *origines* nominat, quoniam lingua Ebræa arctis circumſcripta eſt cancellis, ex idiomate Ebræo raro determinari poſſe, ad Orientales igitur linguas confugiendum eſſe, *ſecundariis* priſcas verſiones multum ſubſidii afferre poſſe, aſſeverat. Quæ omnia ut per partes exequeretur, Canones XVIII proponit, quos ita comparatos eſſe exiſtimat, ut axiomatum inſtar haberi queant. Nos illos breviter exhibebimus. I) *Singulas linguas habere aliquid privum, quod eadem virtute, venuſtate, ac ἐμφάσει, in alias linguas transfundi non poſſit.* Pauca exempla ex multis damus. Ebræi dicunt אסף אתו מצרעתו *collegit eum a lepra ſua*, id eſt, purgavit, *liberavit*, *ſanavit*, quia, qui antea ob impuritatem ſuam caſtris atque urbibus excluſi erant, ceſſante lue recipiebantur, ac ad ſuos quaſi *recolligebantur*. כָּמַהּ *Pſ. LXIII, 2*, vox ἅπαξ λεγομένη, primo ſignificatu denotat *lureſcere*, ex Arabico, *luridum colorem* deſignante, indeque ad vehemens *deſiderium*, quo quis quaſi *intabe-*
Pag. 43-49. *ſcit* ac *lureſcit*, transferri poteſt. II) *Quod primum eſt cuicunque lingua, eminentiſſimum longe eſſe in Ebræa, ejusque dialectis, Chaldæa, Syriaca, & Arabica.* Probat id ex ultima illarum antiquitate, ac genio primi orbis, qui ſeſe in iſtis primævi ſermonis propaginibus mirum in modum exſerat. Ponit, linguam Ebræam, ab *Ebero* denominatam, eandem eſſe, quæ primæva antediluviana, *Arabicam* per *Joctanem*, *Phalegi* fratrem, propagatam, itemque *Aramæam*, quæ poſtea in *Chaldaicam* & *Syriacam* ſe diviſerit, genuinas illius & proximas eſſe filias.
49-53. III) *Omnes linguas ſub uno vocabulo unam tantum ſignificationem propriam ac primariam, eandemque non univerſalem, ſed particularem, poſſidere.* Ratio, quoniam absque hoc lingua non interiorum ſenſuum interpres, ſed omnis confuſionis mater, foret. Firmat exemplis verborum *capere*, *tendere*, τείνειν, μίγνυσθαι, itemque autoritate *Scaligeri de Cauſ. Ling.*
54-56. *Lat. Cap. 193.* IV) *Præter primariam ſignificationem unamquamque linguam gaudere ſecundariis ac translatis.* Quem Canonem, ſummæ quippe evidentiæ, non demonſtrat, ſed ju-

venes

Digitized by Google

venes tantum ad ſtudium Rhetorices, in Academiis etiam diligentius tractandum, cohortatur, in eorundemque gratiam de tropis rhetoricis quædam ex *Quinctiliano* enotat. V) *Tantam eſſe troporum fœcunditatem, ut una princeps & propria poteſtas ſe aliquando ad 30, 60, 100, & ultra, ſecundarias explicet, haud ſecus ac ſtirps ramos ramuloſque plures diffundit.* Pag. 57-62.
Nec hoc facere ad defectus linguæ, ſed potius divitias illius oſtentare. Cumque apud Græcos Latinoſque tanta ſecundariarum ſignificationum multitudo obtineat, quod ſolo exemplo verbi *contendere* ex *Nonio Marcello* demonſtrat, multo magis id apud Ebræos locum habere, cum verbis compoſitis per præpoſitiones *ab*, *ad*, *ex*, &c. prorſus careant. Provocat ad *Origines* ſuas, in quibus adſtruxit, verbum כפל 20, ישב 30, כסה ultra 30, נשא plures, quam 60, ſignificatus habere. VI) *Inter ſecundarias notiones ſæpe nullam ſimilitudinem, nullam concordiam, ſed contra diſſimilitudinem ac pugnam, apparere, quæ tamen in lingua bene conſtituta nulla eſſe nec debeat, nec poſſit.* Probat id exemplis verborum *haurire*, *ſtringere*, *mulcere*, *premere*, *putare*, *mactare*, adjectivorum *gravis*, *lentus*, *rigidus*, quorum diverſos ſignificatus ex *Nonio Marcello* ac aliis promit. 62-65.
VII) *Harum notionum diſſonantium aut pugnantium concordiam demonſtrari non poſſe, niſi præſto ſit princeps ac primaria poteſtas.* Illuſtrat id ex ſupra productis vocibus, itemque notione *duri* ac *mollis*. 65-70.
VIII) *Primigeniam ac principem ſignificationem in omnibus linguis rariſſimi eſſe uſus, ſecundarias multo frequentiſſimas eſſe, & late regnare.* In confirmationem affert verba *mactare*, *immolare*, *taxare*, *vexare*, *nubere*, nomen *aptus*, *ineptus*, quorum principem ſignificatum ex antiquiſſimis ſcriptoribus, *Ennio*, *Varrone*, *Lucretio*, aliis, eruit. 70-72.
IX) *Secundariam notionem in linguis ita dominari, ut aliquando primigenia in magno Autore, vel & pluribus, ne ſemel quidem occurrat, cum ſecundariæ poteſtates vel ſexcenties recurſent.* Adducit verbum *cogitare*, quod ſignificatione primaria, motum corporeum a *coagitando* denotante, ne ſemel quidem in *Cicerone* occurrit, *examinare* ab *examen* in bilancibus, quod deſcendat ab *exagendo*, unde 72-77.

 quaſi

quaſi *exagimen*, inque primaria ſua ſignificatione rariſſime
Pag. 77 - 80. obvium eſſe pertendit. X) *Quo minor copia librorum in aliqua lingua, eo impeditiorem eſſe veſtigationem originum.* Comprobat id verbo *rumino*, quod *Ciceroni* ſatis frequenter pro *meditari, repetere meditando*, inque *memoriam revocare*, adhibetur, rarioris uſus eſt apud *Plinium* in *Hiſt. Nat. XVII, 22*, ubi *hiemis* memoratur *ruminatio*, rem *inculcare*, cujus prima eſt ſigni-
80 - 83. ficatio, aliquid *calcando imprimere, inſereire.* XI) *Si unus tantum codex ex aliqua lingua ſuperſit, fieri non poſſe, ut in illo plerarumque vocum origines contineantur, ſed vel nullas ibi comparituras, vel multo rariſſimas.* Præter alia exempla producit verbum חטא, quod Arabibus ſenſu primario denotat *erravit*, maxime ubi quis *ſcopum non ferit*, quo ſenſu ſemel tantum occurrit *Jud. XX, 16.* XII) *Quæ origo in libro, quo gaudemus, non habetur, ex illo fundo erui non poſſe, ſi vel omnem vitam in acerrima collatione locorum conſumeremus.* Ita, niſi apud Latinos ſupereſſet *callus*, quid *callere* ſit, intelligere non poſſemus; *exantlari* ignotum erit, niſi quis
91 - 93. ſciat, quid ſignificet ἄντλος. XIII) *Secundarias notiones adeo eſſe liberas, ſolutas, & arbitrarias, ut a priori inveniri minime queant, ſed a poſteriori demum*, i. e. *per originem, reperiantur.* Exempli loco repetit verbum *callere*, addit *ſtomachari, jugulare vinum, flagellare annonam, candefacere anno-*
94 - 99. *nam*, nomen *arena pro amphitheatro.* XIV) *Uti origines Ebrææ in verſionem vernaculam transfundi nec debeant, nec poſſint; ita ex verſionibus ſive veterum, ſive recentiorum, indagare velle, a communi ſenſu abhorrere.* Exemplum eſt הושיע, quod recte vertitur σώζειν, *ſervare, ſalvare*, cujus tamen primaria notio *laxare, elaxare;* שילה eſſe ex שלה, ut ſic denotet *eliquatiſſimæ tranquillitatis reſtitutorem, qui turbata & confuſa omnia ad liquidiſſimam & defæcatiſſimam*
99 - 103. *pacem, cum opulentia conjunctam, revocat.* XV) *Quæ origines ne in Codice quidem Ebræo conſervatæ, illas multo minus in verſionibus exprimi potuiſſe.* Provocat ad verba בלג &
130. 140. זכר, alibi explicata. XVI) *Origines linguæ Ebrææ, quæ in Bibliis*

Digitized by Google

illis non occurrunt, *in illius dialectis*, *linguis orientalibus*,
veſtigari debere. Ita, diverſas dialectos linguæ Græcæ ſe mu-
tuo illuſtrare, docet. XVII) *Ad origines noſcendas nullam dia-* Pag. 105-
lectum ſibi ſufficere, ſed omnes mutuam opem lucemque deſidera- 107.
re. XVIII) *Interiorem linguæ cujusque indolem*, *multo minus* 107 - 111.
primas illius origines, *ex Lexicis*, *ſed libris*, *qui in lingua*
quacunque exarati ſuperſunt, *hauriri poſſe*. Hi ſunt Cano- 111. 112.
nes illi, quos, quanta potuit fieri brevitate, enotavimus. Quæ duriora Autori in *Guſſetium* & *Drieſſenium* exciderunt, noſtra non facimus. Illi, ſi non omnes, certe partem maximam, propria luce radiant. Nec, qui præjudiciis vacuus eſt, facile inficias ibit, linguas Orientales, ut communi ſtirpe procreatæ ſunt, ita ſocias etiam & auxiliatrices ſibi manus præbere. Hac tamen cautione opus eſſe cenſemus, ut tum demum affinium linguarum opem circumſpiciamus, ubi genuinam vocis ac ῥήσεως ſignificationem ex Ebræo idiomate ac Codicis ſacri lectione atque ſcrutinio indagare non poſſumus, &, ubi nos ad reliquas Orientis linguas recipimus, tales ſemper notiones eligamus, quæ cuique loco ex Scriptoris ſacri intentione ac iis, quæ circumſtant, ſint accommodatiſſimæ. De ceteris Viro Celeberrimo, qui in præſentia in literatura Ebraica, potiſſimum Arabica, fere regnat, & laudabili contentione illius adyta reſerare laborat, otium, pacem, vires, diviniquе Numinis uberrimam gratiam, ex animo comprecamur, ut quam diutiſſime eximiam hanc & utiliſſimam eruditionis partem tueri ac ornare poſſit.

GRAMMATICÆ UNIVERSALIS TENUIA rudimenta. Agitur inſimul de variis modis, quibus ſpiritus ſecum invicem ſuas ideas poſſint communicare. Autore ISRAELE THEOPHILO CANZIO, Eloquentiæ & Poeſeos Prof. Publ. Ordin. & Illuſtris Seminarii Theol. Ephoro.

Tubingæ, literis Joſephi Sigmundi, 1737, 4.

Plag. 9.

Quanta

Quanta plerumque ſit grammaticarum regularum confuſio, quanta difficultas, nemo eſt, in atrio ſaltem eruditionis verſatus, qui neſciat. Inſignem itaque ſine dubio laudem reportaret, qui, cum jam omnia per demonſtrationes doceri incipiant, Grammaticam pariter philoſophicam, ita quidem inſtructam, publicaret, ut, quoad id fieri poſſet, regulæ minuerentur, in juſtum quævis ordinem & ad rationes ſuaque principia revocarentur, &, origine, harmonia, vel diverſitate, linguarum oſtenſa, Grammatica generalis, eaque accuratior, ſingularibus iſtis præfigeretur. Periculum iſtiusmodi Grammaticæ generalis in his ipſis, quas jam luſtramus, pagellis fecit Cel. *Canzius*. Ubi vero quævis ad prima exordia revocare laboravit, in miras ipſe ſubtilitates, ſermonem præſertim ſpirituum tangens, incidit, ad quas, nihil jam attinere putamus, penetraſſe. Omittimus etiam, quæ de aliis quibusdam, præter verba, ideas cum aliis communicandi rationibus, eruditiſſime licet, diſputat. Ad ipſam potius rem accingimur. Grammatica Autori noſtro ars dicitur, quæ rectam linguæ, ſive loquendo, ſive ſcribendo, expreſſæ, formationem docet. Grammatica vero generalis eſt, quæ quod omnes linguæ commune habent, ad ideam linguæ perfectiſſimæ formandam generalibus præceptis tradit. Cum Grammatica omnis circa linguam verſetur, loquendo, vel ſcribendo, exprimendam; loqui præterea ſit ſermonem certo vocabulorum ordine contentum pronuntiare; cum tandem ſyllabæ, ut experientia teſtatur, menſuram admittant; conſequens eſt, Grammaticam omnem quatuor habere partes: primam, quæ certorum vocabulorum, certis rebus applicandorum, rationem; alteram, quæ ſcribendi, & ſcripta diſtinguendi, artificium; tertiam, quæ ordinem vocabulorum, intelligendo ſermoni conducentium; & quartam, quæ menſuram ſyllabarum & rationem concinnandi modis ſuis alligatos ſermones, docet ac tradit. Prima pars dicitur Etymologia, quæ duas & ipſa alias ſub ſe comprehendit, quarum altera de rebus ſollicita eſt, de vocabulis altera. Res eſt, quicquid prædicatorum, quæ dicuntur, nulla evertitur pugna,

gna,

Digitized by Google

gua. Vocabulum, quod vel ſubſtantiam, vel attributum, vel modum permanentem, denotat, dicitur nomen. Nomen, quo vel ſubſtantia, vel res, quæ tanquam ſubſtantia conſideratur, ſpectari ſolet, dicitur *ſubſtantivum;* nomen autem, quo attributio vel modus permanens ſignificatur, *adjectivum.* Vocabulum, quod in locum nominis ſurrogatur, dicitur pronomen. Id autem, quo mutationes actuales, ſeu rerum modi ſucceſſivi, exprimuntur, verbum appellatur. Quod rationem alicujus mutationis in ſe continet, illud agit. Quod ſuæ mutationis rationem habet in alio, illud patitur. Actio, quæ mutationem in agente habet, nec alio transmittit, dicitur immanens; quæ aliorſum transmittit, actio tranſiens. Similis eſt paſſionis ratio. Iſtis igitur mutationum generibus certa verborum genera reſpondere fas eſt. Verbum, quod inſtar nominis formatur, dicitur participium. Vocabula, quæ rebus quibusdam circumſtantibus, tempori, loco, normæ, virium gradibus, deſignandis adhibentur, ſi ad nomina referri videas, præpoſitiones; ſin ad verba potiſſimum pertinere ſentias, adverbia, nuncupantur. Conjunctiones ſunt vocabula, quæ partium orationis nexum indicant; quibus affectum exprimimus, interjectiones. Altera Grammaticæ pars, quæ Orthographia vocatur, complectitur Orthographiam ſtricte dictam, & Orthoſtichiam. Illa docet artem bene ſcribendi; hæc ſcripta bene diſtinguendi. Utraque vel rationalis eſt, vel uſualis. Rationalis ita ſcribere & ſcripta diſtinguere docet, ut nec ejusdem vocabuli formæ diverſa ſigna ſcripta, nec diverſis vocabuli ejusdem ſignificatibus plane eadem ſcripta ſigna, aut certe non eadem ratione picta, aſſignemus. Uſualis eſt, quæ præcipit, ut uniuscujusque linguæ ſcriptura omni tempore, ex quo lingua cœpit florere, ſui ſimilis ſit, ſeu ut ſcriptura, & ejus diſtinctio, cujusque ſermonis, referatur ad tempora, quæ in modo ſcribendi & diſtinguendi præſtantiæ plurimum conſecuta eſſe judicantur. Orthographiam ſequitur pars tertia, ſyntaxis, ubi monitum præfigitur: Omnem omnium ſyntaxin in exprimendo generali omnium rerum ordine conformitatem habere oportet. Regulæ autem ſunt potio-

 res;

res: omnis affirmatio & negatio nomine & verbo conſtat; quoties præpoſitiones vel conjunctiones, expreſſæ ſunt, ſyntaxis regularis dicitur; quandocunque autem ſubaudiuntur, fit figurata; omne nomen adjectivum habet ſubſtantivum, ſive expreſſum, ſive ſubintellectum; & quæ ſunt reliquæ iſtiusmodi leges, quæ vel ex re ipſa, vel ex aliis, recentiorum præſertim, libellis grammaticis, facile cognoſcuntur, nobisque adeo permittunt, ut ſine mora ad ultimam, quæ Proſodia dicitur, partem progrediamur. Tonus eſt ſoni, quo una vel ſyllaba, vel verbum, pronuntiatur, intenſio vehementior. Quantitas eſt vel diuturnior ſoni, quo ſyllaba effertur, vel minor ejusdem, productio. Duplex indidem Poeſeos genus eſt, alterum, quod Græca & Latina lingua ſequuntur, in ſyllabarum longitudine aut brevitate, ſive vera, ſive ficta, poſitum; alterum genus reliquarum nobis cognitarum commune linguarum, quod magis accentum dimetitur, quam ſyllabarum quantitates. Atque, iſtis quidem præmiſſis, ad peculiarem variarum linguarum Poeſeos, breviſſimam quidem, ſed eruditiſſimam, conſiderationem Cel. Autor deſcendit.

ORATORIA SCIENTIARUM FAMILIÆ toti cognata, ſeu rationis & orationis arctiſſimum vinculum. Accedit laudata hypocryſis, ſeu eloquentia corporis, ſecundum præcepta, fundamenta, adjumenta, quibus formatur, probatur, impetratur. Autore ISRAELE THEOPH. CANZIO, Eloqu. & Poeſ. P. P. O. & Seminarii illuſtris Ephoro.

Tubingæ, ſumtibus Chriſtoph. Henr. Bergeri, 1735, 8.
Plag. $2\frac{1}{2}$.

Rationis atque orationis ope a brutis animalibus diſtinguitur homo, quique utramque perficit, eo ſe humaniſſimum reddidiſſe jure quodam ſuo videtur. Quid igitur utilius Cel. *Canzius* exequi potuiſſet, quam quod amicam utriusque conſenſionem, arctiſſimamque conjunctionem, pe-

peculiari hoc libro, atque ex inſtituto, monſtrarit? Abeant nunc ad barbaros, aut, ſi quidem ſapiunt, meliora hic doceantur, qui rationis atque orationis divortium facere auſi fuerunt. Erubeſcant non ſolum ii, qui omnem orationis cultum odio proſecuti plus quam Vatiniano, in *enteitatibus* ſuis ac *quidditatibus* neſcio quid myſterii plenum ſibi repeciſſe videntur; ſed pudeat etiam illos, qui, relictis plane rebus, in verbis tantummodo conſeneſcunt, ac ſine ulla mente, ullove judicio, nil niſi canoras nugas deblaterant. Loquendum eſt ductu Cel. *Canzii* tum ſapienter, tum ornate, neque vel inculto ſermone ſapientia odioſa facienda, vel meris verborum lenociniis ſtultitia erit inſinuanda. Noſter igitur ille Oratoriam per ſapientiæ atque ornatus in dicendo conjunctionem definit. Ita nimirum, niſi nos omnia fallunt, paulo accuratius Autoris mens exprimetur, dum ipſius verba, quod *Oratoria ſapientia* ſit *ornate loquens*, neſcimus ſane, an omnium, proprietatem in definitionibus philoſophicis exigentium, reprehenſiones effugere queant. Quem ad modum etiam erunt forte, qui huic definitioni, in Præfatione ſtatim allatæ, (alia vero non adeſt,) ſubjectam diviſionem, quaſi eloquentia vel in tacendo, vel in dicendo, conſiſtat, vituperandam eſſe judicent; propterea quod oppoſitum non poteſt eſſe pars oppoſiti ſui. Nos autem hæc mittimus: præſertim cum definitio non niſi ad alteram ſpeciem proprie pertinere cenſenda ſit; & veſtigia potius Celeberrimi Viri prementes, indicamus, in tacendo conſiſtentem eloquentiam vel mutam eſſe, vel tacendo loquentem. Per mutam pantomimorum ars intelligitur, per alteram vero ſpeciem cum *Morhofio* iſta *Oratoris prudentia, qua id ſolum, quod in oratione ἐνεργητικὸν eſt, exprimit, ea vero, quæ circa elocutionem περίεργα ſunt, aut ſuperflua, ab argumento, perſonis, loco, tempore, re, aliena, aut quovis modo inepta, omittit, aut indicta eſſe cupit.* His breviſſime annotatis, ad alterum Eloquentiæ genus, in dicendo conſiſtens, pergitur, & primo quidem definitiones, *Ariſtotelica* nec non *Thomaſiana*, jure quodam reprehenduntur; pro-

pria vero luculenter illuſtratur atque fulcitur. Deinde vero tres ideæ ſpeciales indidem eliciuntur, quod ſcilicet requirat Oratoria ſapientiam, ornatum, ac facultatem loquendi. Sapientia definitur per ſcientiam atque amorem veri & honeſti. Quæ pariter definitio cum illis, quas *Cicero*, *Leibnitius*, *Wolfius*, ſuppeditarunt, confertur & conciliatur. Neque minus ſimul incluſa partitio evolvitur, & ſigillatim conſiderantur ideæ ſcientiæ, amoris, veri, & honeſti. Scientia eſt rerum cognitio, ſolidis nixa rationibus. Inde regula fluit, quod non opiniones ſequi debeat Orator, quanquam, deficiente ſcientia, veroſimili cognitione nonnunquam eſſe contentum oportet. Amor eſt propenſio ex alicujus ſive perſonæ, ſive rei, felicitate, aut incremento, voluptatem capiendi. Ex hac definitione propoſitiones emanant: nihil eſt deteſtabilius, quam falſa & turpia ſuis perſuadere; Orator, quæ vera ſaltem & honeſta, ideoque publice utilia, ſunt, volvere animo propoſita debet, &, quod aliis ſuadet Orator, ipſe diligat oportet. Veritas eſt conformitas rerum, quæ ex ſe mutuo intelliguntur. Diſpeſcitur autem veritas in illam, ex qua intelligimus, & in illam, quæ intelligitur ipſa: altera principiorum, altera concluſionum, nomen accepit. Porro eſt veritas vel metaphyſica, vel phyſica, vel hiſtorica, vel practica, vel logica, vel theologica, quæ ſingulæ ſpecies deſcribuntur, quodque Oratori præcipue conveniant, oſtenditur. Honeſtum denique eſt, quicquid naturam eorum, qui ratione præditi ſunt, auget & perficit, aut perfectiſſimam declarat. Inde propoſitiones fluunt: minime naturam λογικὴν auget aut perficit, qui ſe ſibi natum eſſe putat, bonumque privatum publico antepoñit; honeſtum, quia in ſtudio naturam λογικὴν excolendi & augendi collocatur, tandem, quousque patet, ad utilitatem publicam referri clariſſime intelligitur; nemo læditur, niſi a ſe ipſo; dum nemini vere quidquam prodeſt, niſi amor honeſtatis, nemini quidquam nocet, niſi turpitudinis cupiditas; & quæ ſunt reliqua. Species autem honeſtatis conſtitutas videmus tum illorum bonorum notione,

tione, quibus natura λογικὴ augenda eſt, tum vero etiam ex conſideratione partium, quibus natura ratione prædita contineri ſolet. Bona illa, quibus augeri naturam ratione gaudentem oportet, aut extremam miſeriam propulſant: unde naſcitur infimus juris naturæ gradus; aut ulteriorem felicitatem ſeu opportunitatem addunt, pro cujus deinde menſura reliqui juris naturæ adſcenſus exſurgunt. Indidem ex parte Oratorum conſequitur, illam præſertim inveniendi artem eſſe neceſſariam, quæ claves animorum reperire doceat; qui animis audientium imperare mira dicendi dignitate non poſſit, haud optimum eſſe Oratorem, qui frigidos relinquat, plane nullum eſſe; denique rempublicam Chriſtianam plurimum debere ei, qui effecerit, ut ſumma ſit jucunditas in pietate. Partes ſi ſpectaveris, honeſtas, excolens tam animum, quam corpus, ethica nuncupatur, ac duplici abſolvitur præcepto; altero: animum intelligentem & virtutis amantem præſta; altero: valetudinem tuere corporis. Ad iſtam honeſtatem prope etiam accedit, quæ ſocialis, ſeu jurisprudentia, appellatur, quaque ſubinde societatibus humanis rectius conſultum eſt, aut quæcunque affertur utilitas. Ornamentum honeſtatis, quod in externis potiſſimum collocatur quibusdam actionibus, decori nomen eſt adeptum. Eſt ergo decorum, quocunque ſtudium aliis placendi ſignificatur. Sed non vacat iſtis immorari, quin potius ad ornatum Oratoriæ proprium cogitationes noſtras promovemus. Definitur autem ille, quod ſit, quicquid ſive animum, ſive ſenſus, oblectat; vel, ut habet definitio, quæ genetica dicitur, quod ſit ſymmetria rei totius, cujus partes multitudine, magnitudine, qualitate, &c. aut unam, aut plures regulas, ex totius rei ſcopo formandas, apte ſequuntur. Infinita vero varietate eloquendi propoſita intelliguntur verba, argumenta rerum, utrorumque modus & ratio, auditorum affectus. oculi, aures, locus, tempus. Quo quæque horum magis aptiusque, quo & plura eorum, eloquentis dexteritas in unum conſentire jubet occupandi audientium animi ſcopum; eo ornatior exiſtit oratio. Ornatus

ergo loquendi ponitur potiſſimum ab Autore Celeberrimo in perſpicuitate, decoro, prudentia, vi & efficacia, atque in ſplendore tandem actionis oratoriæ. Quibus fuſius expoſitis, finis tandem huic *priori* libri *Parti* imponitur per tractationem de facultate loquendi; ubi leges feruntur, loquendum eſſe lingua auditoribus cognita, diſcendas Grammaticæ regulas, loquendum aut ideis diſtinctis, aut ſaltem verbis vehementem affectum innuentibus, loquendum poſtremum ex vero. *Altera Pars* tractat laudandam hypocriſin, ſive eloquentiam corporis. Ac *duplici* quidem *Capite* omne argumentum complectens, *altero* ipſa præcepta, rationes autem eorundem *altero*, proponit. Nos, dum per ſe facile plauſum invenient, præceptiones has ſolum ipſas, quam breviſſimis fieri poteſt, delibabimus. Conſiderantur autem ibidem tam vox, quam geſtus. De voce leges ſunt: 1) caveatur vox nimium clamoſa; 2) juſto ſubmiſſior; 3) juſto tardior; 4) lingua nimium volubilis; 5) titubans; 6) cantillans; 7) non eadem ſit ſpiritus & ſoni intentio; 8) non literarum oppreſſio; 9) nec vox certis ſaltem ſonis diſtincta; 10) vox & verba rerum emphaſi reſpondeant; 11) quæ exhilarant, pronuntiantor voce liquida; 12) caveatur inculta & agreſtis pronuntiatio; 13) natura maxime ſectanda; & 14) non loquendum lingua mutuata. Ad geſtus pertinent motus vultus, capitis, atque manuum. Ad vultum os, frons, oculi, referuntur. Vultus generali præcepto: rebus eſſe propoſitis attemperatus debet, ſigillatim vero: pudor inſit & acrimonia, formatur. Porro capite Orator dicito erecto. Ad manus tandem quod attinet, cavenda ſunt duo extrema, nimia geſticulatio, ac nimia quies; mediocritas autem oſtendenda.

MELETEMA DE SCYLLA QUADAM PHILOſophiæ recentioris, in lucem publicam editum a JEREMIA FRIDERICO REUSS, Theol. Prof. Ord.

Hafniæ, impenſis Jacobi Preuſſii, 1737, 4.

Plag.

Plag. 14.

Eos, qui rei eccleſiaſticæ moderandæ præſunt, cura decet, munere ipſorum digna, ut provideant, ne quid detrimenti res Chriſtiana capiat. Præter alia detrimenta damnum reipublicæ Chriſtianæ, & externæ, & internæ, afferri poteſt & per abuſum Philoſophiæ, & per philoſophantium vitam minus convenientem mentibus Chriſtianis. Licet enim lumen rationis æque ſit a Deo profectum; lumen tamen revelationis eſt certius, facilius, animis cujusque accommodatius, clariusque illo lumine rationis. Cavendum itaque ſedulo, ne doctrinæ tribuantur alteri horum luminum, quæ pugnant cum alterius conſultis præceptisque certis & luculentis. Id tamen a Philoſopho haud eſt exigendum, ut inflectat dogmata ad ſententias partis hujus vel illius Chriſtianorum doctorum, licet jure ab eo poſtuletur, ne qua doceat, quæ adverſa fronte cum ſacris literis, dextre expoſitis, vel per ſeſe, ut in locis plerisque, perſpicuis, pugnant. Dum vero Philoſophia illa recentior docet, 1) exiſtere lumen revelationis, 2) in quo contineantur myſteria, 3) exſtitiſſe ſubinde miracula, quibus veritas revelationis & providentiæ ſpecialiſſimæ ſit confirmata, 4) reconciliationis cum Deo viam penitus patere duntaxat e verbo divino in literas redacto, 5) conſcientiæ tranquillitatem duntaxat ex hac fluere reconciliatione, 6) regnum gratiæ a regno naturæ differre, & diverſam utriusque eſſe œconomiam, 7) Deum operari pro arbritratu & ſapientia, nunc mediate, nunc immediate, 8) catenam cauſarum naturalium non excludere operationes Dei immediatas, & regno gratiæ accommodatas; facile per ſeſe patet, quid ab ea, quamdiu intra terminos illos manſerit, ſit metuendum. Autor præſtantiſſimus, cujus merita orbis eruditus merito ſuſpicit, quid a Philoſophia recentiori ſibi videatur metuendum, hoc libello tam eleganter & plane expoſuit, ut lectorem non ſolum doceat, ſed & mulceat retineatque. Tractatio ipſa modeſtiam ſpirat & candorem non modi-

modicum, ut lectori eo facilius ea perſuadeantur, quæ magnam partem ex Cel. *Weiſmanno*, *Croſa*, *Læſchero*, *Bertramo*, ac *Langio*, fuere depromta. En ſpecimen ſtili, ab ingenio haud infœcundo profecti: *Magna eſt hodie per partem literati orbis haud exiguam animorum commotio propter Philoſophiam, ante aliquot luſtra natam; major omnium, quibus profundiores rerum receſſus & latentes machinas perſpiciendi facultas eſt, expectatio, plena hinc ſpei, inde timoris. Terror ille non eſt panicus, non ſupervacuus. Novam enim ſcientiis omnibus faciem induere conatur hæc Philoſophia. Non ancillari vult, ſed regnare, id quod ex principiis hierarchiæ eccleſiaſticæ non tolerarunt olim in eccleſia Pontificia Doctores Seculorum remotiorum. Creſcit velociter, & haud procul jam abeſt a principatu. Experta eſt velitationes non admodum multas, & jam fere domina campi eſt. Triumphis jam & epiniciis plena fere ſunt caſtra pro ea militantium; alii tanto vehementius dolent, & tanto graviora mala extimeſcunt.* Ex quibus verbis facile intelligitur, quanta Autor polleat eloquentia, & quam diſerte terrorem illum vere panicum incutere hominibus, eoque or-
Pag. 25. bem terrarum percellere, moliatur. Si argumenta metus conquiris, ea ſunt deſumta ex eo, quem ſibi formavit, de *harmonia præſtabilita* ſenſu, quæ tamen nil niſi hypotheſis eſt, & per ſeſe ad Philoſophiam recentiorem haud ſpectat extra quæſtionem de modo unionis animæ noſtræ cum ſuo corpore. Plerique Philoſophiæ recentioris cultores eam rejiciunt, alii de ea judicium ſuſpendunt, alii eam pro hypotheſi probabili habent, cui nihil negotii cum Theologia revelata intercedat. Argumentum quoque metus in eo quæritur, quod *Leibnitius* in ſcripto quodam exiguo docuerit, exſtare harmoniam divinitus conſtitutam inter civitatem ſpirituum & corpora mundi, inter regnum naturæ & gratiæ
40 ſeq. & gloriæ. Syſtemati huic innexuerat *Leibnitius* nonnihil de *monadum ideis obſcuriſſimis*, quas *Wolfius* tamen haud adſcivit. Reliqua pendent inibi ab hypotheſi harmoniæ præſtabilitæ, quam vero plerique Philoſophorum recentiorum

in medio relinquunt, exceptis viris Clariſſimis *Hollmanno, Bulfingero*, *Baumgartenio* juniori, aliiſque oppido paucis. Exiſtimaverat *Leibnitius*, ex conſiderata Dei ſapientia, perfectione operum ejus, ac providentia, colligi poſſe ejusmodi præſtabilitionem, præformationem, ac præordinationem univerſalem & perfectam, ac talem, ut media apta, quibus omnia, quæ præcognoverit & voluerit, ad actum perducantur & efficiantur, ac ut rationes, ad producenda omnia futura ſufficientes, rebus ac ſubſtantiis omnibus ab initio ſtatim indiderit Deus. Videtur hæc ſententia pugnare cum complexu opinionum fanaticarum, quibus continuæ perpetuæque Dei immediatæ operationes ac revelationes confirmantur. Autor Cl. ita excitat lectoribus metum: *Exulabunt* hac ratione *operationes Dei immediatæ, atque ideo iterum nec Scripturæ oracula, nec myſteriorum revelatio, nec hominum illuminatio, converſio, ſanctificatio. glorificatio, &c. ex ullo immediato & ſpeciali Dei concurſu & operatione pendere ac proficiſci poterunt.* Alii exiſtimabunt, *Leibnitium* admiſiſſe miracula, & regnum gratiæ, immo gloriæ, nec conſequentias, ab aliis ex ejus Monadologia deductas, opponi debere locis & ſententiis ejus, clare & perſpicue alibi perſcriptis. *Leibnitius* in *Monadologia*, de ordine naturæ commentatus, vires per regnum gratiæ acceptas haud ſuſtuliſſe videtur, licet dixerit, harmoniam *res deducere ad gratiam per ipſas vias naturæ.* Contextus enim demonſtrat, ſenſum hunc ſubeſſe: Deus cauſas efficientes ita conformavit & attemperavit cauſis finalibus, ut ſenſionem gratiæ divinæ promovere & comitari debeat ipſe mundus materialis. Deus certe omnia ita effecit, ut ipſa eis, qui ipſum diligunt, cooperentur in bonum, ad gratiam & gloriam, improbis ad pœnam. Autor porro omnes *immediatas Dei operationes* inſerit miraculorum numero. Monet deinde, Philoſophos recentiores docere, mundum, quo magis miraculis abundet, eo eſſe imperfectiorem, id eſt, eo minorem perfectionum divinarum enumerationem per ipſum exhiberi. At, quod

Pag. 62. 41. 71. 72.

quod pace Viri præſtantiſſimi dicendum eſt, Philoſophi illi perpetuum admittunt miraculum, nempe *continuatam creationem*, ſeu, ut ipſorum ex opinione loquamur, conſervationem. Cum vero ſit conſervatio alia regni naturæ, & alia regni gratiæ, & alia rurſus gloriæ, ipſi non poſſunt non triplex continuatum miraculum, idque ſummum & ſempiternum, admittere. Philoſophorum non eſt, de ſecundæ tertiæque conſervandi rationis indole commentari. Dum Cl. Autor operationes Spiritus ſancti ordinarias ad ſupernaturales, easque continuo novas, actiones refert, videtur credere, vim, verbo divino ſemel a Spiritu Dei infuſam, haud ſatis eſſe efficacem, ſed verbo illi, in animum admiſſo, vim novam & lumen novum a Deo adjungi ac ſuperinfundi. En *operationes* illas *immediatas* quotidianas, quas paſſim commemorat & urget Autor. Dirimenda & excutienda hæc permittimus Theologis, qui norunt, verbum Dei per originem ſuam ſupernaturalem primam eſſe ſemen vivum & lucem pedum noſtrorum. Progreditur Autor ad *myſteria*, & ea putat in complexu recentioris Philoſophiæ ita deſcribi & definiri, ut ipſa ſint ſupra omnem rationem, perfectiſſimam quoque & divinam, poſita. Id vero ſeſe longe aliter habere, nobis innoteſcit ex *Leibnitii* Commentatione *de Conformitate rationis & fidei §. 87*, ubi hic in *Lutheri* opinione acquieſcit. Quantopere hic Commentarius B. *Joanni Franciſco Buddeo* arriſerit, intelligitur ex ejus *Inſtitut. Theol. dogmat. Lib. I Cap. 2 §. 15 pag. 110.* Qui ad manus habent libellos Philoſophiæ recentioris, facile videbunt, quantum veritatis ſubſit pronuntiato Cel. Viri. Id porro idem notat, *Leibnitium* præmia & pœnas futuræ vitæ ad *naturales conſecutiones* retuliſſe in ſuo ſyſtemate de præſtabilita omnium rerum harmonia. Conſuluimus *Monadologiam*, at tam infelici ſucceſſu, ut nullam propoſitionem deprehenderimus, quæ naturales illas conſecutiones exponat & declaret, adeo, ut ne quidem verba illa ibi potuerimus invenire. *Wolfius* cæterique admittunt remunerationes & pœnas, tum naturales, tum poſi-

Pag. 83.

poſitivas, uti ex ipſorum Compendiis innoteſcit eis, qui cum
dubitationibus ſuper hac re conflictantur. Pergit Cl. Au- Pag. 83.
tor ad aliud momentum. Veretur, ne conſummationem 85.
ſeculi recentior Philoſophia expoſitura ſit per transfor-
mationem naturalem, neve creationem telluris ſit ex-
poſitura per revolutionem novam naturalem, indubie
probe gnarus, *Wolfium* docuiſſe, Deum ex nihilo creaſſe
hoc univerſum, ipſumque hoc tradere: *Quam diu hac* 86.
elementa ſubſiſtunt, tam diu mundus hic adſpectabilis ſub-
ſiſtit, ac tam diu etiam ordo & curſus naturæ conſer-
vari debet idem. An vero & quando ea haud am-
plius ſubſtitura ſint, Philoſopho non licet decidere, ſi-
quidem hæc ad revelatum lumen ſunt referenda. Nil ita-
que Cel. *Wolfius* de hac quæſtione adjunxit. Miramur ve-
ro, Autorem docere, *elementorum nullum unquam*, ſecun-
dum Philoſophiam recentiorem, *in nihilum redigi debere*,
cum *Wolfius* docuerit, elementa non niſi ex creatione Dei
exiſtere poſſe, nec niſi per annihilationem a Deo factam
poſſe interire, ſibi vero de eo interitu ex Philoſophia nihil
conſtare, neſcientem quippe, an Deus unquam ea velit in ni-
hilum redigere. Et, licet notum ſit, *Leibnitium* ſententiam
Peterſenii notaſſe, ratum, corpus Chriſti incarnatum fuiſſe
e cœlo allatum, Autor tamen ſuſpicatur, hanc opinionem
Leibnitio arriſiſſe. *Incarnationem* certe ad miracula retulit 91.
Leibnitius, non ad ſyſtema præſtabilitionis, uti ex luculen-
tis ejus verbis Vir laude omni dignus *pag.* 74 oſtendit. Ni- 93.
hilo minus tamen ita diſſerit: *Jam vero tam multa & plera-*
que tam evidentia argumenta, tam gravia documenta, at-
tuliſſe mihi videor, ut ſperem, agnituros eſſe quosvis accura-
tos & æquos rerum æſtimatores, non temere eo me delapſum
eſſe, ut, Philoſophiam recentiorem immediatis ac ſupernatu-
ralibus Dei operationibus infeſtam eſſe, auſus ſim aſſerere.
Nec mirum jam cuiquam videri poteſt, quod, Naturaliſmum
in ſinu ejus latere, ſuſpicer, & mala graviſſima ex illa exti-
meſcam. Meminimus ſimul illius *Paulini*, *1 Cor. XIII, 5:*

 Ἡ ἀγά-

Ἡ ἀγάπη ȣ̓ λογίζεται τὸ κακόν. Noſtro tamen fatente, agnovit *Leibnitius neceſſitatem religionis in republica*, *&* *veritatem ac præſtantiam Chriſtianæ*. Qui autem veritatem religionis Chriſtianæ, ejusque myſteria, admittit, anne illi poteſt Naturaliſmi dica jure impingi? Conqueritur vero, non conſtare ſibi de eo, an *Leibnitius*, ſingulas Evangelicæ reli-
Pag. 94. gionis partes ſibi probatas eſſe, crediderit. Licet autem de eo haud exſtet controverſia, cum nullus articulus fundamentalis poſſit oſtendi, quem ipſe non hinc inde confirmarit & approbarit, id tamen ad quæſtionem de Naturaliſmo ejus tam parum facit, ut potius hic eo pacto evertatur. Adſcribemus porro hic alia, ad Cel. *Chriſtianum Wolfium* pertinentia, Autoris verba: *Illud non diſſimulo, valde me optare, ut Illuſtris* Wolfius, *dum in vivis eſt, ſuam de his Theologiæ noſtræ Chriſtianæ capitibus ſententiam diſerte & perſpicue profiteatur; quid de tota œconomia Spiritus ſancti, ac operationibus ejus immediatis & ſupernaturalibus, quas in tam multis articulis (de revelatione, de illuminatione, de converſione, de ſanctificatione, &c.) Theologia noſtra aſſerit, quid etiam de tot miraculis Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum, in S. Scriptura memoratis, ſentiat, & quousque* Leibnitii
95. *Harmoniam præſtabilitam univerſalem amplectatur. Nusquam adhuc, quod ego quidem ſcio poſt diligens ſcrutinium, poſitive aſſeruit, ſe ea in re doctrinam noſtram probare. Dei gloria, Scripturæ dignitas, Eccleſiæ quies, plurimarum animarum ſalus, id a Viro, dum Chriſtianus eſt, exigunt, ut ſuam de iſtis doctrinæ noſtræ Chriſtianæ articulis ſententiam publice exponat. Ob autoritatem, qua in orbe erudito floret, magnum omnia, quæ agit, pondus habent, magnas ſe-*
96. *quelas. Quodſi præterea Philoſophiam ſuam ab iſta noxa immunem præſtare, & crimen illud ab ea removere, vult ipſe, tanto facilius agnoſcet, quanta ipſi neceſſitas incumbat, mentem in iſtis rebus ſuam clare & perſpicue exponendi. Deus provideat!* Licet ſimus incerti, an & quantum Ill. *Wolfius* huic poſtulato ſit annuiturus; id tamen certo novimus certius,

Digitized by Google

tius, ipſum profiteri nomen ſuum inter eos, qui Auguſtanæ Confeſſioni ſunt addicti, eorumque profeſſionem confirmare, dum inter illos ſacra cœna utitur, quippe quæ præter reliquos fines & uſus quoque teſſera eſt confeſſionis religioſæ. Veremur vero, ne Autor, commemorans inſulſas *Wertheimenſis Interpretis* aberrationes, & Jenenſis cujusdam juvenis corruptas de myſterio ſacroſanctæ Trinitatis opiniones, & exinde ad fructus Philoſophiæ recentioris concludens, rationes ſuas ita ſubducat, ut acutioribus paralogiſmi notam videatur incurriſſe, ſiquidem ex malitia *Judæ Iſchariotæ*, & infirmatibus Apoſtolorum, nulla ratione ferri poteſt de magiſtri ſanctiſſimi doctrina judicium, nec judicare licet ex *Manaſſis* erroribus de pietate ac religione patris *Hiskiæ*. Autorem male habet judicium *Leibnitianæ* ſpei de *P. Bælii* ſalute, memorem nempe diſtinctionis, quam de judicio charitatis & ſpei, atque de judicio veritatis, Theologi optimi commendant. Addit *Fontenellii* judicium de religione *Leibnitii*, quod tamen ipſa *Leibnitii* confeſſione labefactatur in *Præfatione ad Theodicæam pag.* 32, & ex *Supplem. ad* hæc *Acta Erud. Tom. VII Sect. IX pag.* 424 concidit. Additur nonnullorum tumor philoſophicus & irreverentia in ſacras literas ex querelis, quas exhibet Ven. Collector *der Sammlungen zum Bau des Reichs Gottes, XII Beytrag, pag.* 482 *ſeq.* & ex teſtimonio acutiſſimi *Bertrami*, ac B. *Auguſti Hermanni Franckii.* Ex altera parte addi etiam potuiſſent exempla ejusdem farinæ. *Iliacos* ſcilicet *intra muros peccatur & extra.* Juvat tandem audire Cl. Autoris judicium de Philoſophia *Wolfiana*, prolatum hoc modo: *Agnoſco & fateor, in Philoſophia ipſa eſſe multa eximia. Multis præclaris floret inventis. Multa accuratius, diſtinctius, ſolidius, evoluta, expoſita, probata, exhibet, quam omnis antiquior Philoſophia. Habet, & non raro ſequitur, rectas ratiocinandi leges. Diſtincte docet. Determinate loquitur. Solide probat, ubi intra ſuos cancellos eſt, & recte ſe gerit. Accommodata etiam eſt, ubi bona, ad uſum vitæ. De* Pag. 5.

Deo, de anima, de mundo, de phænomenis naturæ, de officiis hominis & civis, multa recte & præclare docet. Veretur autem Vir laudatiſſimus, ne amor ſyſtematicus, ſuique admiratio, ac ſcientiæ typhus, limites Philoſophiæ præſcriptos transſiliat; ne in Theologiam revelatam depravationes Philoſophia recentior immittat, ne juvenes a rebus magis neceſſariis illa abducat; ne methodum propaget ad dogmata, quæ ea non indigent, vel eam non ferunt; ne fictionibus paſſim indulgeat; ne omniſcientiam affectet; ne cultores ambitione ſubtiliori ſaginet; ne homines magis reddat ſpeculandi cupidos, quam pietatis veræ & Chriſtianæ fidei capaces; ne cultores ſuos ad regnum naturæ nimis affigat; ne animis fidem juſtificantem, fideique fructus, excutiat, &c. *Wolfianos* autem in eo eſſe occupatos, nobis non perſuadere poſſumus, ut contendant, ſacrarum literarum indolem loquendi eſſe ita popularem, ut in ea duntaxat ad phænomena, veritate rerum excluſa, reſpiciatur, ſiquidem ea, quæ Deus
Pag. 22. revelavit, non poſſunt non eſſe vera. De harmonia præ-
51. ſtabilita hoc haud omittendum eſt judicium Autoris: *Impoſſibilitatem quidem rei haud facile monſtraverit quisquam, (prout ex altera parte Harmoniſtæ poſſibilitatem etiam non niſi precario ſumunt,) ſed tamen a ſenſu communi valde aliena eſt ſententia, & talis, quæ non poteſt non vehementer ſtupefacere animum.* Licet autem facile ex adductis teſtimoniis diluceat, utri parti Cl. Autor magis nomen dederit ſuum; exiſtimamus tamen, ea, quæ Ven. *Valentinus Erneſtus Læſcherus* & Cl. *Reuſſius* protulerunt, ſic eſſe comparata, ut lectione & meditatione cultorum Philoſophiæ recentioris admodum ſint digna, præcipue eo, quod Duumviri humanitatem & modeſtiam cum gravitate & ſoliditate theologica eleganter conjunxiſſe videbuntur.

Der mit dem Matthäus-Stift verbundene groſſe Caland zum H. Geiſt, oder Hiſtoriſche Nachricht von dem Stiffte S. Matthäi in Braunſchweig, ꝛc.

hoc

hoc eſt,

HISTORICA COMMEMORATIO DE CApitulo S. Matthæi, quod viget Brunſuici, tam ſecundum fundationem ejus ſub Ordine Templariorum, quam ſub Equitibus Ordinis Joannitici, & ſtatum præſentem ſub Fraternitate Calendaria. Ex probatiſſimis Autoribus collegit, & Diplomatibus accommodatis inſtruxit, JULIUS JUSTUS GEBHARDI, Paſtor Senior ad Ædem S. Catharinæ, Capitulique jam dicti electus, clementiſſimeque confirmatus, Decanus.

Brunſuici, impenſis viduæ Ludolfi Schrœderi, 1739, 4. Alph. 1 plag. 1½.

Inſcriptionem libri duo ornamenta comitantur. Autoris effigies ſeſquicubitalis, collari tubulato inſignis, annum miniſterii ſacri nonum ſignificans, integramque Autoris Pl. Rev. dignitatem prædicans, eam præcedit. Excipit vero eam formula Dedicationis, ad Sereniſſimum Ducem *Carolum* directa. In Præfatione Autor recenſet rationes, quibus adductus, hoc Opus in lucem emittere ſecum habuerit conſtitutum. Impulit ipſum inprimis juſſum Glorioſiſſimi Ducis, *Antonii Ulrici*, A. 1704 d. 28 Julii editum, quo de fundatione Calendariæ Societatis S. Matthæi, ejusque adminiſtratione, fuit quæſitum. Huic dicto ipſe audientem ſeſe præſtitit. Notat illud aureum plerorumque Capitulorum dogma, quo, *ſecreta* (male acquiſita) *enuntiare, eſt res ſacra & horrenda;* eique magis aureum, idque ſincerum, opponit Chriſti præceptum *Jo. III, 20, 21.* Laborant enim nævis vitiisque tenebriones, ſæpiusque mulctantur interitu Diplomatum ſuorum fatali, nec ſatis evitando. Laudamus merito diligentiam Autoris, qui, ne quid Fraternitatis ſuæ Diplomatum periret, vel in poſterum intercideret, apparatum eorum omnem in lucem emiſit. Laborem ejus perſæpe ſublevavit harum rerum peritiſſimus Vir Pl. Rev. *Philippus Julius Reth-*

Rethmeyerus, cui eo nomine nos quoque gratias debemus.
Nec tamen circumſpectio tanta valuit effugere paucula paro-
ramata, e. g. *Merckerode* pro *in Erkerode*, &c. Societatis Ca-
lendariæ, cui a Spiritu Sancto eſt cognomen, cœtus jam
conſtat ſeptem perſonis, Decano, Camerario, Seniore,
tribus Fratribus clericis, unoque Fratre non clerico, ſeu
Paſtoribus S. Catharinæ, Rectore, Conrectore, Cantore, &
Subconrectore ſcholæ Catharinianæ, ac Conſule urbis
Pag. 66. uno. De Ordine Templariorum & S. Joannis decerpemus
nihil. Cui enim non dictus Hylas? Dubitamus tamen
haud injuria, an alii Magiſtros Templariorum enumerave-
rint tam ſollicite, eorumque facta tanta diligentia expoſue-
rint. Templarios fuiſſe in cauſa, ut Chriſtiani regnum
10 ſeq. amiſerint Hieroſolymitanum, ſolide oſtendit. Intexit præ-
terea paſſim nonnihil, quod fruſtra alibi quæſiveris. Ad-
hibuit enim uſibus ſuis *Muratorii Scriptores rerum Italica-
rum*, aliosque libros, vulgo eruditorum ignotos, vel etiam
8. ſumtuoſiores. Origo templi ac Capituli S. Matthæi Brunſui-
cenſis in annum 1171 incidit, quo *Henricus Leo* in gra-
tiam Templariorum, a quibus in Palæſtina benigne habitus
fuerat, illud templum exſtruxit, quod poſthæc Commendæ
Supplinburgenſi eſt annexum. Cum bona Templariorum,
injuſtiſſima ratione exſtinctorum, Ordini S. Joannis adju-
dicaſſet Pontifex in Concilio Viennenſi A. 1322 d. 22 Maji,
Otto, e Ducibus Brunſuicenſibus progenitus, præceptor
32. ſeu Commendator Ordinis Templariorum Supplingeburgi ac
Brunſuici ad S. Matthæi, reditus annuos ſibi reſervavit Sup-
plingeburgenſes domumque S. Matthæi Brunſuicenſem ad vi-
tæ ſuæ tempus, caſtrum vero Supplingeburg, acceptis a Du-
ce Magno 400 marcis Brunſuicenſis valoris, Magiſtro Or-
dinis Joannitici confeſtim tradendum curavit. Initia Or-
37. dinis Joannitici diſtincte Autor Pl. Rev. evolvit. Sed, ſimul
ac mortem *Raimundi*, Magiſtri Ordinis Hoſpitaliorum at-
tigit, compendioſi induit ſcriptoris indolem vultumque,
36. ratus, Mergenthemium a Germano, Ordini Hoſpitaliorum
addi-

addicto, exſtructum fuiſſe Seculo XIII, & ita denominatum in memoriam caſtri Syriæ littoralis, *Margath*, quod Magiſter Ordinis ipſorum ab A. 1178 usque ad A. 1285 tenuit incoluitque. Qui *Vertoti* Abbatis hiſtoriam hujus Ordinis, quam *Juſtus Chriſtoph. Dithmarus* verrnaculam reddidit, evolvere valent, eis præterea non opus eſt magnis adjumentis. Prior magnus Ordinis, qui ſimul eſt Magiſter ejus, A. 1297 Friburgo Helvetiorum ſedem ſuam movit Heitershemium, Ordini tunc temporis a Marchionibus Baden-Hoch- Pag. 41.
bergenſibus, *Henrico* ac *Rudolfo*, ſecundum patris *Henrici* voluntatem donatum. Primus Priorum Ordinis Germanus exſtitit *Henricus*, Comes Toggenburgi, circa annum 1251. *Georgium de Schilling*, ſucceſſorem ejusdem, *Carolus V* Principibus Imperii annumeravit, eique locum, qui ab Abbate Fuldenſi proximus, attribuit in Comitiis A. 1546. Commendam Supplinburgicam ab *Henrico Leone* inter annos 1172 & 1180 inſtitutam fuiſſe, ſuſpicatur Autor. Ul- 43.
tra Commendatorem anni 1357, *Rudolfum de Sachſenberg*, nondum exquiri potuit ullus. Circa annum 1591 inter Ma- 45.
giſtrum exercitus Sonneburgenſem & Ducem Brunſuico-Luneburgico-Guelpherbytanum controverſia quædam ita fuit diremta, ut per vices Dux & Magiſter ille ſeu Commendator 47.
Commendatorem Supplinburgenſem denominarent, ordinibus provincialibus Guelpherbytanis aggregandum, eoque nomine Ducibus ſubjectum obnoxiumque. Fraterni- 49.
tas Sociorum S. Spiritus Brunſuicenſium exorta fuit A. 1265, gaviſa primum coitionibus, in ſacrario S. *Gertrudis*, templi *S. Blaſii* parte, celebratis. *Alberti Pinguis* Diplomata, 51.
fraternitati huic ſalubria, ad A. 1293 & 1313 data, hiſtoriæ Brunſuicenſi ſunt ornamento. Fraternitas A. 1367 Brunſui- 53.
ci Ædem Templariorum & ſacrarium S. *Matthæi* emit ab *Hermanno de Warberge*, Commendatore Supplinburgi Joannitico, 150 marcis, veluti feudum Supplinburgicum. Fraternitas tum 12 ſodalibus conſtitit. *Martinus Chemni-* 60 ſeq.

Gg *tius*

Pag. 63. *tius* Decani adjutor ac deinceps Decanus fuit, confirmatus A. 1567 d. 7 Febr. nec non D. *Bartholdus Botſaccus*, Superintendens Brunſuici. Pl. Rev. Autorem A. 1734 confirmavit beatiſſimæ memoriæ Dux *Ludovicus Rudolphus*, Commendator Supplinburgenſis. Tractationem excipiunt Diplomata & Acta publica, e quibus hiſtoria Ducum Brunſuicenſium lucem capit haud contemnendam. Commendamus merito hoc exempli aliis quoque, qui rem Germaniæ hiſtoricam ſimili ratione illuſtrare valent.

RIFLESSIONI SULLA PRETESA SCOPERTA del ſopraornato Toſcano eſpoſtaci dall'Autore dell' Opera degli Anfiteatri & ſingolarmente del Veroneſe, &c.

hoc eſt,

COGITATA SUPER NOVELLA DETECTIONE ornatus Tuſcanici ſuperioris, expoſiti ab Autore Operis Amphitheatrorum, & inprimis illius, quod Veronæ exſtat, Autore MATTHÆO LUCCHESE, Architecto Veneto.

Venetiis, typis Stephani Monti, 1730, 8.

Plag. 5½, Fig. æn. 3.

Autor Illuſtriſſimus, qui *de Amphitheatro Veronenſi* ex profeſſo ſcripſerat, in ea fuerat ſententia, Architectorum neminem rationes Tuſcanici, per ſuprema Amphitheatri faſtigia, obſervaſſe ornatus. Id quidem illud eſt, quod Autor pernegat, conſilio ſuo prius cum *Thomaſio Temanza*, amico-
2. rum flore, communicato, qui in tractatione Illuſtriſſimi, credimus Marchionis, non pauca deſiderat. Noſter, ut rem
4. ab exordio repetat, inquirit in ordinis Tuſcanici originem.
5. Eum eſſe antiquiſſimum, ipſoque Dorico priorem, exiſtimarunt *Alberti*, *Scamozzi*, & alii. Dorici vetuſtatem prædicant
10. Galli, inprimis *Davilerius*, *Barozzii* commentator, & *Peraltus*, qui *Vitruvium* ſuis expoſitionibus illuſtravit. *Alberti* vera

vera attigit indicando, credens, Doricum ordinem antiquiſſimis Tuſcis in uſu fuiſſe, ac alterum ordinem Tuſcanicum ex acceſſionibus ornatuum nonnullis fuiſſe enatum. Inde ab A. 1400 ſtudia, & Architecturæ notitia, in Italia cœperunt reflorere. Illico Architecturæ ſtudioſi notarunt ordinem Doricum in *Theatro Marcelli*, Corinthium in *Pantheo*, & Pag. 12.
Arcu *Titi* triumphali Romano, Ionicum in templo Fortunæ. Credit Autor, lacunam non ineſſe Architecturæ Tuſcanici ordinis, ejusque ornatus ſuperioris, quem cum baſi ceteriſque partibus Coloſſei oſtendit eſſe Tuſcanicum. Reſpon- 17.
det deinde ad argumenta, oppoſita eis, qui primum *planum* Coloſſei pro Tuſcanico habent. Tum demonſtrare contendit, lunam in Architectura reſpectu ordinis Tuſcanici & ornatus ſuperioris haud dari. Exquirit præterea, an *Alberti* & *Vitruvius* de eo jam expoſuerint ſua ætate. Reſpondet porro ad argumenta, quæ partim prolata ſunt, partim obmoveri poſſunt, &, ni fallimur, ſatis ad liquidum deducit, ornatum ſuperiorem tertii plani in Veroneuſi ædificio convenire omnino cum forma Capituli Dorici & Tuſcanici, a *Vitruvio* deſcripti.

DIATRIBE LITERARIA DE GENUINIS Hiſtoriæ Ruſſicæ fontibus, in memoriam glorioſæ legationis, a Viro Perilluſtri Domino AUGUSTO ADOLPHO L. B. DE CRAM, Seren. Ducis Brunſv. & Luneb. Conſiliario Status intimo, & rel. A. 1739 Petropolin in aulam Ruſſicam ſuſceptæ, conſcripta ab RUDOLPHO AUGUSTO NOLTENIO.

Lipſiæ, apud Jacobum Schuſter, 1739, 4.

Plag. 3.

Cum Dux Sereniſſ. Brunſuicenſis & Luneburgenſis *Antonius Ulricus*, cum Sereniſſ. *Anna* Meclenburgica, Ruſſici Im-

perii hærede, celebraret conjugium, Perilluſtris Liber Baro *de Cram* juſſu Heri ſui Clementiſſimi, *Caroli*, Ducis Sereniſſ. Brunſu. & Luneb. conjugii momenta curavit ac ornavit. Felicibus auſpiciis idem medio Octobri A. 1739 Gulepherbytum rediit, excepitque eum Cl. Autor gratulatione hac ſua,
Pag. 6. & comta admodum, & Ruſſicæ legationi accommodata. Laudat inprimis *Gerardi Friderici Mülleri Vitam Suetoslai*, inſertam *Parti V Collectionis Hiſtoriarum Ruſſicarum*, *Ditmarum Merſeburgenſem*, *Adamum Bremenſem*, ac *Helmoldum*, nec non *Snorronis Sturlonidis Hiſtoriam Regum Septentrionalium*, verſione illuſtratam a *Jo. Peringskioldio*, Holmiæque A. 1697 in fol. editam, ex qua laudatus *Müllerus* compendium Hiſtoriæ Ruſſicæ Seculi X & XI a Jeſu nato in *Parte II* commemoratæ *Collectionis* concinnavit.
7. Scriptor vetuſtiſſimus Ruſſorum indigena, qui Seculo XII floruit, eſt *Theodoſius*, Abbas Kiovienſis, cujus Chronicon Ruſſice perſcriptum exſtat. Fatendum tamen, cuncta, quæ de Ruſſicis rebus ad Seculum usque
8. XIV ſuperſunt, in numero fragmentorum habenda. Haud ferunt omne punctum *Rerum Moſcoviticarum Autores varii*, Francofurti A. 1600 in fol. apud *Wechelios* in lucem
9. emiſſi. Meliora ſunt ſcripta *Petri Petreji*, *Jacobi Ulfeldii*, *Claudii Chriſtophori Lyſchandri*, & *Jacobi Reutenfelſii*, *Adami Olearii*, cujus *Iter* ſatis innotuit, *Alberti Heidenfelſii*, *Nicolai Witſeni*, Anonymi, qui edidit Amſtelodami A. 1700, 8, *les trois Ambaſſades de Comte de Carlisle vers Alexey Michaelovitz.*
10. *Cornelii de Bruins*, cujus *Iter* A. 1711 Amſtelodami in forma maxima prodiit,
11. merita haud ſunt diſſimulanda. Chorographiam Ruſſiæ ſeptentrionalis ac orientalis illuſtravit *Phil. Jo. de Strahlenberg*, ediditque Teutonice A. 1730, 4, Holmiæ. *Petrus* primus, Monarcha Ruſſorum ad omnem poſteritatem commemorandus, canalem deducendum curavit ex Tanai in Wolgam, ex ſinu Tinnico in lacum Ladogæ, & præterea tres alios. Hoſce deprehendimus exquiſite deſcri-

Digitized by Google

ſcriptos in libro: *Hiſtoire genealogique des Tatars, traduite du manuſcript Tartare d'Abulgaſi-Bayadur-Chan*, Lugduni Batavorum A. 1726, 8, edito, *pag.* 723. Succedunt deinde ſcriptores, qui de religione Ruſſorum expoſuerunt, Pag. 13.
quorum plerique huc usque ſibi incognita memoriæ prodidere. Vir Clariſſ. *Jo. Leonh. Friſchius* A. 1727, 4, edidit ex Ruſſica lingua in Germanicam converſum *Catechismum Eccleſiæ Ruſſicæ*, ac Conſtitutionem *Petri magni*, 14.
quæ inſcribitur: *Neues geiſtliches Reglement zu Behuef der Ruſſiſchen Kirchen*, Gedani, 1724, 4. Non eſt, quod immoremur libris, ad *ſtatum Ruſſiæ civilem & militarem* referendis. Percenſet eos quoque Noſter, qui de titulo Imperatoris, quem *Petrus* primus, magnitudinis cauſa 15 ſeq.
nominandus, vindicavit ſibi, ſcripſerunt, vel jus Moſcoviticum civile illuſtrarunt. In calce ſubjecit Tabulas duas genealogicas, quarum prior repræſentat *Alexium Petrovitz*, 26.
ortum ex familia Guelfica, poſterior exhibet *Carolinam Chriſtinam Sophiam*, *Alexio Petrowitzio* olim nuptam, Principem Brunſuicenſem & Luneburgenſem, ex 27.
ſtirpe magnorum Ruſſiæ Ducum procreatam.

ELOGIUM DANIELIS DUNCANI,
Medici Londinenſis.

Obiit die 30 Aprilis Anni 1735 Londini *Daniel Duncanus*, magni nominis Medicus, Ordini Medicorum, qui Monteſpeſſulano eſt, adſcriptus, Vir plurimis per vitam jactatus adverſis fatis, miroque circuitu in Angliam usque deductus. Pater ipſi fuit *Petrus*, avus *Wilhelmus*, uterque medicæ ſcientiæ callens, poſterior etiam Philoſophiæ Profeſſor in Academia, quæ in urbe Monte Albano (*Montaubam*) tunc temporis florebat. Natus eſt *Daniel* hac ipſa in urbe A. 1649, mox, dum adhuc in cunis vagiebat, patre matreque orbandus. Majores ejus, gente nobiles, e Scotia huc transmigraverant. Orbi infantis curam & tutelam qui ſuſceperat, Toloſanus quidem ſenator, cum Podium Laurentii

(*Puiſlaurent*), poſtquam aliquantum adoleverat, commigrare juſſit, quorſum Academia Monte Albano translata fuerat. Literis, quæ ab humanitate nomen habent, & Philoſophiæ cum ibi operam navaſſet, Medicinæ ſtudium exorſurus, Montem Peſſulanum (*Montpellier*) abiit. Ejus induſtria magiſtris in hac arte multum ſe probavit, inprimis celeberrimo *Barbeyraco*, qui ipſum ſecum ad ægrotos, quos viſitabat, tanquam perpetuum comitem deducebat, privatisque in ſcholis eum diligenter erudiebat, ut, vix annos 24 natus, Doctoris Medicinæ titulo dignus haberetur. Lutetiam Pariſiorum per ſeptem annos ſedem cum delegiſſet, patria lingua evulgavit *Explicationem novam & mechanicam actionum animalium* A. 1678, qua multorum Medicorum gratiam iniit. Reverſus in patriam urbem Montem Albanum, curandis ægrotis multam ſibi famam peperit, ibique alium compoſuit librum, ſed vernacula itidem lingua conſcriptum, *Chemiam naturalem*, *ſeu explicationem chemicam & mechanicam modi*, *quo nutriuntur animalia*, *tribus* conſtantem *Partibus*, quarum *prima* A. 1681, reliquæ *duæ* A. 1687, Pariſiis omnes, prelo exierunt. Eodem hoc ultimo anno etiam edidit ſuam *Hiſtoriam animalis*, *ſeu corporis animati cognitionem*, *e Mechanica & Chemia repetitam*, ſermone eodem, quo in antea nominatis libris, nunc quoque uſus. Quantum tum favorem eruditorum hi libri ſuo Autori conciliaverint, e *Baylii* Lexico Critico, inprimis Articulo *Cériſantes*, cognoſci poteſt, cujus ultima verba ad Noſtrum attinent. Perſecutione ob religionem in Galliarum regno mota, ac in dies ingraveſcente, A. 1690 Genevam petere coactus eſt. Sed nec ibi perfugio commodo fruebatur, vix elapſo anni ſpatio urbem per Medicorum invidiam linquendi neceſſitatem ſibi impoſitam videns. Bernas quidam magnæ dignitatis vir, cui innotuerat *Duncanus*, ut ad urbem hanc ſeceſſum faceret, perpulit. Benigne a Bernatibus exceptus, per octo vel novem annos medendi

Digitized by Google

dendi artem feliciter, quieteque exercuit, etiam lectionibus in Anatomiam ibidem inſtitutis. Sed occaſio hinc recedendi *Duncano* talis fuit. Conqueſta erat plebs apud magiſtratum ſuum, eripi ſibi a Gallis, qui religionis cauſa huc ſeceſſiſſent, victum & acquirendi ejus media. Ad plebis querelam moniti ſunt exules magiſtratus nomine, aliorſum ſe conferrent. Monitum adeo ad Noſtrum non pertinebat, ut multi eum apud ſe retinere laborarent, cum apud animum conſtituiſſet, eandem cum reliquis exulibus ſortem ſubire, nullis precibus a conſilio dimovendus. Tranſiit igitur cum ſuis Gallis in terras Brandenburgicas, ubi ab Electore lubente admittebantur. Quamprimum Berolinum delati erant, ipſe a ſuis deligebatur, qui dona ab Electore cœtui erogata prudenter pro ſingulorum neceſſitatibus diſpeſceret, coloniam deductam ordinaret, & reliquis omnibus autoritate & conſilio præeſſet. Quanto ipſi honori collatio officii hujus fuit, tantos etiam labores in ipſum devolvit, a quibus laudabiliter peractis tamen nihil præmii reportavit, præter laudationem a munere probe perfecto profectam, & Profeſſoris Medicinæ titulum. Diſplicuit ipſi tandem ſors hæc vacua, & Hagam Comitum A. 1703 petiit, ubi per duodecim annos plurimis morbo decumbentibus invigilavit, ſatis cetera commode vitam ſuſtentans. A. 1705 Roterodami excudi fecit librum: *Avis ſalutaire à tout le monde*, ſeu *omnibus ac ſingulis utile conſilium de calido potu caute utendo, præcipue cui herba Thé, faba Arabicæ toſtæ & comminutæ, & Mexicana aromata, intritæ ſunt*, quod in Anglicum idioma transfuſum eſt. Poſt duos inde annos Latinam verſionem ſuæ *Chemiæ naturalis* adornaverat, ſcriptionem priorem partim augens, partim hinc inde mutans. Prodiit inſcripta: *Chemiæ naturalis Specimen, quo plane patet, nullum in chemicis officinis proceſſum fieri, cui ſimilis aut analogus in animalis corpore non fiat*, Amſtelodami, 1707. Poſthæc modicam pecuniæ ſummam, quam vel ſecum e Gallia eve-

xerat,

xerat, vel aliunde acquiſiverat, quo a jacturæ periculo tutior eſſet, illis concredidit, qui in Anglia publico nomine argentum mutuantur, atque de capitibus ærario illatis annua fœnora rependunt. Quod ipſi cauſa extitit, cur A. 1725 in Angliam transfretaret, vitæ quicquid reſtaret, ibidem tranquille transacturus. Medicam & hic praxin inde ab illo tempore eadem, qua antea aliis in locis, ſectatus eſt fortuna. Nihil minus, quam auro, inhiantem animum Londini prodidit, nullis lubentius, quam pauperibus, opem ferens, addito, quo frequens utebatur, dicto: plus lucri ab his, quam a divitibus, reportari, Deo ſe debitis illorum prædis in modum ſubſtituente. Nihil fere quidquam, quod illi moleſtiam faceſſeret, inventum eſt, præter maligna illorum hominum ingenia, qui beneficia ab ipſo accepta in benefactoris damnum vertebant. Tanta ægrotorum turba eo ſanatore uti voluit, ut nimia ſedulitate ſibi ipſi morbos arceſſiverit, quibus per tres abhinc annos miſero tum ſui, tum familiæ ſuæ, fato excruciatus, tandem corpore exutus eſt. Varios libros conſcriptos reliquit, medici, mythologici, phyſici, argumenti, luce publica non indignos, inter quos eminent Diſſertationes, altera de peſte, altera de implantatione variolarum. Mirantur omnes, qui clinicæ praxi aſſiduo intentus tot libros conſcribere potuerit; verum adeo parum ille a ſcribendo ſibi temperabat, ut, quas ſomno & recreationi dederat, horas quaſi perditas doleret. Vivaci erat ingenio & alacri, in confabulando lenis, maledicos ſatyramque ſerio exoſus, gratus & acceptus plurimis, ſed paucos colloquii cauſa inviſens, recreationum fere omnium pertæſus, ſincerus & integer vitæ, Proteſtantium religioni non ſine maximo zelo addictus, Chriſtiani Medici perſonam perbelle in ſe ſuſtinens, denique, ut paucis omnia complectamur, talis prorſus, quales eſſe omnes deberent, re ipſa autem, quæ noſtrorum temporum magna eſt calamitas, ſunt pauciſſimi.

* * *

Digitized by Google

AD
NOVA ACTA
ERUDITORUM,
Quæ Lipſiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tomi IV Sectio VI.

ISTORIE PISTOLESI, OVERO DELLE COSE AUVENUTE in Toſcana dall' anno MCCC al MCCCXLVIII, &c.
hoc eſt,
HISTORIÆ PISTORIENSES, SIVE DE REbus Florentinis ab anno MCCC usque ad annum MCCCXLVIII. Accedit MONALDI Diarium.

Florentiæ, per Joannem Cajetanum Tartini & Santi Franchi, 1733, 4.
Alph. 2 plag. 4.

Tertium nunc prodeunt Commentarii rerum Piſtorienſium, non tantum illius urbis, ſed Tuſciæ univerſæ, fata, quæ per quinquaginta priores annos Seculi XIV memoratu digna videntur, exponentes, quamvis ignotus Autor titulum inſtituto ſuo arctiorem propoſuerit, ſive quod Piſtorio, ut viri docti conjiciunt, oriundus ſit, ſive quod factiones Alba & Nigra, quarum deſcriptio præcipua pars Operis eſt, originem ſuam a Piſtorienſibus traxerint. Ediderunt eos primum *Joannes* & *Philippus Giunti* Florentiæ A. 1578, &, ſi qua conjecturis veriſimilibus fides eſt, curante *Vincentio Borghino*, cui etiam Præfatiuncula, editioni primæ præfixa, ſine dubio debetur. Hanc primam editionem Ab-

bas *Langletus* in Methodo hiſtoriarum quaſi tres libros inter ſe diſtinctos, *Julius* vero *Negri* in *Hiſtoria Scriptorum Florentinorum* quaſi binos, per errorem recenſent. Dignum poſtea viſum eſt idem Opuſculum celeberrimo Viro, *Ludovico Antonio Muratorio*, quod auguſtæ *Scriptorum Italicorum* Collectionis *Tomo XI* infereret. Verum editionis primæ raritas ſecundæ pretium effecit, ut, tertiam non ingratam fore rerum Italicarum amatoribus, Vir doctus, qui eam curavit, exiſtimaverit. Duplex enim libelli dos eſt, altera in ſermonis nitore & a fuco peregrino intemerata caſtitate, altera in ipſis, quas continet, hiſtoriarum momentis, poſita. Præterquam enim, quod Autor ſimplex dicendi genus & hiſtoriis ſcribendis aptum ſectetur, tum etiam illis temporibus, quibus Italorum lingua puritate ſua ſe commendavit, Annales hoſce compoſuit, dignus propterea ſermonis illius inſtauratoribus & vindicibus viſus, cujus autoritate pluribus locis uterentur. Quæ vero res geſtæ in Commentariis noſtris contineantur, annorum numeri, quos titulus præ ſe fert, ſatis demonſtrant, tempus nimirum turbulentiſſimum, & calamitates innumerabiles, quæ Piſtorii primum ortæ, poſtea Tuſciam & Longobardiam univerſam miſere afflixerunt. Quibus deſcribendis quamvis *Joannes Villanus* operam prolixiorem dederit; Noſtri tamen in factionis nigræ & albæ motibus enarrandis diligentia potior eſt. Quapropter Editor notulas textui ſubjecit, quibus partim lector ad *Villanum* remittitur, partim aliorum Scriptorum narrationes cum noſtra contenduntur. Et, quoniam idem exemplar hujus Hiſtoriæ Piſtorienſis nactus erat, cui *Jacobus Corbinellus* annotatiunculas, partim hiſtoriis, partim vocibus antiquis, lucem allaturas, adſcripſerat, eas æque ac textus ipſius correctiones, ab eodem *Corbinello* profectas, non negligendas eſſe cenſuit. Ac, ut denique uſus libelli commodior eſſet, adjecti ſunt in margine numeri paginarum ex editione *Giuntorum*, nec non Indices bini rerum &, quos notæ laudant, Autorum. Quibus omnibus accedit *Monaldi* Diarium, ſeu Annales rerum Floren-

rentinarum, ab anno 1340 usque ad annum 1381 producti, & iisdem, quibus Hiſtoriæ Piſtorienſes, dotibus commendati, eo etiam pretioſiores, quod nunc primum prodeant, & notulis, maxime etymologicis, a celeberrimo *Salvini* Codici MSto adjectis, inſtructi ſint.

JAC. PERIZONII, ANT. F. DISSERTATIONES ſeptem, &c. Accedit JO. GOTTL. HEINECCII Præfatio de Utilitate Antiquitatum in Jurisprudentia.

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arn. Langerak, 1740, 8.
Alph. 2 plag 1.

EJUSDEM ORATIONES XII.

Lugduni Bat. apud eundem, 1740, 8.
Alph. 1 plag. 14.

Cum rarius obvii eſſent parvi *Perizonii τȣ πάνυ* libelli, & tamen propter miram eruditionem cupide a literarum bonarum ſtudioſis quærerentur; rem utilem fecerunt, quibus hæc *Diſſertationum Orationum*que Volumina debemus. Et *Diſſertationum* quidem colligendarum autorem Cel. *Heineccium* credere ſuadeat primo adſpectu titulus libri. Sed celebre nomen tantum tanquam hederam in fronte libri ſuſpendere librarius voluit. Itaque nemo credat, hic accuratam, longam, & novam, Præfationem Viri Illuſtris reperiri. Brevis admodum eſt & vetus, ſcilicet ea ipſa, quam *Trigæ Diſſertationum Perizonianarum*, olim Halæ editarum, præmiſit, cum rogatu librarii eſſet aliquid, ſine dubio in magna temporis inopia, præfandum. *Orationes* autem collegit alumnus quondam *Perizonianæ* diſciplinæ, Cl. *Weſthovius*; qui etiam brevem vitæ *Perizonianæ* deſcriptionem præmiſit. Ceterum, quoniam de ipſis *Diſſertationibus* aliis locis dictum eſt in his *Actis*, nihil reſtat, quam ut indicemus titulos & ipſarum, & Orationum. Sunt autem *Diſſertationes* hæ: 1) *de Conſtitutione divina ſuper ducenda defuncti fratris uxore*; 2) *de Lege Voconia*; 3) *de variis nu-*

 mis;

mis; 4) *de Auguſtea orbis terrarum deſcriptione*; 5) *de Ære gravi*; 6) & 7) *de primis gentium antiquarum Regibus, & de hiſtoriæ Romuli & Romanæ Urbis origine.* Vellemus, adjectam eſſe etiam Diſſertationem doctiſſimam *de Prætorio*, quæ controverſiæ cum *Hubero* occaſionem dedit, quæ inprimis & rara eſt, & quæritur. *Orationum* autem 1) eſt *de Ciceronis induſtria*; 2) *de uſu Græcæ Romanæque linguæ*; 3) *de Pyrrhoniſmo hiſtorico*; 4) *de Doctrinæ ſtudiis nuper cultis*; 5) *de Origine & natura imperii*; 6) *de Bello contra Gallos & Hiſpanos*; 7) *de Æthere Britannis & Batavis militante*; 8) *de facta nuper pace*; 9) *Cohortatio ad pacem*; 10) *in Coronationem Wilhelmi & Mariæ*; 11) *in Funus Mariæ, Reginæ*; 12) *in Obitum Abr. Gravii.* His Orationibus legendis, neminem putamus fore, quin magnam & voluptatem & utilitatem capiat.

B. D. PAULI ANTONII, PROF. PUBL. ORD. IN Acad. Hal. Harmoniſche Erklärung der Heil. vier Evangeliſten, ꝛc.

id eſt,

HARMONICA EXPOSITIO SANCTORUM quatuor Evangeliſtarum, multis annotationibus illuſtrata, cum plenis Indicibus edita a JOANNE AUGUSTO MEIERO.

Pars III & IV.

Halæ, impenſis Orphanotrophei, 1739 & 1740, 8.

Pars III Alph. 1 plag. 6, Pars IV Alph. 1 plag. 22.

Complectitur *Pars tertia Lectiones 21*, quibus illuſtrantur colloquium Chriſti cum Samaritide, Chriſti prima concio, in Synagoga Nazarethana olim habita, Chriſti ad Capernaitas ex oppido Nazarethæ ingrato demigratio, ſanatio obſeſſi *Marc. I, 23 — 29*, & ſocrus *Petri* a febri liberata, nec non copioſa *Petri* piſcatio ex *Luc. V, 1 — 11.* Colloquio cum Samaritide initio ſubjunxit Editor Autoris Diſſertatio-

tionem de Samaritis ad Chriſtum adductis, *) ita tamen, ut
critica & polemica, ac vindicias adverſus *innocuas Relatio-*
nes, Germanice Editor haud reddiderit, licet alioqui nihil
eorum omittat, quibus laudes B. Viri amplificari poſſunt. Id
ſtatim in limine notandum, expoſitiones hasce harmonicas
magis ad animarum emendationem, quam ad rei literariæ
pompam venditandam, fuiſſe concinnatas. Editor vero
paſſim ea in notis ſubjectis monuit, quæ exquiſitiorem con-
tinent doctrinam. Cauſas finales actionum Chriſti ſapien-
tiſſime ſæpius B. Vir indicavit & expendit. Jeſum bapti-
zandis manum haud admoviſſe hominibus credit eam ob
cauſam, quod 1) noluerit ea gloria aliquos niti externa, & Pag. 12.
2) miniſterii ſacri ordini conſecrando operam impenderit.
Prius redditur veriſimile ex *1 Cor. I, 12, 13, 14*, poſterius ex
1 Cor. IV, 1. Sichemum vocatur *Sichar Jo. IV, 5. Hadr. Re-*
landus Diſſert. miſcell. Parte I pag. 141 exiſtimat, a Judæis
eam urbem per ludibrium ita dictam eſſe ex שקר, *fallacia.*
Editor vero ſuſpicatur, alluſum eſſe a Judæis ad שכר, *po-* 17.
tum inebriantem, ſiquidem religio falſa ſoleat cum eo com-
parari *Apoc. XVIII, 3, Jer. LI, 7, Nah. III, 4.* Idem ſubjunxit
hiſtoriam Samaritanam, e ſacro Codice & *Joſepho* contex-
tam. Colloquium Chriſti cum Samaritide B. *Antonius* ita 22.
enucleavit, ut ad emendationem animæ & prudentiam
uberrimus inde emanaverit fructus. Per κοιλίαν *Jo. VII, 38,*
intelligit *alveum humanitatis Chriſti.* Editor ſuſpicatur, 53.
Chriſtum reſpexiſſe ad mare aheneum *Salomonis*, in tem-
plo obvium. Aquam, a Chriſto dandam *Jo. IV, 14,* expo-
nit B. Autor de aqua, quæ ex latere ejus erat manatura,
quantum ad rem ipſam attinet. Ab aculeo legali progreſſa 57.
eſt Samaritis per pædagogiam ad Evangelii lucem. Indif- 75.
ferentiſmus ita jugulatur, a quo Editor B. *Antonium* voluit
purgare & vindicare *pag. 76.* Defendit eundem a ſtudio
contemnendi Compendia ac Syſtemata theologica, abuſum
ab eo notatum eſſe paſſim, confeſſus. Editor addit, Philo- 87 ſeq.

*) Titulus eſt: *De Converſione Samaritanorum ad Chriſtianiſmum.*

ſophiæ inſtrumentalis præguſtum Theologiæ candidato eſſe
Pag. 93. negligendum. Veritatem, in qua adorandus eſt Deus *v.*
24, exponit Autor de vera pœnitentia, vera fide, & vero
propoſito coram Numine ſummo comparendi. Propoſi-
tionem illam, *Jo. VIII, 25*, obviam: *Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ*
λαλῶ ὑμῖν, ita exponit: *primo ſum ille, qui vobiſcum loqui-*
100. *tur*, ut exinde illuſtret *inciſum 26 Cap. IV.* Apud *Sira-*
cidem XXIV, 1, 17, 18, 22, 40, ſubſtantialem ſapientiam loqui
127. credit. Pœnitentiam ex Evangelica fide perfici, Editor ad-
dit *pag. 141 ſeq.* Protoplaſtos a Deo receſſiſſe, cum fieri
159. ſtuderent *ſcientifici*, B. Autor docet. Locum de tribus te-
ſtibus in terra *1 Jo. V, 6, 9*, exponit, quantum ad aquam &
ſanguinem attinet, de aqua & ſanguine, ex lateris aperti ſca-
208. turiginibus manante *Jo. XIX, 34, 35.* Locum vero de tri-
bus teſtibus cœleſtibus retinendum eſſe, ob complexum ora-
217. tionis, ſolide arbitratur. Socinianos docet divinitatem
Chriſti. *Spenerum* vim verbo Dei inſitam haud negaſſe, vel
220. in dubium vocaſſe, Editor monet. Suadet Autor ſalubriter,
ut Collegium polemicum quisque a ſe & contra nævos ſibi
276. inſitos inſtituat. Chriſto tribuuntur *λόγοι τῆς χάριτος Luc. IV,*
22, ſiquidem *diffuſa* erat *gratia in labiis ejus Pſ. XLV, 3.*
Origo errorum conſiſtit in aberratione a ſcopo noſtro, ad
286. ſalutem ſempiternam per Chriſti dona dirigendo. Caper-
naumum ævo ſpectabilis, quod Jeſus obibat, miniſterii ex-
307. ſtitiſſe urbem Galilææ primariam, refert Editor. Nobis ve-
ro id honoris non videtur eſſe Capernaumo, ſed Tiberiadi
324. potius, tribuendum. Autor auditoribus ſuis perſuadere
ſtuduit, *Chiliaſmum Judaicum* Articulo XVIII Confeſſionis
Auguſtanæ eſſe rejectum. At non opus erat, eum errorem
ea ætate recoquere & rejicere, qua Evangelici Confeſſione
ſua Ordines Imperii ſupremos edocturi erant, quasnam er-
roneas ſententias, tunc paſſim graſſantes, ipſi improbarent.
Piſciculos dictos eſſe Chriſtianos per contemtum, haud eſt
339. ignotum. *Capite primo Marci* fere tricies repeti voculam
ſtatim, Autor annotat, ratus, eo ipſo reſpui ſpiritum cun-
ctandi ac tergiverſandi, quippe perniciofum, ac eum illic da-
mnari.

Digitized by Google

minari. Eodem referimus illud, quod credit, *Ethicam naturalem* & *Ethicam Biblicam* ſibi invicem e diametro obſtare, quaſi lumine uno opacaretur alterum. Cerimonias eccleſiaſticas, per ſeſe innoxias, præcipiti conſilio non eſſe mutandas, cenſet Editor; Autor vero abſolutionem a peccatis individualem approbat. Pag. 342. 385. 535.

In *Parte IV* conſpicitur Diſſertatio *de vera & falſa doctrina recte dignoſcenda*, ex *Syntagmate Diſſertationum Antonii pag. 373 ſeq.* quod idem Editor in lucem emitti curavit. De reliquo *Capita Matthæi V, VI, & VII*, hic inveniuntur enucleata, vel potius ſtrictim expoſita. Videntur ad Philoſophiam *Thomaſii* hæc ſpectare *pag. 12 : Experimur hic quoque doctrinam moralem, at ethnicam.* Editor ſubjecit notam hujuſcemodi: *Quivis curate videt, quid B. vir reſpiciat, & quid hoc loco condoleat. Teſtimonia illa maneant intacta in monumenta poſteritatis. Servi Chriſti debent nunquam non ibi habitare, ubi Satanæ ſchola & cathedra exiſtit, Apoc. II, 13.* Notandum quoque eſt illud *Antonii : Qui non ipſe eſt ovis, haud poteſt alios religionem Chriſti docere.* Nec tamen vim verbo divino, ab impiis recitato, detrahit; ideoque ſtatuit, non doctorem in hoc caſu docere, ſed potius verbum. Perplacuit annotatio, dictitans, Jeſum oppoſuiſſe *beatitudines*, a ſeſe prædicatas, perſuaſionibus malorum irritis, qui divitias, gaudia, potentatum, affluentiam rerum, pompam, ſeveritatem, magnitudinem animi in bellis, vimque manu promtam, in ſummæ beatitatis loco ſolent deputare. Pungit Autor illam doctrinam, quam nonnulli circumferunt, male verba aliorum interpretati, hunc in modum conformatam: *Malum pertinet etiam ad perfectionem mundi.* Subdit notam Editor: *Hæc ſcilicet una eſt nitidarum ætatis noſtræ hypotheſium philoſophicarum, quam illi venditant, qui nolunt videri a Chriſto haud averſi, ſed potius Chriſtiani, ceterisque ſeſe putant prudentiores.* Addit locum, ut acrius pungat, & verbum Dei ad ſatisfaciendum affectui adhibeat, *Rom. I, 22.* Doctrinam illam vocat deinde veſanam, ſuique præceptoris Schediaſmata Academica laudibus conſpergit, qui *de mundo* 12. 14. 21. 22.

cum

cum nexu mali optimo ſcripſit. Nobis ſane nunquam
licuit incidere in libros philoſophicos ætatis hujus, in
quibus malum perfectionibus annumeretur. Solent Phi-
loſophi omnes malum inter imperfectiones numerare, ſedu-
loque monere, ut mala fugiamus. Metuimus tamen, ne Ilia-
cos intra muros peccetur & extra, rati ſimul, ſuſpiriis quo-
que & dictis Biblicis male adhibitis homines poſſe lædi. Dan-
dum eſt aliquid tempori, quod detegit cuncta. Quisque enim
Pag. 30. ſuos patimur manes. Nec arridebit omnibus illa expoſitio
inciſi quarti Matth. V, quam B. Autor attigit, nec tamen
plene, (illuminati enim eam norant,) expedivit. Dicuntur
ibi manſueti terram illam, quæ eſt Dei, & a Deo ob bonum
ſcopum initio eſt creata, poſſeſſuri. Prophetiam ſubeſſe, in-
36. dicat ipſe. Editor haud obſcure ſignificat, ultima Novi Te-
ſtamenti tempora deſignari. Chiliaſmum Judaicum removet
B. *Antonius pag. 33 ſeq.* At, Chiliaſmum ſubtilem a ſeſe
35. hic propugnari, diſſimulat. Editor interpretationem *inciſi*
ſexti Pſ. XII adornat hunc in modum: אשית בישע יפיח
לו, *ponam eum in ſalutem, quem alii flatu dimovere ſtudent.*
Laudamus conatum, haud ignorantes, *Kimchium*, *Buxtor-
fium*, *Guſſetium*, aliosque, ob locum *Cant. IV, 15*, in ea
verſari opinione, quod verbum פוח deſignet *afflandi & ad-
ſpirandi* actum. Loca evolvimus ſingula. At ſignificatus
ille nec eis ſingulis congruit, nec locis infundit lucem.
Quin potius *præcipitationis* & *præcipitii* quid ineſt illi verbo.
Quare locus ille Hieropſaltæ ſic erit in Latinum vertendus:
*Sedem dabo cum ſalute conjunctam illi, qui præcipitium ſibi
ſtruit.* Inde eſt, quod formula *Cant. I, 16, IV, 7*, יפוח היום
idem ſit ac *præcipitat ſe dies.* Autor Beatus credidit, hy-
56. mnum: *Eine feſte Burg iſt unſer Gott*, a *Luthero* A. 1530
71. Coburgi fuiſſe concinnatum. Dum Apoſtoli vocantur *ſal
terræ Matth. V, 13*, omnino ad ſalem communem eſt reſpi-
ciendum. Eo enim ſolemus *ἁλίζειν*, *condire* cibos, & pu-
tredinem avertere, & is, ſi corrumpatur, non poteſt alio
85. condimenti genere reſtitui & reparari. Id vero memora-
bile, Editorem credere, docuiſſe quosdam noſtrum id dog-
matis;

matis: *impius Eccleſiaſtes aque ſalubriter docere poteſt at regenitus.* Sed, vix quemquam noſtræ eccleſiæ ita ſenſiſſe, arbitramur. Addit epiphonema Editor: *Omnis melior poſteritas deteſtabitur talia βδελύγματα doctrinalia.* Quam vellemus, videret quisque oculis ſuis, ac amorem fraternum ob oculos haberet! Criticis, qui in ſacro Codice pro arbitratu quid mutant, merito conſcientia ab Editore percellitur. Neſcimus tamen, cur *cathedra Lutheri* in partem minus benignam afferatur. Et cur reliqua decerpamus? Ex hoc texto Lector tum de Autore, tum de Editore, ſatis ſuperque, poterit judicare. Pateſcit ſimul ex hoc ſpecimine modulus, ſecundum quem liticulæ Academicæ in odia eccleſiaſtica tranſeunt, & qua ratione nonnulli homines ſtudeant odia per genus humanum propagare, quæ potius in ortu ipſo erant exſtinguenda. Pag. 105. 111.

JOANNIS FRIDERICI BERTRAMI, CONSIL. ECCLES. & Concionatoris Aulici, erläuterte und vertheidigte Oſt-Frieſiſche Reformations- und Kirchen-Geſchichte, &c.

id eſt,

ILLUSTRATA ET PROPUGNATA FRISIÆ Orientalis tum Reformationis, tum Eccleſiaſtica, Hiſtoria, una cum hiſtorico-theologica Diſquiſitione de Agendis eccleſiaſticis, a biga Theologorum Luneburgenſium conſcriptis, ac A. 1535 per Friſiam Orientalem autoritate publica munitis.

Auricæ, apud Herm. Tapperum, 1738, 4.

Plag. 21½.

Librum hunc Principi *Carolo Edzardo*, Domino ſuo Sereniſſimo, Dicaſterio Eccleſiaſtico, ejusque membris, Superintendenti generali, Eccleſiaſtis aulicis, oppidanis, ac provincialibus, ſcholarumque magiſtris, voluit Autor eſſe ſacrum. Nova videri poteſt & inſolita illa Dedicationis formula, qua tractationem hanc ſibi ipſe etiam conſecravit ac dicavit, ſiquidem ipſe Conſiſtorii Eccleſiaſtici exiſtit

I i mem-

membrum, & Aulæ Eccleſiaſtes. Noſtrum eſt, lætari, voti noſtri fuiſſe nos damnatos. Optaveramus enim in *Supplem. ad* hæc *Nova Acta Tom. I Sect. XI pag. 581*, ut Ven. Autor Hiſtoriam eccleſiaſticam Friſiæ Orientalis ac regionum adjacentium colligere, ac cum orbe erudito communicare, dignaretur. Dudum certe de ejus induſtria adamantina ſatis ſuperque eramus convicti, nec non de veritatis ſtudio, quod ipſi ineſt, perſuaſiſſimi. Vota noſtra ſecundavit *Eduardi Meinerſii*, Eccleſiaſtæ Reformati-Embdani, conatus ſingularis, quo inductus, Hiſtoriam Friſiæ Orientalis, ſermone Batavico conſcriptam, Groningæ haud ita pridem edidit, hoc indice præfixo: *Ooſtvrieſchlands kercklycke Geſchiedeniſſe, of een hiſtoriſch een oordeel-kundig Verhaal van het gene nopens het kerklycke in Ooſtvrieſchlandt, en byzonde te Emden, is voorgefallen, zedert der Tydt der Hervorminge of dede Jaren*
Pag. 5. *1519 en 1520 tot up de huidgen Dag* -- In *Parergis Oſtfriſicis* Autor, qui *Meinerſium* paſſim refellit & emendat, jam texuit catalogum univerſæ illius multitudinis ſcriptorum, qui Hiſtoriam eccleſiaſticam Friſiæ Orientalis vel ex toto, vel ex parte, ſcripſere. Augere eam ſtuduit Pl. Rev. *Meinerſius*, edita priori Hiſtoriæ illius parte, exorſus inde ab anno 1519, & ſubſiſtens in anno 1575, obituque *Annæ*, Friſiorum Comitis Illuſtriſſimæ. Adductus videtur is ad laborem hunc ſuſcipiendum ſcriptis S. Rev. *Bertrami* nonnullis, ad eosdem ſpectantibus corymbos, e. g. *Summariſche Erzehlung der Oſtfrieſiſchen Reformations-Geſchichte*, 1730, *Hiſtoriſcher Beweis, daß Oſt-Friesland zur Zeit der Reformation der Evangeliſch-Lutheriſchen, und nicht der Reformirten, Kirche beygetreten ſey*, 1732, nec non *Hiſtoria critica Joannis a Laſco*. Ad ætatem noſtram usque nemo adhuc perduxit Hiſtoriam Friſiæ Orientalis eccleſiaſticam. Molitiones *Harckenrothii*, *Iheringii*, *Chriſtiani Funckii*, ac Perilluſtris *Brenneyſenii*, mortibus ipſorum fuerunt interceptæ. Haud itaque rem momenti minimi aggreſſus fuit *Meinerſius*, hiſtoriam illam ad tempora usque
6. noſtra perductam daturus. S. Rev. *Bertramus* de parte priori ſic judicat: *Laude privandus non eſt labor, ei impenſus. Gra-*

Digitized by Google

Grata ſunt ea Acta, quæ in lucem nondum fuerunt producta, e. g. Colloquii religioſi, A. 1526 in Olderſum habiti. Res vero præcipuæ & plurimæ jam leguntur in Emdiſchen Reformations-Bericht, in Emmio, Beninga, *&* Sculteto, *quibus ipſe* Meinerſius *fidem ſuam accommodavit. Me paſſim refellere auſus fuit, impatiens libri mei,* Hiſtoriſcher Beweis, *licet æque ex eo, ac* Joannis a Laſco Hiſtoria critica, *crebro ſua arva rigaverit.* Lectori proinde, Autorem *Meinerſio* paſſim vicem rependiſſe, & veriora ſubſtituiſſe in hoc libro recentiſſimo, facile ſubolebit. Quæritur vero inprimis, an Confeſſio fidei, A. 1528 ab Eccleſiaſtis Friſiæ Orientalis aliquot conſcripta, Comitibusque *Ennoni II* & *Joanni I* exhibi- Pag. 9 ſeq.
ta, exſtiterit communis omnium eccleſiarum, atque a Comitibus approbata fuerit. *Meinerſius* affirmat; *Bertramus* negat. Quæritur ſecundo, an ea Confeſſio congruat ſententiis *Lutheri*, an *Zwinglii*. Reformati poſterius malunt, Lutherani id negant, faſſi tamen, in Articulis de Baptiſmo & S. Cœna illam videri paululum accedere ad *Zwinglii* opiniones, penitus vero eis haud congruere. Ut verbo rem dicamus, Confeſſio illa fuit eorum, qui *Zwinglianiſmi* ſuſpicionem de ſeſe ſparſerant, & ſeſe interventu ipſius erant purgaturi, caute agentes, ne penitus viderentur a *Lutheri* ſententiis diſcrepare. Eccleſiaſtæ Evangelico-Lutherani Friſiæ Orientalis hoc ipſum jam A. 1593 ex Actis publicis docuere *Chriſtophorum Pezelium*, Bremæ Eccleſiaſten, qui ſcripto 10.
publico docere tentaverat, Confeſſionem illam fuiſſe omnium eccleſiarum Friſiæ Orientalis communem. Ne *Emmius* quidem id ſuſtinuit affirmare. Nam nec Eccleſiaſtæ omnes ei nomina ſubſcripſere, neque Comites eam approbarunt. *Enno II* ipſe in Conſtitutione eccleſiaſtica, A. 1529 11.
promulgata, affirmat, paulo ante inter Eccleſiaſtas regionum ſuarum in doctrinis exſtitiſſe diſſenſiones. Addit Noſter, 15.
Confeſſionem illam paſſim etiam fanaticas doctrinas ſpirare, ſiquidem in ea & Baptiſmus & S. Cœna pro adiaphoris & cerimoniis, quæ abrogari poſſint legitime, habentur, adeo, ut inter eam & Cathechiſmum Emdanum vix ulla inve-

niri poſſit harmonia, quantum ad doctrinam de Sacramentis & verbo Dei attinet. Autores enim Confeſſionis, ſeu potius *Aportanus* Emdenſis, unusque & alter ejus amicus, a *Carlſtadio*, *Hoffmanno*, & *Rinckio*, ad fanaticas opiniones deducti, ſuaſerunt, ut externa Sacramentorum adminiſtratio ad libertatem Evangelicam comprobandam tolleretur, referentes omnia ad verbum internum, Baptiſmum internum, & S. Cœnam internam, externo autem verbo, ex-
Pag. 17. terno Baptiſmo, externæ S. Cœnæ, nihil pretii relinquentes, nihil virium aſſignantes. *Edzardus*, Comes, A. 1528 obiit, *Enno* autem II A. 1529 *Carlſtadium* ejusque aſſectatores res ſuas ſibi habere juſſit. Miramur profecto, *Meinerſium* tribuiſſe Confeſſionem illam Reformatorum primis in Friſia Orientali doctoribus, cum tamen editionem ejus A. 1565 Eccleſiaſtæ Emdani, cumprimis *Colthunius*, indi-
19. gne tulerint, ac ipſi ſuffragentur Fanatici, *Davidis Georgii* aſſeclæ, *Franckiani*, ac ipſe *Chriſtianus Hobburgius*. Hinc Ven. Autor progreditur ad illud caput controverſum, quænam religio ſub initia Reformationis publica autoritate in
21. Friſiam Orientalem ſit introducta. Ipſe ex Actis & documentis publicis oſtendit, Lutherano-Evangelicam fuiſſe autoritate publica confirmatam. *Meinerſius* tenet ei contrarium, licet nec ad Acta, nec ad documenta decretorum publica, auſit provocare. Toleratio religionum aliarum nititur demum *Transactione Delfzilenſi*, A. 1595 inita, & *Concor-*
22. *datis*, A. 1599 ſancitis. Unde Ven. Autor denuo colligit, Calvinianam religionem haud ſtatim ab initio publica autoritate in Friſia Orientali fuiſſe approbatam. Addit id quoque, *Edzardum Magnum* ſcriptis *Lutheri* commotum, curaſſe
24. religionem reformandam, negans, *Luthero* unquam *Zwinglii* opinionem, quam hic A. 1525 ſuſcepit, fuiſſe probatam, repetens potius id, quod negari non poteſt, *Edzardum II* a *Luthero* primos expetiiſſe doctrinæ reformatæ Eccleſiaſtas. Acta Colloquii, in Olderſum A. 1526 habiti, ſciente, nec diſſentiente, Comite *Edzardo*, ad *Lutherum* Vitebergam fuere
28. miſſa, ut hic formis publicis deſcriberentur. Quidni ea

ad

ad *Zwinglium* ſeu *Oecolampadium* miſſa ſunt, ſi eorum tunc in Friſia Orientali reſpectu religionis ratio aliqua fuit habita? In Colloquio Olderſumenſi gratia Dei univerſalis ſtabilitur. Hoc certe ad Reformatorum ſententias haud quadrat. Pag. 29.
In Colloquio illo meritum Chriſti univerſale ſtatuitur, ac 30.
abſoluto decreto ponitur obex. De Eychariſtia etiam ea inibi leguntur, quæ realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna arguere videntur. *Lutherus* certe Acta illa perlegit, approbavit, doctrinæ ſuæ deprehendit conformia, ac ita formis publicis imprimenda curavit. *Reſius*, 33.
tunc Eccleſiaſtes Nordenſis, compoſuit hymnum ſacrum, quo eadem præſentia realis confirmatur in hiſce verbis: *Dein'n Leichnam uns zur Speiſe gibſt, dein theures Blut* 34.
zu trincken. Ipſe inter eos, qui manifeſte fuerunt Lutherani, numeratur in *Apologia Nordana pag. 204. Eraſmus* 35.
Roterodamus A. 1530 ad Cardinalem Legatum ſcripſit, Comitem Friſiæ Orientalis religionem ſuſcepiſſe Lutheranam. *Zwinglius* eodem anno ad *Philippum*, Haſſiæ Landgravium, querelas perſcripſit, moleſte ferens, Comitem Friſiæ, per *Bugenhagii*, nec non *Lutheri*, ſermones ſacros motum, Eccleſiaſtas eos procul eſſe juſſiſſe, qui cum *Zwinglio* in doctrina de S. Cœna ſentiant. *Martini Schoockii* teſtimonium, 38.
quod hic producitur, eſt inſtar omnium, planeque docet, Comitem *Edzardum Lutheri* ſcripta legiſſe & approbaſſe, eisque Comitem ad ſuperſtitiones abjiciendas fuiſſe impulſum. Comes *Enno II* A. 1529 in numero Proteſtantium fuit. Idem in pace, cum Duce Geldrorum A. 1534 facta, 42.
conſtituit, ut Comites Friſiæ Orientalis Auguſtanam Confeſſionem ſequerentur. Comes *Edzardus II* in *Ordinatione eccleſiaſtica* ſua, A. 1593 evulgata, plane teſtatur, *Ennonem II* Auguſtanæ Confeſſioni invariatæ fuiſſe addictum, eamque in terris ſuis approbaſſe, ac A. 1535 per Ordinationem eccleſiaſticam Luneburgenſem confirmaſſe. Pl. Rev. *Meinerſius* 43.
hanc Ordinationem eccleſiaſticam Luneburgenſem, apud Friſios introductam, pro commento reputat. Nec vero inficiamur, eam opinionem videri ita comparatam, ut nihil mi-

Pag. 46 ſeq. nus quam vera haberi paſſit. Non vacat jam, argumenta *Bertrami*, in contrarium allata, afferre, quibus nec robur, nec evidentia, videtur deeſſe. Mirandum tamen utique, Ordinationem illam Luneburgicam, in Friſia introductam, ac procul dubio formis publicis deſcriptam, nuſpiam inveniri,
153. typis expreſſam. Ut vero certa de eo exſtet notitia, an exempla ſuperſtitent typis publicis expreſſa, nec ne, provocamus hic omnes rei eccleſiaſticæ & literariæ per Germaniam, Belgium, & Daniam, ſtatores perquam obſervanter, ut nos doceant, ubi & an exemplum illius Ordinationis, pro Friſiis Orientalibus impreſſæ typis, ullum ſuperſit. Cathechiſmum *Lutheri* ac *Brentii* apud eosdem Friſios ad annum usque 1554 viguiſſe, Rev. Autor ita comprobatum dedit,
52. ut nihil ſupra. *Lutheri* hymnodia ſacra inter eosdem fuit
55. recepta. Exercitium Evangelico - Lutheranæ religionis, per Friſiam Orientalem olim receptæ, pateſcit etiam ex formula eccleſiaſtica, quam *Anna*, Comitiſſa, tempore ſtantis li-
57. belli *Interim* A. 1549, d. 16 Julii, in lucem emiſit. *Meinerſius* contendit, *Lutherum* ſub initium Reformationis *Zwinglianam* foviſſe de præſentia reali in S. Cœna opinionem. At vero eam fictionem Noſter facile repellit. *Lutherus* enim ad A. 1522 usque dogma transſubſtantiationis approbavit, eo autem anno illam reliquit, ſubſtituta ea, quam ſacris literis judicavit conformem, & cui tunc *Oecolampadius* atque *Zwinglius* ipſe ſuffragati fuere. Addidit *Lutherus ubiquitatem carnis Chriſti* doctrinæ ſuæ inde ad annum usque 1529, quam tamen deinde haud porro inculcavit, innixus unice evchariſticis propoſitionibus exhibitivis, & communioni, quam *Paulus* docuit *1 Cor. X;* ac ita ſenſit *Lutherus* usque ad exceſſum. Verum hæc hactenus. Obliviſcendum non eſt diligentiæ illius, quam Ven. Autor Supplementis de vita &
66 ſeq. actis *Joannis a Laſco*, hic inſertis, impendit. *Menſonis Altingii* fidem in Hiſtoria eccleſiaſtica Friſiorum ſatis labora-
77. re, idem uno & altero exemplo it demonſtratum. Deinde oſtendit, in Cathechiſmo Emdano, quem *Joannes a Laſco* fabricatus eſt, nullam doctrinæ de decreto abſoluto volam

oc-

Digitized by Google

occurrere, ſed potius indidem reperiri dogma de gratia Dei univerſali, ex *1 Tim. II, 4, 2 Pet. III, 9*, alibique, tradi ſo- Pag. 83 ſeq.
litum. Cathechiſmum vero illum in Friſia Orientali per pu- 87.
blicam magiſtratus ſummi autoritatem fuiſſe receptum, merito Autor inficiatur, rationibusque conficit admodum
luculentis. Conf. *Gegenbericht der rechtglæubigen Pradi-* 89.
canten pag. 34. Joannem a Laſco aſſenſiſſe gratiæ Dei 91.
univerſali, idem denuo confirmat. Conf. Præfat. B Cancellarii *Brenneyſen* ad *Annæ Comitiſſæ Policey-Ordnung*, A. 1719 editam. *Joannem a Laſco* idem demonſtrat fuiſſe *Arminianum* ante *Arminium*, ratione habita *Arminianiſmi* primi. Inſolens vero *Laſci* error in eo conſiſtit, ut putaverit, Chriſtum ſecundum naturam humanam potuiſſe peccare, quem errorem noſtra ætate *Dippelius* recoxit poſt *Simonem Epiſcopium*. Scriptorum *Laſci* ampliorem ſyllabum concinnavit
Noſter loco Supplementi. Conqueritur tandem de *Meinerſii* 93.
animo in ipſum inhumano & moderationis experte, veritatem dedecente. *Bertramus* merito ſibi moderationis virtu- 102.
tem tribuit, quam in hac controverſia teſtatiſſimam fecit. Adjunxit tandem ipſe notitiam hiſtoricam *de Agendis eccleſiaſticis Luneburgicis, in Friſia Orientali receptis.* Autores fuere juſſu Comitum Friſiæ arceſſiti & ab *Erneſto*, Duce Lune-
burgico, expetiti Theologi, *Martinus Ondermarckius* & 122.
Matthæus Gindericus, A. 1534 in Friſiam ablegati, & Auricam ab *Alberto Latomo*, Eccleſiaſte Auricenſi, deducti. Licet vero *Menno Simonis*, aliique Anabaptiſtæ, eis multum negotii faceſſerent, & inſidias nocturnas vitæ ipſorum ſtruerent, ac ipſi A. 1535 domum ideo revocarentur, nihilo mi-
nus *Agenda eccleſiaſtica*, ab eis conſcripta, Auguſtanæ Con- 142.
feſſioni conformia, A. 1535 typis publicis fuerunt expreſſa, & juſſu Comitum promulgata, addito A. 1537 a Comitibus decreto, ne quis Eccleſiaſtarum eis refragaretur, conſtitutis duobus Ephoris, rei ſacræ peritiſſimis, qui notarent eos,
quibus immorigeris eſſe luberet. *Anna*, Comitiſſa, *Enno-* 147.
nis II, A. 1540 defuncti, vidua, confirmavit ea *Agenda* in Ordina-

dinationis judiciorum ac politiæ Parte priori; *Laſcus* vero
Pag. 148. mutationes, invito *Melanchthone*, hinc inde molitus, in
cauſa fuit, ut formula Luneburgenſis evileſceret, Exorciſmus antiquaretur, & novitates aliæ complures ſubſtituerentur. *Edzardus II* e contrario, *Annæ* filius, eam renovavit, & ſæpius ad eam ſuos remiſit, inprimis A. 1593 in nova ſua Ordinatione eccleſiaſtica. Judicium tandem ſuppeditat Au-
150. tor de Formula Luneburgenſi, quam tamen nuſpiam exſtare, formis publicis deſcriptam, merito dolemus, avide ex-
155. pectantes ejusdem Autoris *Partem ſecundam Analectorum Oſtfriſicorum*, in calce promiſſam.

Kurtzgefaßte Kirchen-Hiſtorie der Böhmiſchen Brüder, &c.
hoc eſt,

COMPENDIOSA HISTORIA ECCLESIAſtica Fratrum Bohemorum, a JOANNE AMOSO COMENIO, olim Epiſcopo eorum ultimo, Latine conſcripta, poſtea autem in Teutonicum ſermonem converſa, una cum Confeſſione fidei, nonnullis illuſtrationi aptis Epiſtolis, ac præclara Ordinatione eccleſiaſtica eorum. Acceſſere Obſervationes ſalutares, ac Index accuratus.

Swabaci, impenſis Joannis Jacobi Endereſii, 1739, 8.

Alph. 1 plag. 10.

Qui hoc Opuſculum luce publica denuo perfudit, in ipſa inſcriptione diſciplinam noſtram eccleſiaſticam appellat languidam ac floccipenſam, cœtusque noſtros ſacros ex plurima parte citra diſciplinam ſubſiſtere eccleſiaſticam, arbitratur. Nec obſcure ſignificat, ſeſe interpretationem hanc ad excitandos pios, quorum pauciſſimi ſuperſint, ſuſcepiſſe. Dedicationis formula conſecrata eſt Potentiſſimo Sereniſſimoque Daniæ Norwegorumque Regi, *Chriſtiano VI.* Patet ex ea, prologum ſeſe eis annumerare, qui ſeſe *filios Dei* ſenſu excellentiori appellant, reliquosque, diſciplinæ ipſorum haud participes, faſtidiunt ac averſantur. In Præfatione celebrantur virtutes Chriſtianæ fratrum Bohemorum,
quas

quas perpetua excitaverit alueritque patientiæ flamma, & quarum viviradices ad noſtram memoriam ſuperſint. Non eſt, quod multi ſimus in libro ipſo recenſendo, qui B. *Joannis Franciſci Buddei* diligentiam olim debitis laudibus extulimus, qua *Comenii* libellum *de Fratribus Bohemis*, denuo editum, Præfatione ſua ornavit. *Joannes Amos Comenius*, A. 1632 in Synodo Epiſcopus ab hiſce Fratribus renuntiatus, paulo poſt cum reliquiis Fratrum in Poloniam confugit, in qua eo circiter tempore *Joannes Laſitius*, Nobilis Polonus, ſcripſit *de Eccleſiaſtica diſciplina, moribusque, ac inſtitutis, Fratrum Bohemorum, memorabilia continentem, Hiſtoriam.* Hanc denuo edidit *Comenius*, in rei ipſius tractatione nihil immutavit, de arctiſſimo diſciplinæ nexu nonnihil intexuit, ac loco iſagoges præmiſit hiſtoriam de origine & propagatione eccleſiarum Sclavonicarum, earumque in gente Bohemorum progreſſu. Memorabiles ſunt *Joannis Wiclefi* literæ, A. 1387 ex Anglia ad *Joannem Huſſum* datæ, quæ hic exhibentur *pag. 16 ſeq.* Verum non poſſumus non improbare, quod hic deſtinationibus divinis tribuitur, id bellandi ſtudium, quo *Huſſitæ* exercitium religionis ſtuduerunt ſibi Pag. 26 ſeq.
vindicare ad annum usque 1434. Arma enim militiæ Chriſtianorum, qua talium, ſunt ſpiritualia. Memoratu dignum ſane eſt, Bohemos Fratres exſtitiſſe Chriſtianorum primos, qui Biblia ſacra curarunt, vernaculo ſermone expreſſa, typis publicis excudenda. Id quod Venetiis contigit. 57.
Eraſmus Roterodamus doctrinam *Huſſitarum* approbaſſe, eisque, ut puriorem eccleſiam regnumque Chriſti ſuis modulis propagare pergerent, ſuaſiſſe, hic perhibetur. Id in- 71.
primis Huſſitas male habuit, in Academiis plurimum operæ inſumi ſcientiis, conſcientiæ parum, vel nihil. *Lutherum* fa- 73 ſeq.
viſſe privatis piorum conventiculis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ in eis peragendæ, Annotator docet ex *Tomo III* ejus *Altenburg. fol. 468, b*, & *Tom. IV Altenb. fol. 465, b.* Liberius eſt judicium *Chriſtiani Aug. Saligii* de neglecta hactenus inter noſtrates eccleſiaſtica diſciplina. Annotator hunc vocat 76 ſeq.

virum pium, *conſcientiæ ſtudioſum*, ac *ſincerum Hiſtoricum*. Noſtrum non eſt, Viri beati turbare manes. Id vero diſſimulare haud licet, ipſum magnopere ſuos paſſum fuiſſe manes, nec ſervandæ diſciplinæ ſcholaſticæ, quæ ei fuerat demandata, ad æquitatis ſuperiorumque manſuetiſſimam amuſſim invigilaſſe. Annotator de *Vergeriis*, *Petro* & *Paulo*, ac *Joanne Baptiſta*, fratribus, commentatur ſecundum mentem ejusdem *Saligii pag. 98. ſeq.* Quæris, Lector, quid diſciplina eccleſiaſtica Fratrum

Pag. 105. Bohemorum exegerit? Dabimus ejus capita ſumma: 1) *Chriſtianam vivendi rationem eſſe ab emendatione mentis, non a Sacramentis, inchoandam.* Id certe ad Baptiſmum parvulorum haud quadrat. 2) *Nemini eſſe remiſſionem peccatorum annuntiandam, niſi pœnitentibus, ac fide præmunitis.* Id ne unus quidem inficiatur. 3) *Probandam eſſe indolem pœnitentiæ haud fucatæ fideique ſinceræ per tempus haud modicum.* Id vero videtur diſpiciendum, quis tam probatæ ſit lucis, ut ſpiritus poſſit diſcernere, ut amorem & ſcopum emendationis haud ſeponat. Inprimis juſſit *Paulus*, ut quisque ſui ſit explorator. Plerumque enim alter alterum explorat & dijudicat ſecundum menſuram donorum ſuorum, quibus perſæpe inſignis pars φιλαυτίας adhæret. Probatio hæc facile degenerat in conſcientiæ dominatum. Jurisdictionis eccleſiaſticæ initia ex potentiori hac probatione & exploratione atque coercitione, qua antiſtites ſacri in alios, ſuæ curæ demandatos, uſi ſunt, ſubnata eſſe, nemo ambigit. 4) *Sacramentis effectum haud eſſe tribuendum ex opere operato.* At Baptiſmo parvulorum eum ex opere operato, ni fallimur, tribuunt omnes. 4) *Poſt diuturnam demum probationem fundamenti animorum homines ad Sacramenta admitti poſſe.* Cavendum tamen, ne eccleſiam Chriſti velimus oculis digitisque magis aſſequi, quam fide; nec anſam ſuppeditemus imperio antiſtitum in conſcientias, quod ex diſciplinæ ec-

123. ſeq. cleſiaſticæ abuſu facillime ſolet gigni. Sed ad alia. De translatione Bibliorum ſacrorum, quæ Fratres ad fontes curarunt

Digitized by Google

rarunt exprimi, & inde ab A. 1579 usque ad A. 1593 perfici; de Confeſſione fidei Ordinum Bohemicorum *ſub utraque*, A. 1575 literis conſignata; de manſuetudine Cæſaris *Maximiliani II*; de æquitate *Rudolphi II*; de *Rumpio*, qui *Rudolpho II* erat in deliciis ac odio; de aliis rebus non minoris momenti, ediſſeruntur ea, quæ & uſui eſſe poſſunt, & oblectationi. Excipit hanc tractationem *Confeſſio fidei Fratrum Bohemorum*, A. 1535 *Ferdinando I* Viennæ oblata, ac A. 1564 in Teutonicum converſa, ac hanc porro *Ordinatio Apoſtolica*, & *diſciplina eccleſiaſtica*, quam Fratres A. 1616 in Synodo generali Zerawitzenſi recognitam auctamque approbarunt. Subjunguntur tandem teſtimonia Theologorum, quibus Confeſſio ac Ordinatio eccleſiaſtica Fratrum laudatur. Ad extremum Index ſatis accuratus integrum Opuſculum concludit. Lectionem libri hujus maxima ex parte omnino ad pietatem excitandam, fidemque corroborandam, eſſe accommodatiſſimam, adeo inficiari haud lubet, ut potius ex experientia noſtra id ipſum reddere teſtatum poſſimus. Liber certe his collapſæ diſciplinæ temporibus emendandis poteſt inſervire.

Pag. 145 ſeq.

269 ſeq.

453 ſeq.

OLAI RESENII TRACTATUS JURIS publici de Epiſcopis regni Suionici Romano-Catholicis.

Stockholmiæ & Lipſiæ, apud Godofredum Kieſewetterum, 1737, 4.

Plag. $14\frac{1}{4}$.

Hiſtoriam patriæ ſuæ Autor præſtantiſſimus, Suecus natione, illuſtrare adeo ſuarum eſſe duxit partium, ut dignitatem & jura ſummorum gentis ſuæ Epiſcoporum, quotquot ibi ex ævo Romano-Catholico innotuerunt, illuſtrare conſtituerit ſecum. Eodem in clivo ante ipſum ſudarunt *Joannes Magnus* in *Metropoli*, *Meſſenius* in *Chronico Epiſcoporum*, quod ipſe poſtea emendavit, ac ſuis locis paſſim inſeruit *Scandiæ illuſtratæ Spegelii*, Archiepiſcopi Upſa-

Digitized by Google

lienſis, Summeque Rev. *Ericus Benzelius*, Epiſcopus nunc
Pag. 4. Gothoburgenſis, in *Monumentis hiſtoricis veteribus Eccleſiæ*
Sueogothicæ, in quibus tria Chronica Epiſcoporum, Upſa-
lienſium, Lincopenſium, & Scarenſium, exhibuit, eaque
annotationibus exquiſitiſſimis illuſtrata. Non eſt vero,
quod quis hic nomina, ſucceſſiones, resque geſtas, Epiſco-
porum Sueciæ quærat. Nam Autor delineat hic Epiſco-
pos qua magiſtratus eccleſiaſtico-politicos, rerum quarum-
cunque maximarum, publico nomine gerendarum, arbi-
tros, ſecundum originem, conſtitutionem, officium, &
momenta, cum illis conjuncta. Tractatio omnis in *duo*
Capita abit. *Prius* eſt hiſtoricum, *poſterius* criticum. *Capi-*
tis primi Sectione prima diſſeritur de Hierarchiæ, ſpeciatim
Epiſcopalis dignitatis cum ipſis Chriſtianis ſacris, in regno
Suionico initiis, ac Epiſcopatuum Romano-Catholicorum
6. inſtitutione. *Anſchario* id laudibus ducendum, quod miſſu
Ludovici Pii primus in Suediam ſemen Evangelii intulerit,
ac ipſe *Ludovicus* eo nomine Hamburgi novum inſtituerit
Archiepiſcopatum, ejusque Præſulem primum crearit *Anſcha-*
rium, *Gregorius IV* vero, Pontifex Romanus, ipſum pallio
donatum per regna borealia ſuum cum ſucceſſoribus volue-
rit eſſe Legatum, ac Hamburgi univerſæ ſeptentrionalis
7. terræ caput & metropolin ſtatuerit. Ipſe *Anſcharius* bis in
Suediam abiit, Chriſto animas lucraturus, ac, ut impenſas
tanto operi ſufficeret, a *Ludovico*, Germaniæ Rege, impe-
travit, ut Bremenſem Epiſcopatum, Præſule tum carentem,
8. permittente *Nicolao I*, cum Hamburgenſi conjungeret. *An-*
ſcharius certe, quoad vixit, per Legatos ſuos Suediam invi-
ſit diligenter. Poſt *Rembertum*, ejus ſucceſſorem, annis
70 nemo doctorum Chriſtianorum Suediam intravit. *Ola-*
vus, *Skotkonung* cognominatus, a *Sigfrido*, Archidiacono
Eboracenſi, aquis ſacris baptiſmalibus fuit ablutus. Socii, a
Sigfrido ex Anglia exciti, populum Suiogothicum ita docue-
re fideliter doctrinas ſacras, ut radices earum poſthæc ex-
10. ſtirpari evellique haud potuerint. *Ingone* tandem regnante,
Sten-

Digitized by Google

Stenckilli filio, res Chriſtianorum tantopere florere cœperunt, ut non ita multo poſt tota Suedia uno ore, ſe Chriſti eſſe populum, idolis abjectis, fateretur. Tale exemplum imitata fuit medio Seculo XII Finlandia, S. *Erici*, Regis Suediæ, armis ſubacta. Docebant vero tunc omnes juſſu & autoritate Archiepiſcoporum Hamburgenſium, quotquot per Suediam ſacra curabant, a Chriſto exorta. Quisquis tum a Chriſto nomen habere volebat, ei erat Pontificibus Romanis obtemperandum, ni quis minas vellet incurrere de offenſis divinis, de graviſſima *Petri* ac *Pauli* Apoſtolorum indignatione, & de præſentiſſimo periculo animarum. *Olavus Skotkonung*, qui circa A. 1022 habenis regni præfuit, *denarium Petri*, ſeu cenſum annuum, Romano Pontifici ſeſe penſitaturum promiſit, a ſucceſſoribus ejus ſæpe cenſuris eccleſiaſticis exactum. Non vacat recenſere Epiſcopales ſedes, per Suediam vel deſtinatas, vel inſtitutas. Id vero a ſcopo haud alienum fuerit, meminiſſe, quemadmodum anno demum 1162 Upſalienſis Archiepiſcopatus cœperit, ac *Nicolaus*, Albanenſis Epiſcopus, Cardinalis, primum ibi conſtituerit Archiepiſcopum *Stephanum*, Monachum Alvaſtrenſem. Gothi vero, eum ad Suionas duntaxat pertinere tati, obtinuere, ut *Eſchillus*, Lundenſis Epiſcopus, in literis Papalibus diceretur & Primas regni Suionici, & ſedis Apoſtolicæ Legatus. Ex eo lites & obtrectationes inter Archiepiſcopos ſedis utriusque. Seculo XV autem medio Primatus Lundenſis juſſu Pontificis Romani ceſſavit. *Sectione ſecunda* expoſuit Autor de Epiſcoporum Suiogothicorum conſtitutione ſecundum doctrinas, Jure Canonico perſcriptas. Id memoratu videtur dignum, electionem Epiſcoporum in Suecia ad medium usque Seculi XIII a Rege, non a Canonicorum ſecularium Collegiis, quibus tum Suecia nondum erat onerata, pependiſſe. Fragmentum Legum Weſtrogothicarum ſic habet: *Quomodo Rex Epiſcopum eligere debeat?* Reſpondet legislator: *Quando Epiſcopus eligendus eſt, Rex a populo quæret, quem deſiderent. Ille civis*

Pag. 15 ſeq. — 22. — 26 ſeq. — 32 ſeq.

Digitized by Google

honoratioris filius erit. Rex ei pedum Epiſcopale in manus ponet & annulum aureum. Poſtea in ædem ſacram ducetur, & in Cathedra Epiſcopali collocabitur. Tunc plene electus eſt, excepta inauguratione. Honorius III & Innocentius IV hoſce ritus indignatione ſumma, quam Regibus perſcripſere Suionicis, dignos judicarunt, ac paulo poſt id Pontificibus datum, ut Romani ritus ſubſtituerentur avitis. *Sectione tertia* de officio & functionibus Epiſcoporum Sueciæ exponitur. Ipſi enim præter hierarchicum munus in Suecia ordinibus regni ſunt adſcripti, inibique Senatores egerunt ſtatus publi-
Pag. 52. ci, ſæpius muniis ducum militarium functi. *Sectione quarta* agitur de eorum foro, præmiis, pœnis. Notanda Epiſcoporum calliditas, qui ſucceſſu temporis in cauſis gra-
56. vioribus noluerunt velificari juſſis Archiepiſcoporum, id moliti potius, ut a ſolis Pontificibus Romanis, eorumque Legatis, decreta reportarent. De *pœnis* non erat neceſſum
58. dicere. Epiſcopi enim inſigne eſt, impune peccaſſe. In honorem quippe dignitatis ſummæ videtur quadrare criminum graviſſimorum impunitas. Nimirum, quo quis magis impune in hac vita poteſt peccare, tanto majus eſt illud dignitatis faſtigium, (uti quidem creditur,) quod ille conſcendiſſe eſt cenſendus. Reditus vero ſi reſpexeris Epiſcoporum Sueciæ, ii exſtiterunt admodum incredibiles, & fidem
60. omnem excedunt, ne quid de *cathedratico*, & *portione canonica*, addamus, nec de decimis, de multis, aliisque cenſuræ eccleſiaſticæ pecuniis, dicere conemur. Epiſcopis Finlandiæ ad ſuſtentandas menſæ Epiſcopalis impenſas certum
64. tributum, *Matskot*, erat pendendum. Epiſcopus dimidiam accepit marcam, quotiescunque parochiano extremam contulit unctionem. Epiſcoporum Sueciæ ſinguli erant ſacroſancti, & ab omni violatione immunes, haud ſecus ac Roma-
65. norum Tribuni Plebis. *Sectione quinta* Autor tractavit de eorum abdicatione, translatione, deſtitutione, & morte.
70. *Capiti poſteriori duas Sectiones* attribuit Autor. *Priori* diſquiritur, quo jure Epiſcopi illi conſtituti, ac tot tantisque privilegiis ornati fuerint. De faſtu eorum, Regumque prodiga

Digitized by Google

diga cœcaque pietate, hic dicuntur multa, haud diſſimilia eis, quæ Neapolitanus ſcriptor infelix, *Giannonius*, Hiſtoriæ ſuæ paſſim inſeruit Neapolitanæ. *Sectione poſteriori* exponitur de Epiſcopalis Romano-Catholicæ dignitatis ad eccleſiam & rempublicam Suiogothicam habitu. Oſtendit Autor, quanta caligo, quamque denſa ſuperſtitio, eccleſiam, ab illis Epiſcopis gubernatam, tenuerit obſeſſam. Notat pietatem, zelo cœco, nulla luce, nixam, quacum vitia ingentia & exitioſiſſima conſiſtere ac in una ſede potuerint morari. Regibus tandem vix nomen relictum, ſiquidem terras eorum deglutierunt Epiſcopi, autoritatem regiam ad ſeſe traxerunt, ac in Regis fortunam pro arbitrio ad extremum conſuluere. Qui ipſi intolerandi ac improbi Epiſcoporum mores anſam dedere Sueciæ Regibus, ut regno ſuo reformata introducerent ſacra, & Epiſcopis id officium, quod ipſi in prima eccleſia multis cum laudibus ſuſtinuerant geſſerantque, demandarent, licet inficiandum haud ſit, inſignem adhuc Epiſcopis Sueciæ eſſe autoritatem ac honoris principatum.

Pag. 81.

89

91 ſeq.

REGNUM ANIMALE, VEGETABILE, ET minerale medicum Tyrolenſe, Diſſertatione Academica, per Synopſin recitata, propoſitum, ab ANTONIO ROSCHMANN, J. U. Lic. & Univerſitatis Oenipontanæ Notario.

Oeniponte, typis Mich. Anton. Wagneri, 1738, 4.

Plag. 4.

Laudem utique meretur Doctiſſimus Autor, quod, exemplo aliorum Hiſtoriæ naturalis Scriptorum excitatus, ſimilem patriæ ſuæ, rebus naturalibus abundantiſſimæ, Hiſtoriam molitur, ejusque primas velut lineas, ſermone hoc Academico ductas, publicæ luci exponit. Toto eo ſermone ducem tironibus rerum naturalium cupidis præſtare videtur, quos in itinere phyſico-medico, per terram Tyrolenſem inſtituto, ex una regione in aliam, per alia atque alia loca, deducat, &, quid in quovis monte, lacu, fluvio, prato, ſylva,

Digitized by Google

ſylva, atque ita porro, conſiderandum eruendumque obveniat, breviter enarret. Qua quidem via omnes Tyrolenſis tractus radices, herbas, arbores, aquas, vina, lacus, fontes etiam medicatos & thermas, montes vallesque, ſylvas, ſalinas, metallifodinas, metalla & mineralia, lapides, animalia omnis generis, præcipue piſces, uno verbo, quicquid ad regnum vegetabile, minerabile, & animale, pertinet, ſtrictim attingit, & deſignat, ita tamen, ut, cum ſimplex & jejuna narratio orationis leges non expleat, omnia ſermonis non omnino elumbis ornatu hinc inde diſtinguantur. In exordio aliquot Hiſtoriæ naturalis Scriptores, ſed non adeo magno delectu habito, collaudat, quoad ipſi haud dubie cogniti fuerunt. Neque enim ei conſtitutum fuiſſe credimus, ut omnes aut præſtantiores enumeret. Manca enim alias atque mutila admodum hæc foret Autorum ejus generis ſeries. *Puxbaumii* etiam & *Paubini* nomina typographi errore ita ſcripta eſſe, facile nobis perſuademus. *Sylvaticus* de Unicornu, & Lapide Bezoardico, clam in cohortem Scriptorum regni mineralis irrepſiſſe videtur. Nihilo tamen minus ſuum hujus ſermonis uſum fore ad cognoſcendas res Tyrolenſium naturales, lubentes prædicamus, quin autores Cl. *Roſchmanno*, vel alii earum rerum intelligenti Viro, ſuaſoresque ſumus, ut pleniorem copioſioremque argumenti hujus expoſitionem propediem ſuſcipiat. Summam hujus Orationis dare, quid aliud foret, quam eandem totam hic repetere? Quamobrem ſpeciminis loco id tantum, quod ab Autore præ aliis fuſe deſcriptum fuit, & nobis omnium maxime commemoratione videtur dignum, ipſis Autoris verbis hic recitabimus, hiſtoriam ſcilicet montium glacialium, qui, ut Autor inquit, amplitudine ſua *undecim omnino Dynaſtias complexi, ab Axamenſi prope Oenipontem vicinia per ſuperiorem Oeni, ac venuſtam, per Serranam ac Paſſyriam, per Vipitinam denique vallem, extenſi, perpetua horrent glacie & hieme, locis infæcundis tumultuantur, Alpes læta paſcua cum armentis deprædantur, eruptionibus & aquarum inundationibus undiquaque triſtiſſimis*

ira-

iraſcuntur. Ita vero eos deſcribit *pag.* 19.: *Vallem igitur Schnalſenſem, ridentibus pratis & avium inter uberrima paſcua luxuriantium gregibus fœcundam, quatuor horis emenſi, in montis jugum, trium horarum ſpatio, inter autumni nebulas, & velut obductum cœlum, non ſine ſudore eniſi, & diffuſo quam primum ſolis lumine recreati, ſed repentino tum omnes frigore concuſſi, cohorreſcimus ad rei inſolitæ conſpectum. Non enim ſylvas, non prata, non paſcua, videmus, ſed planitiem latiſſimam, nivibus obtectam, vallem creſcente glacie montibus æquatam, & quotquot rupium acies prominent, media æſtate & autumno, nil niſi hiemem, glacies, & fiſſuras multorum cubitorum, aperit, graminibus, lapidibus, imo oſſibus hominum animaliumque, poſt annos complures ex his faucibus ad oras protruſis, non ſine frequenti tranſeuntium (imo & luſtrantium, Jovem Lapidem teſtor!) periculo, & ingenti non raro velut exploſorum majoris modi tormentorum fragore reboantium. Et ita læta paſcua, prata, & Alpes, & omnem æſtatis proventum, hiems unica, aut annus ſaltem dimidius, immenſâ mole obruit, & non raro æternum opprimit. Et quæ tam luctuoſæ metamorphoſis cauſa? Quæ, vel unde, hæc nova progenies? Num hiemis diuturnioris rigor, num imbrium continuata per hebdomades complures ſævitia? Num ingeſti per ventos, accumulatique, velut in Ægypto, ita hic, nivium montes? Minime gentium, A. A. Acad.! Audite naturæ novercantis fœcunditatem, & monſtro ſimilem propaginem, obſtupeſcite! Montes parturiunt non ſane ridiculum murem, ſed aut montes procreant novos, aut valles frigidiſſimo hoc ſemine ita impragnant, ut ea intumeſcant amplitudine, quæ montes genitores æquet. Verbo ut rem dicamus, ex continua illa & perpetua, quæ compluribus in regione illa montibus, vallibusque interdum, per ſecula incumbit glacie, primum maſſa haud diſſimilis protruditur, quæ non tantum in longum & latum (ut loqui amamus,) ſeſe paulatim extendit, ſed etiam ſerpendo juga petit, ex jugis usque & usque dilatata magis magisque, &, ut Philoſophi ajunt, ab intrinſeco tan-*

 tum,

Digitized by Google

tum, & neutiquam ab extrinſeco, accedente re quapiam incrementa miniſtrans, ex ſummo montis jugo in vallem deſcendit, in dies ac horas extenſior; imo non raro in alterum vallis latus tam diu damnato hoc coitu ſe propagat, donec vel totam, vel majorem, vallis partem occupet, & ſic alveos torrentium, qui frequentes ibi ſunt, ex integro obſtruat, in lacus & damna immenſa redundaturos. Atque, hæc eo modo eveniſſe, ex hiſtoriarum monumentis probare conatur, quamvis tempus, quo hæcce calamitas iſtam regionem primum invaſit, definiri nequeat. Ceterum, ab hac glacie, quam continuam & perpetuam Geographi appellant, longe diverſam eam eſſe, quæ in Helvetiæ montibus reperitur, ex *Wagneri Hiſtoria naturali Helvetiæ* declarat.

METAPHYSICA, PER ALEXANDRUM GOTTLIEB BAUMGARTEN, Prof. Philoſ.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis C. H. Hemmerde, 1739, 8. Plag. 21½.

Oſſa corporis Metaphyſici hic exhibentur macilentioris, ſed ſatis firma, ſatisque apte catenata. In acroaſibus philoſophicis Cl. Autoris ſuccreſcunt nervi, adjicitur caro, cutis attexitur, colorque & vita bonæ fœminæ accedit. In Præfatione Autor retundit crimen obſcuritatis, quod a malevolorum lividorumque vervecum nonnullis ipſi fuerat objectum, præ ſeſe ferens, veritates multas ſeſe mutuas accepiſſe ab illuſtribus celeberrimisque Metaphyſices inter Germanos reformatoribus, *Leibnitiis*, *Wolfiis*, *Bülfingeris*, *Reuſchiis*. Quantum ipſe abeſt a cœcis aſſentationibus in philoſophando, tanto magis alienum ſe lætus experitur a ferrea fronte hominum, qui non diſſimulant ſolum veritates, & claudunt aliis, quantum ab ipſis fieri poteſt, fontes, ex quibus ſuos maxime rivulos irrigarunt, ſed etiam *turbant eosdem, & venenatos, aut neſcio quo peſtilenti ſidere afflatos, prædicant.* Verba reddimus Cl. Autoris. Habemus vero hic traditam ſcientiam, quæ prima cognitionis humanæ principia continet,

net, ſiquidem Metaphyſica, quam natura & uſus inſeverunt, non ſatis conducit ad idearum notionumque evolutionem, ad determinationem vocum & primarum propoſitionum, ad demonſtrationis continuationem certis judiciis convictionibusque præmuniendam. Pro more exponit Au- Pag. 1.
tor de *Ontologia*, *Coſmologia*, *Pſychologia*, & *Theologia naturali*, eaque non practica, ſed duntaxat theoretica. Exorditur a nihilo negativo, ſeu eo, quod eſt per ſeſe impoſſibile, ut ideam ejus eruat, quod *poſſibile* appellamus. Ex utriusque collatione deducit *principium contradictionis*. In- 3.
de derivat illam propoſitionem: Quicquid eſt, illud eſt, id eſt, omne ſubjectum eſt prædicatum ſui. Cui ſuperſtruit *principium identitatis*, quod præcipue in demonſtrationibus mathematicis magni eſt uſus. *Ratio* eſt, ipſo judice, id, ex quo cognoſcere datur, cur aliquid ſit. Id, quod inde dependet, vocat *rationatum*. Rationale vocat id, quod in nexu eſt poſſibile. Unde patet, aliquid eſſe irrationale poſ- 4.
ſe vel in ſe, vel hypothetice. *Principium rationis ſufficientis* 5.
ſolide exponitur & ſtabilitur. Qui enim hoc inficiantur, mundum exiſtere docebunt, licet negent autorem, in quo exiſtit ratio producti univerſi. Determinationis ideam ita firmat: *Quod aut ponitur eſſe* A, *aut ponitur non eſſe* A, *de-* 7.
terminatur. Nobis determinatio dicitur poſitio certi prædicati ratione hujus vel illius ſubjecti. Determinationes divi- 8.
dit in realitates & negationes, in internas & externas, ſeu relativas. Ut *identitatis* notionem exponat, ita differit: *Si in* A *ſunt, quæ in* B, A *&* B *ſunt eadem.* Determinationes internas porro dividit in primas, quæ fundant eſſentialia, & in ſecundas, ſeu affectiones. Affectiones, in eſſentia rationem ſufficientem habentes, vocantur *attributa;* quæ non habent, *modi.* Cognitionem diverſitatis vocat 9.
diſtinctionem, rationem diſtinctionis *diſcrimen.* Diſcrimina interna oſtendit poſſe repræſentari in Ente per ſe ſpectato, ac inde poſſe quomodocunque cognoſci ſeu dari. Data 12.
autem perhibet vel nos poſſe etiam ſine aſſumto alio, ſine

relatione ad aliud, concipere & intelligere, id eſt, diſtincte
cognoſcere, vel non poſſe. Illa vocat *qualitates*, hæc ve-
ro *quantitates*. *Quantitatem* ita definit, ut eam oſtendat
13. eſſe *diſcrimen internum mere ſimilium*. Exponit deinde
notionem ejus, quod vocamus *unum*, *verum*, *perfectum*, &
bonum. *Ordinem* exponit per coordinationis identitatem,
14. & hanc per conjunctionem plurium eandem. Addimus
merito, illa plura eſſe debere poſitiva ac realia; alioquin ſe-
ries defectuum & non-entium dici poſſet ordo, quod tamen
& voci ipſi & ideæ repugnat. Diverſitatem in conjunctione
plurium appellat *confuſionem*. Non ſatis intelligimus defi-
nitionem. Partes enim magnetis ſunt inter ſeſe conjunctæ,
nihilo minus diverſitas in conjunctione illa elucet. Quis
vero huc translaturus eſſet ideam confuſionis? An idea de
ordine & confuſione, citra aſſumtam de fine propoſito, ad
quem plura referuntur, ideam, poſſit dari lucida & utilis,
nobis liceat dubitare. Ajunt quidem, ordinem dari poſſe
abſolute neceſſarium; ſed reſpondemus merito, cogitari
eum poſſe, at extra Deum & cogitationes per eam neceſ-
ſitatem exiſtere haud poſſe. Ordinem, in attributis divinis
obvium, non licet cogitare a finibus propoſitis alienum.
Vult enim is & appetit pro fine ſemper ea, quæ ipſum de-
cent, perfectionibusque ipſius congruunt. Hæc eſt ejus ſan-
ctitas, per quam ea, quæ perfectionibus ejus minus con-
gruunt, non poteſt approbare. Sed, hiſce omiſſis, regre-
dimur ad Cl. Autorem. *Normam*, *regulam*, *legem*, ipſe
exponit per propoſitionem, qua enuntiatur determinatio
rationi conformis. Mallemus ita: *quæ continet determina-*
tionem rationi conformem. Norma enim non ſemper enun-
tiatur. Enuntiatio hic pertinet ad prædicata ſecundaria.
15. *Veritas metaphyſica*, ipſo definiente, eſt ordo plurium in
uno; *veritas transſcendentalis* eſt ordo in eſſentialibus &
16. attributis entis. Generatim declarat, veritatem metaphyſi-
cam eſſe convenientiam Entis cum principiis catholicis.
De perfectione ita commentatur: *Si plura* (poſitiva) *ſimul*
ſumta rationem unius ſufficientem conſtituunt, *conſentiunt*.
Con-

Digitized by Google

Conſenſus ipſe eſt perfectio, & unum, in quod conſentitur, ratio perfectionis determinans. Veremur vero, ne hic deſit aliquid. Fingamus enim pace Cl. Autoris, ſuccos corporis humani eam contraxiſſe indolem, ut ipſi ſimul ſumti conſtituant rationem ſufficientem deſtruendi corporis, eique inferendæ mortis. Habemus hic 1) plura, 2) ſimul ſumta, & 3) ea, quæ rationem unius ſufficientem conſtituunt. Nihilo ſecius abeſt corpori perfectio. Illud unum itaque ſit reale & poſitivum quid, & quod ad conſtitutionem tuendam ſit aptum. Venti enim, conſpirantes ad domum dimovendam, conſentiunt ſeu tendunt ad unum, licet perfectio ipſa abſit. Progreditur porro Cl. Autor ad ediſſerendum *neceſſarium* & *contingens*. Tum ad id gradum promovet, quod *mutabile* vocamus & *immutabile*, *reale* & *negativum*, *ſingulare* & *univerſale*, *totale* & *partiale*, *ſubſtantiam* & *accidens*, *ſimplex* & *compoſitum*, *finitum* & *infinitum*, *idem* & *diverſum*, *ſimultaneum* & *ſucceſſivum*, *cauſam* & *cauſatum*, *ſignum* & *ſignatum*. Succeſſiva vocat ea, quorum unum poſt aliud exiſtit, idque appellat *mutabile*, cujus determinationes ſibi poſſunt ſuccedere. Succeſſionem vero *modis* inſerit, quos deprehendimus in entibus, quæ *contingentia* dicuntur. Qui itaque in æternitate Dei exiſtere ſucceſſiones momentorum temporariorum ſibi perſuadent, ii non poſſunt non æternitatem Dei ſtatuere mutabilem. Quo ipſo æternitatem & immutabilitatem Dei tollere videntur. *Malum* Cl. Autor ponit in negationibus, & diſpeſcit in *metaphyſicum*, quo poſito, ponatur imperfectio abſolute neceſſaria, & *phyſicum*, quo poſito, ponatur imperfectio in ſe contingens. Alii vero limitationes eſſentiales & abſentiam realitatum, quæ ad fines a ſubſtantiis obtinendos nihil faciunt, dicere nolunt *mala*, eo quod terricola, centum ulnas longus, communis ſcopi obtinendi particeps, ſit potius imperfectum quid & monſtroſum, quam perfectum, licet pluribus ſolito realitatibus ſit inſtructus. At, cum definitiones nominales ab arbitrio pendeant Philoſophi, noſtrum non eſt, hic quidquam monere. Ens illud, quod exiſtit ut de-

Pag. 22 ſeq.

26.

relatione ad aliud, concipere & intelligere, id eſt, diſtincte
cognoſcere, vel non poſſe. Illa vocat *qualitates*, hæc ve-
ro *quantitates*. *Quantitatem* ita definit, ut eam oſtendat
13. eſſe *diſcrimen internum mere ſimilium*. Exponit deinde
notionem ejus, quod vocamus *unum*, *verum*, *perfectum*, &
bonum. *Ordinem* exponit per coordinationis identitatem,
14. & hanc per conjunctionem plurium eandem. Addimus
merito, illa plura eſſe debere poſitiva ac realia; alioquin ſe-
ries defectuum & non-entium dici poſſet ordo, quod tamen
& voci ipſi & ideæ repugnat. Diverſitatem in conjunctione
plurium appellat *confuſionem*. Non ſatis intelligimus defi-
nitionem. Partes enim magnetis ſunt inter ſeſe conjunctæ,
nihilo minus diverſitas in conjunctione illa elucet. Quis
vero huc translaturus eſſet ideam confuſionis? An idea de
ordine & confuſione, citra aſſumtam de fine propoſito, ad
quem plura referuntur, ideam, poſſit dari lucida & utilis,
nobis liceat dubitare. Ajunt quidem, ordinem dari poſſe
abſolute neceſſarium; ſed reſpondemus merito, cogitari
eum poſſe, at extra Deum & cogitationes per eam neceſ-
ſitatem exiſtere haud poſſe. Ordinem, in attributis divinis
obvium, non licet cogitare a finibus propoſitis alienum.
Vult enim is & appetit pro fine ſemper ea, quæ ipſum de-
cent, perfectionibusque ipſius congruunt. Hæc eſt ejus ſan-
ctitas, per quam ea, quæ perfectionibus ejus minus con-
gruunt, non poteſt approbare. Sed, hiſce omiſſis, regre-
dimur ad Cl. Autorem. *Normam*, *regulam*, *legem*, ipſe
exponit per propoſitionem, qua enuntiatur determinatio
rationi conformis. Mallemus ita: *qua continet determina-
tionem rationi conformem*. Norma enim non ſemper enun-
tiatur. Enuntiatio hic pertinet ad prædicata ſecundaria.
15. *Veritas metaphyſica*, ipſo definiente, eſt ordo plurium in
uno; *veritas transſcendentalis* eſt ordo in eſſentialibus &
16. attributis entis. Generatim declarat, veritatem metaphyſi-
cam eſſe convenientiam Entis cum principiis catholicis.
De perfectione ita commentatur: *Si plura* (poſitiva) *ſimul
ſumta rationem unius ſufficientem conſtituunt, conſentiunt:*

Con-

Digitized by Google

Conſenſus ipſe eſt perfectio, & unum, in quod conſentitur, ratio perfectionis determinans. Veremur vero, ne hic deſit aliquid. Fingamus enim pace Cl. Autoris, ſuccos corporis humani eam contraxiſſe indolem, ut ipſi ſimul ſumti conſtituant rationem ſufficientem deſtruendi corporis, eique inferendæ mortis. Habemus hic 1) plura, 2) ſimul ſumta, & 3) ea, quæ rationem unius ſufficientem conſtituunt. Nihilo ſecius abeſt corpori perfectio. Illud unum itaque ſit reale & poſitivum quid, & quod ad conſtitutionem tuendam ſit aptum. Venti enim, conſpirantes ad domum dimovendam, conſentiunt ſeu tendunt ad unum, licet perfectio ipſa abſit. Progreditur porro Cl. Autor ad ediſſerendum *neceſſarium* & *contingens*. Tum ad id gradum promovet, Pag. 28 quod *mutabile* vocamus & *immutabile*, *reale* & *negativum*, ſeq. *ſingulare* & *univerſale*, *totale* & *partiale*, *ſubſtantiam* & *accidens*, *ſimplex* & *compoſitum*, *finitum* & *infinitum*, *idem* & *diverſum*, *ſimultaneum* & *ſucceſſivum*, *cauſam* & *cauſatum*, *ſignum* & *ſignatum*. Succeſſiva vocat ea, quorum unum poſt aliud exiſtit, idque appellat *mutabile*, cujus determinationes ſibi poſſunt ſuccedere. Succeſſionem vero *modis* inſerit, quos deprehendimus in entibus, quæ *contingentia* dicuntur. Qui itaque in æternitate Dei exiſtere ſucceſſiones momentorum temporariorum ſibi perſuadent, ii non poſſunt non æternitatem Dei ſtatuere mutabilem. Quo ipſo æternitatem & immutabilitatem Dei tollere videntur. *Malum* 26. Cl. Autor ponit in negationibus, & diſpeſcit in *metaphyſicum*, quo poſito, ponatur imperfectio abſolute neceſſaria, & *phyſicum*, quo poſito, ponatur imperfectio in ſe contingens. Alii vero limitationes eſſentiales & abſentiam realitatum, quæ ad fines a ſubſtantiis obtinendos nihil faciunt, dicere nolunt *mala*, eo quod terricola, centum ulnas longus, communis ſcopi obtinendi particeps, ſit potius imperfectum quid & monſtroſum, quam perfectum, licet pluribus ſolito realitatibus ſit inſtructus. At, cum definitiones nominales ab arbitrio pendeant Philoſophi, noſtrum non eſt, hic quidquam monere. Ens illud, quod exiſtit ut de-

terminatio alterius, vel ita eſſe poteſt, vocatur a Cl. Au-
Pag. 37. tore *accidens*. Ergo ens illud, quod non exiſtere poteſt ut alterius determinatio, erit *ſubſtantia*. Rationem ſufficientem inhærentium ſubſtantiis accidentum vocat *vim*, quam eſſe *ſubſtantiale* quid oſtendit. Eandem ob cauſam, ipſo judice, *ſubſtantia* poteſt definiri per *ens vi præditum*. *Influxum* vocat actionem ſubſtantiæ in ſubſtantiam extra ſe. *Vim vivam* vocat eam, quæ ad datam certam actionem ſufficit.
42. Videtur dicere voluiſſe: *cujus applicatio ſufficit certæ datæ actioni*. Subſtantias compoſitas cum Cel. quondam *Leibnitio* habet pro determinationibus aliorum ſeu accidentibus, ac ipſas, ſimul ac videantur per ſe ſubſiſtere, ipſisque vis
45. tribuatur, pro phænomenis ſubſtantiatis. Spatium denuo
46. exiſtimat eſſe ordinem ſimultaneorum, extra ſe invicem po-
50. ſitorum. *Principium indiſcernibilium*, ſtricte ſumtum, ita demonſtrat: *Impoſſibilia ſunt plura extra ſe actualia, totaliter congruentia. Dum enim extra ſe invicem exiſterent, ſua omnino & propria cuilibet exiſtentia conveniret, ab exiſtentia alterius diverſa; hinc aut attributum, aut modus, ſaltem unus, in altero eſſet, qui non eſſet in altero, adeoque foret aut qualitas, aut quantitas, nec eſſent hinc ambo totaliter congruentia.* Quo ipſo pateſcit, non dari plura vel duo actualia, prorſus ſimilia, vel prorſus æqualia. Locum definit per *poſitum ſimultanei extra alia actualem*,
55. motum per loci mutationem. *Materiam* non ponit in impenetrabilitate ſubſtantiarum, ſiquidem & ſubſtantia ſimplex infinita, quæ materiæ eſt expers, impenetrabi-
58. lis exiſtit; ſed eam vocat *extenſum, cui vis inertiæ tribuitur*. *Durationem* reputat pro *exiſtentia exiſtentis nec orientis, nec intereuntis*. Mallemus hic ſequi ſignificatum, communi ſermone receptum, per quem *durare* illud dicitur, quod continuatione exiſtentiæ ita eſt præditum, ut retineat definitionem ſuam vel perpetuo, vel ad certum tempus. Mundum perhibet eſſe *ſeriem actualium*
71. *finitorum, quæ non eſt pars alterius*. Ex eo autem, quod

in

in hoc mundo ſunt actualia extra ſe poſita, colligit nexum univerſalem actualem. Poſtquam oſtendit, quid mundus non ſit, exponit de partibus univerſi tum ſimplicibus, tum compoſitis, ac ad extremum de perfectione univerſi, ſeu de mundo optimo. Profligat vero *progreſſum in infinitum*, *fatum Spinoſiſticum*, quo eventus in mundo judicantur profluere ex neceſſitate mundi abſoluta, *caſum*, ac eventus abſolute extraordinarios, *ſaltus*que *abſolutos*. Oſtendit etiam mundum haud eſſe ſubſtantiam infinitam. Quid vero id, proxime adjectum, ſibi velit: *infinita ſubſtantia non eſt unica*, nos omnino ignoramus, rati, nævum typotheticum ſubeſſe. Egoiſtarum, Idealiſtarum, & Materialiſtarum, deliria egregie expugnavit Cl. Autor. Quamvis monada arbitratur merito eſſe impenetrabilem. Mundum pnevmaticum vocat *regnum gratiæ*. Dubio autem id vacat, ſpiritus dari a regno gratiæ alienos. Credit idem, omnes monadas hujus mundi in ſe mutuo influere, ac reactionem partium mundi in alias extra ipſas eſſe influxui æqualem. Statuit præterea, *monadas in mundo per contactum mutuum inter ſeſe confligere.* Nihilo ſecius ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ non ſolum reliquis duobus ſyſtematibus, de commercio animi corporisque humani circumferri ſolitis, præfert, ſed id quoque veriſimillimis comprobat rationibus. Cohæſionem deducit ex eo, quod vires duarum monadum in mundo ſint æquales, &, niſi accedat vis tertia, ſeſe inſeparabiliter contingant. Inde extenſionem exponit, & ex eo, quod materia in nullo mundo eſt totaliter homogenea, oſtendit, omnem mundi materiam eſſe in motu. De eo, quod *naturale* & *ſupernaturale* dicitur, ſolide prorſus commentatur. In *Pſychologia empirica* exponit de animæ exiſtentia, facultatibus, ſenſibus, præviſione, præſagiendi vi, ratione, facultate appetendi, libertate, & commercio corporis cum anima. Progreditur deinde ad *Pſychologiam rationalem*, ipſamque *Theologiam*, e lumine rationis depromtam, & ubique tam ſolide,

Pag. 77 ſeq. — 80. — 81 ſeq. — 95 ſeq. — 85. — 87. — 88 & 98. — 102 ſeq. — 213 ſeq. — 89.

Digitized by Google

de, tam dextre, tam ordinate & diligenter, inſtituto ſuo ſa-
tisfacit, ut, neminem non ei eſſe applauſurum, exiſtimemus.
Subtexemus ad ultimum ea etiam, quæ nonnullis ſingularia
Pag. 220 videbuntur. Propagationem animarum humanarum per
ſeq. traducem fieri poſſe, largitur, ita tamen, ut ipſæ vel ante
conceptionem præexiſtant in animalculis ſpermaticis, vel
tunc a Deo ex nihilo creentur. Continuationem perſona-
litatis, in brutorum animas haud cadentis, animæ huma-
næ per naturam ſuam eſſe propriam & indivulſam, oſten-
225. dit, atque exinde ejus immortalitatem ſtabilit, proprie ſic di-
ctam. Docet præterea, animas, a corpore hujus vitæ ſepa-
226 ſeq. ratas, venire cum corporibus ſuis novis in arctiſſimum com-
mercium, omnesque ſpiritus finitos gaudere ſuis corpori-
231. bus, quibuscum arctiſſimo ſint in commercio. Exiſtere Nu-
men ſupremum, comprobat ex Entis perfectiſſimi doctrina,
233 ſeq. adeoque adhibet ejusmodi argumentum, quod & Idealiſtis, &
246. Materialiſtis, immo Egoiſtis, facit ſatis. *Sanctitatem* ponit
eſſe realitatem Entis, qua plures illius imperfectiones tol-
238. luntur. Sanctiſſimum itaque id vocat, cujus realitate omnes
ejus imperfectiones tolluntur. In Deo non eſſe ſimultanea
241. extra ſeſe invicem poſita, partes ipſius, nec ſpatium, cu-
243. rate demonſtrat. Polytheiſmum egregie evertit. En argu-
mentum: *Plures Dii ſunt impoſſibiles. Si enim plures exi-
ſterent, ſinguli illorum eſſe deberent ſubſtantiæ, & exiſte-
rent extra ſeſe invicem, iique vel totaliter iidem, vel partia-
liter tantum. Si ponerentur totaliter iidem, ipſi forent im-
poſſibiles, ſiquidem plura exacte ſimilia aut æqualia exiſtere
haud poſſunt. Si partim forent ipſi diverſi, tum eſſet ali-
quid in uno, quod non foret in altero. Hoc ipſum porro eſ-
ſet aut realitas, aut negatio. Si realitas eſſet, ille, cui
quid deeſſet, non foret Deus. Si id eſſet negatio, tum ille,
cui illa ineſſet, foret non Deus. Reſtat itaque, ut Deus ſit
unicus.* Tanti erat principium indiſcernibilium. Sapien-
254. tia ex ejus definitione eſt ſcientia nexus finalis. Deum
260. 265. infinite averſari mala, ſolide docet. Bonitatem erga per-
ſo-

ſonas proportionalem exiſtimat eſſe juſtitiam, nihilo minus juſtitiam dividit in vindicatricem & remuneratoriam. Pag. 263. Creationem mundi ex eo deducit, quod elementa ſimplicia, e quibus conſtat mundus, non niſi ex nihilo fieri ſeu creari poſſunt. Qui itaque ea non admittunt, 271. amittunt præſtantiſſimum argumentum, quo, mundum eſſe creatum, intelligitur. *Conſervationem* definit per actuationem durationis, & creationem continuatam. Con- 280. curſum Dei immediatum docet eſſe ejusdem præſentiam, Deumque eapropter ſubſtantiis hujus mundi omnibus eſſe intime præſentem. Originem mali exponit methodo 281. *Leibnitiana*, nec negat, Deum potuiſſe creare homines 283 ſeq. perfectiores, imo in bono confirmatos, ipſumque lapſum potuiſſe impedire. Experientiam proinde advo- 284. cat, quæ doceat, homines & labi potuiſſe, & lapſos eſſe. Cum vero mundum propugnet optimum, id eſt, finibus a Deo intentis convenientiſſimum, non potuit, quin concederet, mala moralia & phyſica locum habere poſſe in mundo optimo. Addit: *Mundus, in quo permittuntur mala phyſice, eſt medium religionis optimum.* Decretum Dei da- 288. ri abſolutum, negat, rationibusque allatis docet, decreta Dei de contingentibus rebus eſſe hypothetica duntaxat. Inprimis oſtendit, in omni vera revelatione ſtricte dicta dari myſteria, ſupra rationem poſita. Ne quis vero miretur, 291. obſecramus, recenſionem noſtram exiiſſe longiorem, ſiquidem in exiguis libris, ad demonſtrationis ſervandæ nexum compoſitis, & intra ſtili maciem conſtrictis, plus ſæpius eſt nervorum veritatumque, quam in ſtupendis aliorum voluminibus ac monumentis.

SYSTEMA INFLUXUS PHYSICI IN PRIſtinum dignitatis ſplendorisque ſtatum reſtitutum per M. FRID. GUIL. JAHR, Ordinis Philoſophici Aſſeſſorem.

Vitembergæ, ex officina Hakiana, 1739, 4.

Plag. 11.

Digitized by Google

L*ectori rectiſſimis ſtudiis atque artibus prædito* Cl. Autor Præfationem dedicavit, ac in ea de ſyſtemate ſeu hypotheſi harmoniæ præſtabilitæ haud ſecus judicat, ac ſi Hannibal eſſet ante portas. Iſtud commercium, quod Deus animæ corporique ſtabilivit, nunquam ruinam metuit, quicquid tandem Philoſophi crepent in omnem partem. Quantopere autem ſibi ſuisque rationibus confiſus fuerit præſtantiſſimus Vir, ſtatim elucet ex ejus triumpho ante victoriam. In limine enim Præfationis ſic de ſua ſententia ſentit magnifice: *Multi errare cum Illuſtri* Leibnitio *&* Wolfio, *quorum tenentur autoritate, quam rationis, conſtantiſſime, in diſputando, momenta quærere, malunt.* Addit illud: *Ipſe dixit. Tantum vero abeſt*, (ipſius verbis utimur,) *ut Illuſtris* Wolfii *vel virtuti, vel literis, vel dignitati, vel gloriæ, quod eſt humilis abjectique animi proprium, invideat, vel honorem ei debitum detrahere velit, ut omnibus potius ac ſummis ejus, quorum magnus numerus eſt, merita laudibus eſſe prædicanda exiſtimet.* Bona verba! Nam *pag.* 7 *omnes* Wolfii *errores* memorat. Et *pag.* 28 ita exclamat: *Quæ anus tam delira, quæ talia credat?* Porro *pag.* 44 hoc utitur floſculo: *Miraculum quoque verum, ſed per jocum & luſum, quem neque intellexiſſe, neque intelligere voluiſſe, Illuſtrem* Wolfium, *magnopere miror, harmoniam præſtabilitam vocavit Philoſophus* Newtonus. Et *pag.* 45 ſic infit: *In eas ſe Vir Illuſtris captiones induxit, quas nunquam dilucide ſatis explicabit.* Ipſe *Wolfii* Philoſophiam vocat *machinariam pag. 46.* Poſtulat quoque *pag. 49, ut leges motus, quas ſanxit* Wolfius, *explodantur.* Omittimus alia. Cum *Jo. Ulr. Cramero* & *Theodoro Gutkio* inprimis res ipſi eſt *Jabrio*. Pl. Rev. *Reinbeckium* fautoribus harmoniæ præſtabilitæ, qua ex ratione, ignoramus, annumerat Cl. Autor. Tractationis facit is initium ab hac propoſitione: *De quo omnes homines, quorum neque inſtituto aliquo, nec more, aut lege, conſtituta eſt opinio, conſentiunt, id verum eſſe, neceſſe eſt.* Quem in uſum hæc propoſitio, diligentius in foro hiſtorico ſecundum applicationem examinanda, ſit allata, plane non videmus. Paulo enim poſt

Pag. 2.

ita

ita ſentit: *Quot ſunt homines, tot quoque ſunt ſententiæ. Hinc non magnopere miror, quod tam variæ ſint doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes, de eo, quod eſt inter animum & corpus, commercio, ſententiæ.* Corruit proinde illa opinionum prædicata conſenſio, quam Cl. Vir ita quoque labefactavit, *pag. 11* ſcribens: *Erravit multis in rebus antiquitas, quam vel uſu jam, vel doctrina, vel vetuſtate, immutatam videmus.* Nihilo ſecius ſyſtema influxus phyſici inædificat antiquitati, hominum ſapientiſſimorum autoritati, ſenſibus, integris atque incorruptis teſtibus, (qui tamen nihil dijudicant,) & experientiæ, atque intelligendi facilitati. Influxum phyſicum tradit eſſe *mutuam duarum inter ſe pluriumque rerum permixtionem*, negans tamen, animam cum corpore eſſe permixtam, vel communibus regulis adſtrictam, credensque, Cel. *Jo. Ulr. Cramerum errare cum Harmoniſtis, quam ſapere cum aliis, malle*, ſiquidem ipſe ſeſe ab eorum, qui ſapiunt, conſortio haud disjunctum putat. Influxum deinde credit eſſe *virium virtutumque rei cujusdam cum alia communicationem.* Quid vero ſit communicatio, pollicetur ſeſe deinceps eſſe explanaturum. Tandem *pag. 33 communicare*, & *virtutis ſuæ participem facere rem*, idem eſſe, credit. Si quæris, quibusnam rationibus Autor inductus, influxum phyſicum ſtabilitum iverit, reſpondebunt alii, rationes ejus in id directas eſſe, ut perhibeat, animæ vim in corpus influere. En rationes ſingulas. Primo poſtulat concedi, quod nihil videat corpus, audiat ſentiatque nihil, niſi adſit mens, atque agat. Concedunt id Harmoniſtæ in ipſo facto, licet id *in ſigno rationis* videantur inficiari. Deinde dictitat, id, quicquid a me agitur, ab animo agi. Rationem flagitant hic Harmoniſtæ, clamantes, idem probari per idem, ac circulum adeſſe in demonſtrando. Tertio idem poſtulat, ut credatur, ſenſibus res omnes, extra nos poſitas, animum, quod qualesve ſint, cognoſcere. Applaudunt denuo Harmoniſtæ. Quarto poſtulat, ut credant omnes, ob hanc rationem dari influxum phyſicum, quem deinde vocat *permeationem pag. 32.* Quinto ſic concludit:

Pag. 7. — 11. — 18. — 20. — 21. — 23. — 24. — 25. — 26. — 29.

Quoniam ex animo & corpore, rebus natura diverſis, conſlatus
effectusque homo eſt, idcirco etiam inter animum & corpus
vera datur naturalisque unio. Prius Harmoniſtæ largiun-
Pag. 36. tur; poſterius, ſeu concluſionem, non vident. Sextum
ſic colligit methodo apogogica: *Naturali hac detracta de*
homine interiorique unione, nec animo corporis, nec corpori
mentis, tribuere actiones poteris. Id inde ſequi, negant Har-
moniſtæ, quibus *Jaquelotus* tribuit laudem retentæ libertatis
humanæ. Hiſce rationibus Cl. Autor putat ſe ſyſtema unio-
nis phyſicæ reduxiſſe ad dilucidam claramque notionem,
nec ſolum ad probabilitatem, ſed etiam ad certitudinem.
39. Pergit quoque, dictitans, *animum ſe ipſum movere*, ratus,
ſubſtantiam ſimplicem motu gaudere inteſtino, qui fit dunta-
48. xat in ſubſtantia coagmentata. Animam agendi vi eſſe præ-
ditam, nemo inficiatur. At illa vis non ideo eſt vis motrix.
Quare aliis ipſe haud illico perſuaſit hanc propoſitionem:
Quicquid ſingulari quadam agendi vi præditum eſt, id motu
[illegible] *cieatur interiore, eſt neceſſe.* Animi dantur omnino motus,
ſed ſignificatu translato, non proprio. Unde id etiam ſin-
gulare eſt: *Quoniam ſuo animus proprioque agitatur motu,*
idcirco & corpori poteſt afferre motum. Quoniam vero ex
hac propoſitione omnes derivantur reliquæ, ſupervacuum
86. eſt, ut addamus plura, præter hanc demonſtrationem: *Tur-*
bidi animorum motus important ægritudines anxias & acer-
bas, quas graviores corporis morbi ſequuntur atque ægrota-
tiones. Fac, minus belle ſe habere A, nec belle ſe habebit
F - G - I - M - Z. De reliquo prædicamus merito Cl. Au-
toris conatus & induſtriam, obſecrantes eum, ut in hoc
ſtadio porro curſum exerceat, ac argumenta ſolidiora cir-
cumſpiciat, ſiquidem & nosmet eo inclinamus, ut ample-
ctendum ducamus ſyſtema phyſici influxus, licet hic depre-
hendamus fundamenti nihil, circuli multum.

JACOBI FACCIOLATI ACROASES DUÆ, una de Scientia & inſcitia, quæ ad mores pertinet, altera, de quo quærendum non ſit, in Gymnaſio Patavino habitæ ad inſtauranda Logica ſtudia.

Pata-

Digitized by Google

Patavii, typis Seminarii, 1738, 8.
Plag. 3.

Honoribus *Nicolai Troni*, Equitis, Præfectura abeuntis, dedit hoc Cel. Autor, ut eo tempore has *Acroaſes* exire voluerit, nomini ejusdem inſcriptas. Prior eſt Commentarius ad *Ariſtotelis Lib. I Cap. 1 poſterior. Analyt. Socraticis* peccata omnia erant inſcitiæ, negantibus, nos poſſe videre & probare meliora, deteriora ſequi. Alii putant, Pag. 11.
eum, qui peccat, ſuſpicari & opinari, non ſcire. Alii, 13.
animi ſenſum ab ejus intelligentia ſeparantes, affirmare non dubitant, duas has facultates ire in contraria poſſe, ſibique invicem judicando repugnare. Autor cum *Ariſtotele* ait, eum, qui incontinentia peccat, ſimul ſcire, ſimul neſcire, nec tamen judicia ejus contraria eſſe. Scit is habitu, qui peccat, non tamen ſcientia utitur; qui utitur, ſcit actu. Ille in præſens de virtute & vitio cogitat nihil; hic de 14.
eo cogitat: ille vitium pro re bona habet; hic non item. Ad agendum valet duntaxat cognitio rei præſens, ad omittendum bonum inſcitia rei præſens & ſingularis. Sæpius ſcitur id, quod eſt in re; neſcitur id, quod 17.
eſt in homine: ſcitur univerſale; negligitur ſingulare. Qui peccat, in magna quadam fallacia verſatur, quod ſingularia ex univerſalibus non recte ducit. Ignorationis hujus cauſa eſt modo ceſſatio quædam & inconſide- 18.
rantia, modo perturbatio. *Poſterior Acroaſis* pertinet ad *Ariſtotelis Lib. I Topicorum Cap. XI*, & ad introductionem, 23.
Topicis præmiſſam inſtar invitamenti. Ineunte Seculo XIV excitatum eſt Lutetiæ Pariſiorum opera *Franciſci Mayronis* genus diſputandi, quod acuendi ingenii nomine cuncta permiſcuit, ac incerta fecit. Oſtendit adverſus illud, terminos eſſe quosdam, quos egredi quærendo diſſerendoque non 24.
liceat. *Ariſtoteles* enim Logicum monet, ne ſibi liberum putet de rebus omnibus ambigere, vel in utramque partem diſputare. Huc refert cultum Deorum, dilectionem parentum, ea, quæ ſenſione patent, ea, quorum demonſtra- 25.
tio eſt promta, vel nimis remota. In hiſce exponendis &

Digitized by Google

Pag. 39 ſeq. illuſtrandis ſtudium ſuum Autor poſuit, notans *Malebranchium*, judicantem, temere quæri, quid *Ariſtoteles* ſenſerit de animæ immortalitate. Quem quidem adeo ſequitur *Ariſtotelem*, ut notionem probabilitatis *Ariſtotelicam* ſimul aſſectetur.

Harmonirendes Syſtema zwiſchen dem abſolut-und conditionaten Rath-Schluß der beſondern und der allgemeinen Gnade, ꝛc.

hoc eſt,

SYSTEMA HARMONICUM DECRETI ABſoluti ac conditionati gratiæ particularis & univerſalis, in quo oſtenditur, Particulariſtam poſſe eſſe Univerſaliſtam & contra, invitantibus anſamque præbentibus Celeberrimi D. JOACHIMI LANGII ſcriptis de Gratia univerſali; editum a JOANNE JACOBO WOLLEB, Verbi divini Miniſtro Thennikeni in territorio Baſileenſi.

Baſileæ, typis Joannis Piſtorii, 1739, 8.

Plag. $13\frac{1}{2}$.

Libello gratulationem præmiſit *Samuel Werenfelſius*, gratiæ univerſali haud inimicus. Autor ipſe ſtudet patronos gratiæ & univerſalis & particularis inter ſe conciliare, eoque fine ſubordinationem utriusque ſtabilire contendit. Gratiæ univerſalis effectum univerſalem non niſi Apocataſtatiſtæ largiuntur. Reliqui doctores, ſalutem a Deo ſempiternam dari piis ſub conditione fidei ac pietatis, docent. Apocataſtatiſmum mederi difficultatibus cunctis, haud oblique putat, in ſeſe conſideratum, eſſe probabile. Addit vero, eum a fautoribus gratiæ & univerſalis & particularis repudiari; reſtare difficultates, quibus plene tollendis apocataſtatiſmus haud ſufficiat, præcipue practicas; plus juſto demonſtrari argumentis apocataſtatiſtarum; ſanctitatem & juſtitiam Dei haud ſatis ſervari illibatam per ea, durumque videri, Deum per aliquot ſecula impios in infernalibus pœnis, quæ celebratiſſimo Apocataſtatiſmi amori infinito minus

Digitized by Google

nus congruant; exſtare nullum luculentum in ſacris literis dictum, quo univerſalis reſtitutio extra dubitationem omnem ponatur, præſto autem eſſe permulta in contrarium *) ſatis luculenta; judicium noviſſimum, diem judicii extremum, repugnare judiciis gratiæ ſequentibus quibuscunque. Repudiat itaque Autor Apocataſtatarum ſyſtema. Judicat nempe, decretum abſolutum a conditionato differre, hoc fœderi operum eſſe proprium, illud vero fœderi œconomiæ Evangelicæ convenire. Cum vero œconomia poſterior ſit ea, quæ in regno gratiæ tractatur, omnia rurſus in regno gratiæ recidunt, judice hoc, ad abſolutum decretum, & hac ratione ad conſolationem Evangelicam nullus gratiæ univerſali erit locus. Patet vero hac ratione diſtinctio, qua elidi poteſt vis & efficacia dictorum, quibus gratia ſignificatur univerſalis. Conceditur quidem hypotheſis, omnes ad vitam ſempiternam ſervari poſſe, poſita hac conditione: *ſi in hac vita male actorum ſeriam egerint pænitentiam, nec univerſali gratiæ reſiſtant, ſed eam amplectantur, & fidem in Jeſum ſuſcipiant.* Si vero quæris, an hæc hypotheſis in effectum verum in illo caſu ſit tranſitura; reſpondet Autor negando, ac *Amyraldiſtam* agit. Decreto abſoluto inniti reprobationem negativam, largitur; poſitivam aliunde derivat. Quærit, an negative reprobati, ſi vires naturæ componant, easque omnes intendant, ad conjungendum ſeſe Deo, hac ratione per decretum generale ad gratiam & ſalutem perveniant. Non reſpondet affirmando, licet ſyſtema ejus ſic poſtulet feratque. In limine Operis ſtatim ſignificat, Cel. *Langii* doctrinam ipſum haud conviciſſe nec dimoviſſe ab abſoluto decreto, ſuperſtructam quippe paſſim dictis ſacri Codicis, ſecundum hermenevticas regulas haud debite exploratis. Credit potius, idque comprobandum ſuſcipit, Reformatis, ut faveant abſoluto Pag. 8

*) E. g. *Pſalm. XLIX, 20, Matth. XXV, 11, 12, Luc. XVI, 26, Apoc. XX, 10, XXII, 15, Eſ. LXVI, 24, Marc. IX, 44, Apoc. XX, 14, 15.*

Digitized by Google

ſoluto decreto, ſatis præſidii ſupereſſe in divinioribus li-
Pag. 2. teris. Tractationem ſuam bipartitur. Primo laborat oſten-
dere, doctrinam de univerſali gratia non pugnare cum par-
ticulari. Deinde cumulat ſacri Codicis dicta, quibus ab-
6. ſolutum decretum & gratia particularis confirmetur. Uni-
verſalem denuo gratiam tribuit fœderi operum. Sed quæ-
ritur, an quis, ſtante œconomia Evangelica, per fœdus
operum ad œconomiam gratiæ adſpirare poſſit, mortuus
quippe ſpiritualiter, vitaque Deo probata deſtitutus. Quæri-
tur, an id valeat, ſtante tantum regno gratiæ, an id effi-
cere valeat poſt diem noviſſimum. De eo lis nunquam ex-
ſtitit, an omnes homines, in fœdere operum citra prævari-
cationem perſiſtentes, ſalutem ſempiternam obtinuiſſent; nec
de eo ſtatu facile quis promiſſiones Evangelicas univerſales
exponere audebit. Quæritur de gratia ſecundi articuli, non
10. primi, eaque univerſali. Autor certe fœdus univerſale,
quod poſt lapſum eſſe reſiduum putat, pro operum fœdere
reputat, ratus, id, quod eſt univerſale, dici gratiam haud
poſſe, multoque minus ἐκλογήν, ſiquidem gratia nitatur præ-
11. via electione e compluribus. Fœdus id univerſale putat a
Paulo dici *ὡς ἐξ ἔργων νόμȣ Rom. IX, 32,* idque lenioribus
conſtare conditionibus, quam prius operum fœdus, exiſti-
mat. Si quæris, an eæ vires ſuperſint in homine, ut fœderi
operum ſatisfaciat; tum reſpondet Autor, gratiam univerſa-
lem exhibere hominibus ſat habilitatis facilitatisque ad opera
12. conditionata fœderis operum, nempe pœnitentiam & fi-
dem, effectui danda; omnibus ineſſe ſatis liberi arbitrii ad
reſiſtendum huic gratiæ univerſali. Fœderi operum tribuit
gratiam ſufficientem ex parte Dei; fœderi vero gratiæ *gra-
tiam efficacem.* Sane plurimi mortalium ſudant ſub pæda-
gogia, fœderi operum ſeſe alligantes, quorum multi eni-
tuntur ad fœdus gratiæ amplectendum. Mens vero Autoris
eo collineat, ut doceat, gratiam pædagogicam & ſufficien-
tem eſſe univerſalem, eam vero, quæ per fidem eſt actuo-
ſa, penitusque viva, & Evangelio ſubnixa mero, eſſe particu-
larem; illam eſſe omnibus oblatam, hanc a nonnullis tan-
tum

tum applicatam. Ne vero vocabulum fœderis operum diſpliceat, admodum ſtudioſe cavet. Univerſalem gratiam, a Cel. *Joachimo Langio pag. 11 & 12* aſſertam, ita credit deſcriptam, ut *objectiva* & extra hominem poſita videri poſſit, quæ quomodo in effectum animæque facultates influat, ipſi non patet. At ad gratiam univerſalem Vir Rev. requirit munus Spiritus ſancti, qui per verbum & Sacramenta animas afficit, pellit, movet, pulſat, & excitare ſtudet, niſi toties huic impulſui homo poſuerit obicem, ut callum ad eum obduxerit. Hæc gratia omnino in ſubjectum tranſit, & pædagogiam exercet. Hoc ipſum haud videtur conciliationis Autor ignoraſſe, ideoque objectionem amoliri ſtudet eorum, qui fœdus gratiæ univerſalis eam ob rationem recuſant appellatione fœderis operum afficere. Spiritus certe ſanctus exſerit motus illos pædagogicos ob redemtionem & gratiam Chriſti, quacum fœdus operum ſtare nequit. Optat *Wollebius*, ut ſignificet quis, quibus actionibus comprehendatur munus illud Spiritus ſancti, cujus in deſcriptione gratiæ univerſalis Cel. *Langius* meminit, ratus, gratiam illam ſubjective (in animis hominum affectis) univerſalem fictionem eſſe vagam. Quærit eapropter, utrum gratia illa ſubjective univerſalis ſit aliquid reale, & a facultatibus doniſque naturæ diverſum; an ſit aliquid fictum; an effectibus animi naturalibus abſolvatur & conſtet. Miramur, eundem inficiari prorſus, peccatores per vires naturæ reſiduas, ſeu gratiam naturæ univerſalem, ad veram animi emendationem pervenire poſſe, cum tamen ipſe, in fœdere operum vires alias exſtare, neget. Quærit porro, an hiſce viribus inde ab *Adami* in peccatum lapſi ætate Deus corollarium ac ἐπίμετρον quoddam gratiæ gratuitæ addiderit, quod ſufficiat ad hominem meliori mente & fide imbuendum. At noſtri docent, gratiam illam, animo convertendo aptam, eſſe hominibus haud inſitam, nec corollarii inſtar animo junctam, ſed omnibus aſſiſtere, extrinſecus adventitiam, ob *Apoc. III, 20.* Qui enim homines reſiſtere poſſent Spiritui ſancto, iique improbi, niſi ejus gratia animis eorum aſſiſte-

Pag. 26. — 34 ſeq. — 36 ſeq. — 37. — 38. — 39. — 40.

ret, viresque eis novas adſpirare niteretur? Conf. *Act. VII, 51.* Non mirum, hanc gratiam univerſalem aſſiſtentem apud eos in cenſum haud venire, qui eam per complexum
Pag. 41. doctrinæ ſuæ admittere nequeunt. Quo factum eſt, ut *Wollebius* ſuſpicetur, gratiam ejusmodi eſſe rem, quæ reve-
46. lationi divinæ & experientiæ univerſali repugnet. *) Fœderi operum aliquid ineſſe ex fœdere gratiæ, largitur; contendit tamen, illud operum fœdus non eſſe verum Evangelicum gratiæ fœdus. In hoc enim ſuppeditari per gratiam divinam non ſolum vires, conditionibus fœderis explendis accommodatas, ſed liberum arbitrium per eam moveri, perficique ardorem & effectionem boni ſpiritualiter cogniti,
47. donari emendationem mentis fidemque vivam. In hoc omnia fidelibus ſuppeditari δωρεὰν, ipſorumque operationi nil in acceptis referri. In hoc pendere omnia a deſtinatione æternum approbata, electis propria. Contra ea ſtatuit,
48. in fœdere operum conditiones ſalutis impetrandæ pendere a libero arbitrio peccatoris, in viribus liberoque arbitrio peccatorum eſſe ſitum, an reſiſtere ipſi velint gratiæ ſubjectivæ, an promiſſorum bonorum hujus fœderis ſua ſponte participes ſeſe malint reddere. Num autem ipſi bona, ſaluti æternæ connexa, appetere, ſuisque viribus acquirere, valeat? Reſpondet Autor, ipſos per ſeſe ſub dominante peccatorum poteſtate non poſſe non reſiſtere Deo &
49. œconomiæ ſalutis; requiri tamen, ut 1) ne gratiæ reſiſtant; 2) ut ſe ipſi ad Deum convertant; 3) ut fide viva inſtruantur; 4) ut tria illa momenta ſervent ad finem usque vitæ: nihilo minus pœnitentiam, converſionem, & fidem, fructus gratiæ ſufficientis & liberi arbitrii in uſum traducti,
52. nondum eſſe ἀλήθειαν ἐν Χριστῷ, ideoque eis donis inſtructos duntaxat eſſe in ſtatu eorum, quos *tantum non Chriſtianos* appellat. Opinatur idem, complexum gratiæ univerſalis omnem, miſericordiæ & expiatorii ſacrificii Chriſti, univer-

*) Ipſe *pag* 90 negat, Deum nemini præter eos, qui per decretum abſolutum prædefiniti ad vitam æternam ſunt, facultatem ſuppeditare, explendi conditiones gratiæ univerſalis ac conditionatæ.

Digitized by Google

verſalem vocationem, invitationem & impulſionem, eſſe Pag. 53.
duntaxat *virtutem moralem*, quam eſſe minus ſufficientem
gignendæ fidei, remis velisque it lectori perſuaſum, con- 54 ſeq.
fundens ipſam animi creationem novam cum pædagogia,
eam præcedente, eamque promovente. In regno gratiæ ordinariæ abſuat *ſaltus*. Cum vero nemo ſit vivum Chriſti membrum, ni particularem eccleſiæ minus conſpicuæ gratiam intus teneat efficacem; Autor colligit exinde, gratiæ
univerſalis fœdus ſupplendum fuiſſe fœdere gratiæ particula- 64.
ris, ſeu Evangelicæ. Neſcimus vero, quid ſibi velit ipſe, dum pronuntiat, Deum haud poſſe præſcire eos, qui ex hominibus ſint fidem recepturi, ſi decretum hoc conſtituiſ-
ſet: *Omnes homines, ſi credunt, fiunt ſalvi; ſin credere re-* 66.
cuſaverint, condemnabuntur. Indubie enim ipſe præſcivit, quinam conditiones fœderis gratiæ ſint impleturi, nec ne. Noſtri decretum hypotheticum ita enuntiant: *Hic vel ille ab æterno fuit prævisus tanquam in Chriſtum certo crediturus, & ad finem vitæ in ea perſeveraturus, ergo hic vel ille ſit æternum ſalvus.* Non eſſe abſurdum, fœdus gratiæ a Deo cum lapſis *Adami* poſteris eſſe ſtabilitum, it comprobatum exemplo fœderis Sinaitici, quod cum Judæis factum, ac fœdus operum fuit, ut Judæi intelligerent, quid Deo, ſum-
mo domino, deberent ipſi; ut perſpicerent infirmitates & 72.
peccandi cupiditates ſuas, indeque flecterentur ad deſperandum de merito operum ſuorum; ut lex eſſet pædagogus ipſorum ad expetendam gratiam Meſſiæ. Fœdus autem patriarchale conjicit fuiſſe illud particulare & gratiæ fœdus. Fœdus operum univerſale, cui obnoxias jam credit nationes omnes, comparat deinde cum fœdere Sinaitico, rationesque percenſet, quibus Deus ad illud ſtabiliendum fuerit
commotus. Theocratia omnino poſtulavit, ut Deus Ju- 76 ſeq.
dæis, reipublicæ ſuæ civibus, complexum faciendorum & omittendorum, more Regum, præſcriberet. An vero in Chriſtocratia, quæ jam viget, duplex ſtabiliendum ſit fœdus, alia eſt quæſtio. Chriſtus certe regnum haud ſuſcepit mundanum, ſacrificio piaculari oblato, nec generatim in

homines, nec ſpeciatim in filios ſuos. Si quæris, an vera Chriſti gratia in fœdere operum, quale Autor ſtatuit, ſit actuoſa, animumque hominis afficiat; tum Autor reſpondet negando. Id inprimis eſt diſpiciendum, an ejusmodi fœdus operum exiſtat, ad quod gratia univerſalis poſſit referri; quid ex fœdere legali ac operum reſtet. Lex moralis certe non eſt ſublata, nec Deus poteſt virtutem ejusque culturam repudiare unquam. Qui vero norunt, *opera* & *gratiam* in Novo Teſtamento ſibi invicem opponi, mirabuntur fortaſſis, Autorem in eo eſſe, ut gratiam univerſalem, quam ſtatuit inſufficientem vitæ efficiendæ divinæ, ad fœdus operum referat. Gratiæ certe univerſalis bona ſunt beneficia, ex Dei miſericordia meritisque per Chriſtum partis profecta, quibus cum fœdere operum, quod legi, non Evangelio, innititur, nil eſt commercii. Dolemus merito, nobis ſententiam Autoris haud apparuiſſe tam luculentam, ut ei ſubſcribere potuerimus. Hæc ad *Partem priorem*.
Pag. 65 ſeq. *Parte poſteriori* particularem propugnat gratiam, contendens, abſolutum & particulare decretum haud minus, quam generale ſeu conditionibus adſtrictum, in ſacris literis extra dubium poni. Incedit igitur eodem, quo Ven. *Langius*, tramite, ut gratiam ſtabiliat particularem. Argumentum deſumit primum ex natura & eſſentialibus Dei virtutibus, notans eos, qui decreta Dei exiſtimant *ſoli* inſiſte-
72. re amori, ſepoſitis reliquis Dei perfectionibus, & docens, Deum ſuas perfectiones amare ante omnia. Præterea examinat hinc inde Cel. *Langii* argumenta, ſibi perſuadens, eis ſubinde nil ineſſe nervorum, vel plus demonſtrationis vel
78. minus, quam requirere ſolemus. Aſſenſu ſuo dignatur
82 ſeq. *plures mundos poſſibiles*, &, eum, qui exiſtit, eſſe optimum,
86. licet peccatis infectum, arbitratur. Id vero in controverſiam venit, quod idem *pag. 88 ſeq.* affirmat, præſcientiam Dei de omnibus futuris, eisque eventuris, rebus divina decreta haud antecedere, ſed ſequi. Hic latet cauſæ caput. Præterea quæritur, utra decreta ordine ſint priora, an abſoluta, an conditionata. Ipſe Autor præponit abſoluta.

Sin-

Digitized by Google

Singularis eſt ſententia Autoris, Deum præſcire poſſe non niſi ea, quæ abſolute, ut ſic, nec aliter, evenirent, decrevit. Pag. 91.
Ni fallimur, *Socini* proles, *Conradus Dippelius*, ac nuperus in Academia nova Pnevmatologiæ ſcriptor, in puppi navigant eadem. Cum vero regeneratio ſit creatio nova, ac, ut ipſe Deus creationis hujus exſtiterit Autor, videatur neceſſum; Autor putat, hanc creationem pendere a decreto abſoluto, quaſi Deus actiones regni gratiæ a conditionibus præviis dependere noluiſſet. Negat adhæc, actiones hominum prævifas ſeſe antecedenter habere ad decretum Dei, indubie tamen credens, poſteros *Adami* re vera cum *Adamo* peccaſſe, ſed actiones ipſorum, ſub eisdem momentis prævifas, ipſos conſtituiſſe reos culpæ primæ, ac inde emanantis
pœnæ. Hinc pro gratia particulari ſtabilienda recenſet ſa- 93.
cri Codicis teſtimonia, nominatim *Eph. I, 4, 5, 6, 9, 11, Rom. VIII, 28, 29, 30, IX, 6, 8, 11, 13, Rom. XI, 2, 5, 7, Act. XIII, 48, 2 Tim. I, 9, Luc. X, 20, Phil. IV, 3, Apoc. III, 5.* Tertium ad eam propugnandam argumentum depromit ex conſilio æter-
no pacis inter Patrem Filiumque initæ. Decretum, ex pa- 111.
cto illo exortum, judice Autore, nec eſt illud conditiona-
tum decretum, nec ex eo ſequitur, nec ei eſt ſubordina- 115.
tum. Quo ipſo contradicit ipſe *Parti priori.* Imitatur autem ſeriem, quam adhibuit Ven. *Langius* ad gratiam univerſalem comprobandam, ne videatur cauſa Particulariſtarum infirmiori ſtare talo.

PAULI THEODORI CARPOVII, POLONI, Phil. Mag. Ars ideam diſtinctam de voce Hebræa formandi, ſeu de criteriis nominum & verborum linguæ Hebrææ Commentatio, qua, nova methodo, ad facilius & ſolidius inſtituendam analyſin via panditur. Cum Præfatione JO. GOTTLOB CARPZOVII, S. S. Theol. Doct. & Eccleſ. Lubec. Superintendentis.

Lubecæ, impenſis Jonæ Schmidii, 1738, 8.

Plag. 9.

In Præfatione Cel. *Carpzovius* ſedulo id agit, ut ſtudium
Grammaticum ab inſultibus & vituperationibus leviorum
ingeniorum vindicet, ſuoque aſſerat ſplendori, Autori fau-
Pag. 5. ſtiſſima quæque apprecatus. Artem vero hanc characteri-
ſticam cum duce nullo antecedente elaborare conſtituerit Cl.
Autor; laus ejus tanto eſt major, quanto difficilior fuit la-
8. bor. Particulas nominatim haud attigit, eo quod illæ ſunt
fere vel nomina, vel verba. Infinitivos & particulas fere
omnes pro nominibus habet ſubſtantivis, participia pro ad-
jectivis, ſiquidem ipſi ac ipſæ flectuntur more nominum in
9. numerum pluralem, & admittunt differentiam ſtatus abſoluti
ac conſtructi, nec non a præpoſitionibus reguntur. Vocat
Benedictum Spinozam, viris ſummis conſentientibus, famoſiſ-
ſimum atheum, ſed ſimul excellentem Hebræum. Vo-
ces *Pſalm. CXXXVI, 15,* הָעֹשֵׂה הַשָּׁמַיִם, vertendas decer-
12. nit *conditori cælorum*. Criteria nominum appellat ſigna, e
quorum præſentia ad nominis præſentiam concludi poteſt.
Hæc deſumenda docet vel e voce ipſa, vel e voce proxime
13. præcedente. Priora nituntur parte vocis vel eſſentiali, vel
extraeſſentiali. Forma vocis alia eſt verbis & nominibus
communis, alia eſt alterutri propria. Formæ hæ ſunt no-
minum טְרֵפָה, זָכָר, גִּבּוֹר, גַּבְלוּת, תַּנְשֶׁמֶת, יֶחְשְׁבּוֹן,
מִשְׁפָּט, פִּקָּרוֹן, גְּבִינָה, תַּרְעֵלָה, &c. omnes voces in וֹן
terminatæ, vel in י intra ſtatum conſtructum abeuntes.
15. Obſervavit Cl. Autor, nulla exſtare verba primæ radicalis
geminatæ, præter דרה & ששה. Unde format canonem:
Omnes voces prima radicali geminata ſunt nomina, e. g.
16. בָּבָה, כּוֹכָב &c. Ad criteria nominis extraeſſentialia re-
17. fert præfixa & ſuffixa. *He* demonſtrativum futuris & præ-
teritis præfigi, merito inficiatur; nam הַיּוֹלָד *Jud. XIII, 8.*
videtur eſſe nomen יוֹלָד ad formam יוֹקָשׁ, & הַיּוֹצֵא
הַשָּׂדֶה *Devt. XIV, 22*, eſt participium in *Kal*, notatque
id, quod egreditur ex agro. *He* autem verbis præpoſitum
non eſt demonſtrativum, ſed relativum, idem, quod אֲשֶׁר.
20. Canon hinc procedit ſecundus: *Voces, præfixis munitæ*
22. בכלם, *ſunt nomina*. Canon ſuccedit tertius: *Voces poſſi-
dentes*

Digitized by Google

dentes ſuffixa, intercedente Jod, ſunt nomina. Reſpondet luculente Autor ad exempla, quæ ipſi poſſunt objici ex *Ez. VI, 18, XVI, 31, Deut. XXXII, 26.* Canon quartus ita fluit: *Si vox præcedens eſt nomen, in ſtatu conſtructo poſitum, ſequens quoque vox nomen erit.* Canon quintus ita procedit: Pag. 27.
Præpoſitiones ſeparabiles על, אל, *item* עם, *&c. nomen ſequi, indicant.* Sextus ſic habet: *Vox, quam præcedit* את & אין, *eſt nomen;* utraque enim particula proprie eſt nomen.
Fruſtra objicitur exemplum ex *Jer. XXXVIII, 5,* אֵין הַמֶּלֶךְ 29.
יוּכַל; nam particula אֵין hic verſatur in ſtatu conſtructo, &
eapropter ad vocem הַמֶּלֶךְ eſt referenda. Terminatio ſo- 34.
la haud conſtituit ſignificationem dualem ac pluralem, ſed uſus. Vox מַיִם ſane videtur eſſe *ſingulare*, haud *duale.* שָׂדַי eſt ſingulare, quemadmodum *Aben Eſra* ad *Hoſ. X, 4,*
demonſtravit ex *Pſ. XCVI, 12.* Ad eosdem corymbos refert 37.
R. *Salomo* in *Comment. ad Eſ. XX, 4,* voces חֹרֵי, חַלּוּנֵי. 38.
Numerus nominis ex ſuffixis perſpicitur potius, quam ex terminatione. Cognoſcitur idem ex notis aliis circumſtan-
tibus, v. g. verbi numero, ſuffixi numero, &c. Addit hiſce 41.
Vir Cl. canonem: *Nomen, a quo deflexum reperimus dualem vel pluralem, ſingularis eſt numeri.* Quare vox מַיִם eſt ſingulare, quandoquidem ex ea formatur pluralis מֵימִים. Addit deinde criteria ſtatus vel abſoluti vel conſtructi, quæ in vulgus Grammaticorum quoque conſtare novimus. Succedunt criteria generis, quæ dudum fuere cognitiſſima.
Fœminina enim exeunt in ה vel ת; quæ aliter terminantur, 57.
ſunt maſculina. Adjectivum appoſitum, verbum, & ſuffi- 59.
xum, quibus jungitur ſubſtantivum aliquod, ejusdem generis eſſe nomen illud ſubſtantivum, arguit. Quare vox אֶבֶן, *lapis*, eſt generis fœminini, ob *Dan. II, 34,* & *Joſ. XXIV, 26.* Criteria caſuum deſumuntur vel ex verbo regente, vel præcedente alio nomine in ſtatu conſtructo, vel ex præfixis.
Particula מִן notat partem & ſeparationem aut deductionem 60.
unius ex alio vel ab alio. *Noldius* in *Concordantia particularum* hunc ſignificatum haud ſatis ob oculos habuit. Offendit hic etiam *Ludovicus de Dieu.* Rectum inſiſtit trami-

tem

tem Cl. Autor, ita monens: *Tutiſſimum ubique erit, loqui*
cum Spiritu ſancto, & eam eligere (ſi lingua vernacula ferat,)
Pag 67. *conſtructionem, quam eligit Ens ſapientiſſimum.* Formulam
1 Reg. XII, 9, obviam, הָקֵל מִן הָעֹל, *leva partem jugi iſtius*,
68. merito ita transfert, ut *Noldio* repugnet. Particulam את
habet pro nomine ſubſtantivo, ſignificante *eſſentiam* & quaſi
72. ipſeitatem. Quare locum *1 Reg. II, 20*, יֻתַּן את אבישג,
ita reddit: *Detur ſubſtantia Abiſagæ, detur ipſa Abiſag.*
Eadem ratione R. *David Kimchi* accepit loca *Exod. X, 8, Jer.*
75. *XXXV, Joſ. XI*, in *Schoraſch f. 13, c. 2.* Ignorantia enim
linguæ peperit enallagas. Vocem את reddit *eſſentiam* in
locis *Num. IV, 19*, & *1 Sam. IX, 18, Jud. XIX, 18.* Notat
78. Cl. Autor idiotiſmum verbi הָלַךְ, verbo alteri per copulam
81. præmiſſi, qui in continuatione & augmento conſiſtit. Particulam ל, nominativi rarius indicium, eandem eſſe credit
ac Arabum articulum أَلْ. Niſi fallimur, particula ל eſt
compendium voculæ אֶל. De particula ב expoſuit pauca,
83. monens, haud adeſſe enallagen, ſi præceſſerit nomen in
ſtatu conſtructo poſitum, ſed tum per ellipſin rationem eſſe
habendam vocis אֲשֶׁר interjiciendæ Ita *2 Sam. I, 21*, memorantur הָרֵי בַגִּלְבֹּעַ, *montes* (אֲשֶׁר), *qui ſunt in Gilboa.*
Sin vero, particulam ב per ſeſe naturam ſubſtantivi trahere,
ac *proximi tractus* indicem eſſe, largitus fueris, difficultas
omnis fuit ſublata. Adjunxit tandem Cl. Vir Appendicem
88. de criteriis nominis proprii & appellativi, quæ dudum habemus comperta, & adverſus Socinianos inſignem ſpondent
uſum, qui fingunt, vocem יהוה eſſe *appellativam.* Criteria verborum, cum ſatis ſint in propatulo poſita, nolumus
hic repetere. Id autem notabile videtur, quod, ubi in
præterito, naturam futuri induente, tonus ulterius promove-
113. tur & transfertur, in futuro contra, in Præteritum per Vau
converſivum convertendo, idem tonus retro & poſt ſe trahitur, eoque ipſo ſit alluſio & reſpectus ad temporis præteriti & futuri naturam. Omittimus criteria numeri, &
perſonarum ac generis in verbis, expectantes a Clariſſimo Viro ea, quæ videtur promiſiſſe, ſcripta.

* * *

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio VII.

DIPLOMATUM BELGICORUM NOVA Collectio, ſive Supplementum ad Opera Diplomatica AUBERTI MIRÆI. Tomus tertius, cura & ſtudio JOANNIS FRANCISCI FOPPENS.

Bruxellis, apud Petrum Foppens, 1734, fol.

Alph. 8 plag. 14.

Quandoquidem in eruendis, & ex Archivorum ac Bibliothecarum carceribus producendis, antiquæ notæ Diplomatibus & chartis plurimarum Europæ gentium Scriptores eminentiores certant & deſudant; non intactum oportuit præteriri Belgium, cujus divitias membranaceas viri docti adeo feliciter expromere cœperunt, ut harum Collectionum continuationem rerum hiſtoricarum arbitri dudum optaverint, & nunc quoque ſimile conſilium ſuſcepturis bene precentur. Jam pridem *Aubertus Miræus*, Eccleſiæ cathedralis Antwerpienſis Canonicus ac Decanus, & Sereniſſimis Principibus *Alberto* ac *Iſabellæ* a ſacris Oratorii, Diplomatum & chartarum Belgii Syllogen eximiam, & doctis viris valde probatam, edidit, de qua Max. Rev. *Foppens* ante hos duodecim annos editione nova & nitidiore procurata bene meritus eſt. Addiderat jam tunc Vir eximius Operi *Miræano* Diplomatum non contemnendo numero inedito-

Digitized by Google

rum inſigne ac ex methodo *Miræi* diſpoſitum Supplementum; nunc autem, poſtquam ex cathedra Lovanienſis Academiæ Philoſophica ad Canonicatum Brugenſem promotus, ac denique inter Canonicos graduatos Eccleſiæ Metropolitanæ D. *Rumoldi* Mechliniæ allectus eſt, tantam membranarum antiquarum ex Archivis, Chartophylaciis, & Bibliothecis ſuis, multi, ac præſertim Eminentiſſ. Cardinalis *de Alſatia*, cui etiam librum dedicavit, cum ipſo communicarunt copiam, ut exin congeſtum ſit juſtæ molis & magni, ſi præſtantiſſimarum rerum delectum ſpectes, pretii volumen, quod in locum *Tomi tertii* Operis *Miræani* continuati adſciſci potuit. Habes ergo, ſi *Miræi* diligentiam & inſtituti rationem noveris, imaginem novæ continuationis, chartas nimirum reperturus & Diplomata, quæ Belgii Eccleſias præſertim attingunt, omnium temporum & Seculorum a Regibus Franciæ Merovingicis usque ad noſtram ætatem, nulla ordinis ſollicitudine, quæ nec multum juvat in id genus operibus, digeſta, & omnibus harum rerum amatoribus, ſive antiquitatem quorundam ſpectes, ſive aliorum raram præſtantiam, gratiſſima futura. Nam de multitudine eorum nihil aliud dicemus, quam quod Opus univerſum in *quatuor Partes* diviſum ſit, quarum *prima* CCLXI, *altera* CXCIV, *tertia* VIII, *quarta* denique CXLVI, *Capita* complectuntur. Idem vero Diplomatum, qui *Capitum*, numerus eſt. Et, quanquam, quæ hoc Volumine continentur, plurima jure dixeris inedita, ſunt tamen hinc & inde aliqua in lucem jam ab aliis protracta, ſed aut mutila, aut multum depravata, quibus Noſter nitorem reddidit ac integritatem. Ita *Miræus* Diploma *Caroli Calvi*, quo poſſeſſiones Eccleſiæ cathedralis Tornacenſis confirmantur, Notitiæ ſuæ Eccleſiarum Belgicarum inſeruit, idemque *Stephanus Baluzius* inter Regum Francorum Capitularia exhibuit, uterque mendoſum & truncatum, a qua nota Max. Rev. Editor hujus Collectionis illud nunc liberavit. Quæ in margine notata ſunt, aut fontes indicant, unde documenta ſua Noſter hauſerit, (qua re ſimul opibus ſuis pondus & autoritatem conciliare, ſimul iis, qui ſuos theſauros recluſerunt, gratias agere, voluit,) aut varias lectiones chartarum, ab aliis jam editarum, exhibent, aut Lectorem ad bina priora *Miræi* Volumina remittunt,

Digitized by Google

tunt, aut ad explicationem locorum quorundam faciunt. Quæ autem paulo prolixius illuſtranda erant, in notulas plerisque chartis ſubjectas relata ſunt, quibus nomina Principum, Sanctorum, Epiſcoporum, & Clericorum Eccleſiarum etiam & aliorum locorum, imo & ritus antiqui, illuſtrantur, & hiſtoriis hinc & inde fax accenditur. De Diplomatibus ipſis, eorumque argumentis, multa commemorare, nec moris noſtri eſt, nec eſſe poteſt in ejusmodi Collectionibus. Unusquisque eorum, qui chartas antiquas legere, lectisque uti, norunt, ſylvam non contemnendam obſervationum nunc majoris, nunc minoris, momenti ex hoc apparatu ſibi feret. Hoc autem non prætermittere oportet, quod in *Parte tertia*, quæ, ut diximus, *octo Capitibus* abſolvitur, contineantur Acta erectionis novorum Epiſcopatuum in Belgio, ex MSto *Franciſci Sonnii*, qui ab Hiſpaniarum Rege, *Philippo II*, hujus negotii cauſa Romam miſſus erat, depromta. Deſcribitur autem primum ſtatus Belgii ſacri, qualis ante novorum Epiſcopatuum erectionem, id eſt, ante A. 1559, fuit, poſtea Inſtructio, quæ *Sonnio* ad hanc rem Romæ expediendam dabatur, cum deſcriptione itineris ejus, & iis, quæ *Paulo IV*, Pontif. Max., ſcripta exhibuit, legitur, inde hiſtoria congregationum, ſententiæ Cardinalium, nec non tabula diviſionis Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum, *Sonnii*que ad Pontificem directa Memorialia, recenſentur, quibus denique accedunt Bulla erectionis de d. 12 Maji A. 1559, nominationes *Philippi II* ad Epiſcopatus, conſtitutio dotis, finium, Capitulorum cathedralium, itemque ſcripta, quibus cauſæ diviſionis & conſtitutionis novorum Epiſcopatuum comprehenduntur. Cetera, quæ in hoc Opere continentur, nos jam non moramur, morabuntur vero illi, qui juſtum his rebus pretium ſtatuere norunt, non mediocrem laturi, in antiquis pariter ac recentibus, utilitatem atque voluptatem. Claudit Volumen Index generalis Capitulorum, Abbatiarum, Præpoſiturarum, Prioratuum, aliorumque Monaſteriorum, de quibus in ipſo *Miræi* Opere, ejusque Supplemento, & hac nova, quæ *Tomum tertium* facit, Collectione, Diplomata collecta exſtant. Quod reliquum eſt, voto Max. Rev. Editoris & nos noſtrum addimus, ut illud, quod in dies decreſcit, & quod magis magisque ex homi-

num animis evelli intelligimus, theſauros membranaceos includendi abſcondendique ſtudium, ab iis præſertim procul ſit, qui Noſtro plura, quæ ad res Belgicas ſpectant, ſuppeditare queant documenta, quo poſſit aliquando ex egregia illa Voluminum triga bonis hiſtoriarum auſpiciis quadriga exſurgere.

HISTOIRE DES REVOLUTIONS de Pologne &c.

hoc eſt,

HISTORIA VICISSITUDINUM POLONIÆ, inde ab exordio bujus Monarchiæ usque ad mortem Auguſti II, Autore Abbate DES FONTAINES.

Tomi II.

Amſtelodami, impenſis Franciſci Honorati, 1735, 8. Plag. 21.

Adjectæ ſunt tres Tabellæ, Scandinaviam, Moſcoviam, & Poloniam, repræſentantes.

In deſcribendis eventis factisque vel teſtimonio alterius, vel experientiæ noſtræ, innitimur. Si ea literis mandamus, quibus nec intereſſe, nec adeſſe, potuimus, non poſſumus non ab aliorum fide & dictis pendere. Qui teſtimonia candide vel addunt, vel indicant, vel nos docent, e quibus libris fontibusque ſua hauſerint, illi judicio & aſſenſui aliorum facile obtinendo conſuluiſſe ſunt exiſtimandi. Ven. Abbas ſecutus fuit præeuntem *Dugloſſium*, Canonicum Cracovienſem, qui Opus ſatis limatum *de rebus Polonicis* Latine ſcripſit. Credulitatis tamen a vitio ille vix liberari poterit. Cauſas eventuum proximas omittit, res infelices tribuit gentis criminibus, in Deum admiſſis, eventa lætiora e contrario in miraculorum numerum reponit. *Piaſtum* tradidit electum fuiſſe in Regem, eo quod biga Angelorum, amore ejus incitata, eum comitiis indicaverit. Polonos, regnante *Boleslao Caſto*, a Tartaris cæſos victosque fuiſſe ope magicarum operationum, commemoravit. Judicio igitur opus eſt

eſt eis, qui ſcriptis *Dugloſſii* voluerint uti. Ven. Autor in concinnando *Tomo priori* uſus fuit *Dugloſſio.* Sed *Tomum ſecundum*, quem a *Sigismundo III* inchoavit, elaboravit, præmunitus opere hiſtorico *Thuani*, & eorum Commentariis, qui res geſtas recentiores retulerunt in literas. *Honoratus*, typographus, nonnulla Commentariorum volumina ejusmodi in lucem publicam emiſit Amſtelædami. *Jolius* elaboravit ediditque *Volumen primum* A. 1698, ſed in quo ſubinde ſeries hiſtorica vel vacillat, vel deficit. Deſiderantur in eo etiam facta nonnulla majoris momenti. *Stanislaus*, Epiſcopus Cracoviæ, a *Boleslao II* fuit occiſus. Pontifex Romanus percuſſorem a communione fidelium ſegregavit, ſubditosque Regi a jurejurando fidelitatis abſolvit, Polonos vero prohibuit injuſſu Sedis Apoſtolicæ Regem novum eligere. Quare per 200 annos Polonorum domini haud auſi fuerunt adhibere nomen titulumque Regium. In *Volumine primo*, quod commemoravimus, hoc factum omittitur. Ven. Abbas omiſſionem illam in loco nævi deputat. Sed nævus ſubeſt nullus. Quamdiu enim domini Polonorum fuerunt regno imperioque Germanico ſubjecti, a diademate regali utique merito ſuo abſtinuerunt. Id vero negari nequit, *Premislai III* necem cum morte *Premislai II* confuſam fuiſſe a *Jolio.* *Voluminum* ultimorum, quæ exquiſitiori ſtudio fuerunt elaborata, Autor eſt *Maſſuetus.* Hiſce uſus fuit Ven. Abbas, nonnullis Commentariis recentioribus additis & in ſubſidium vocatis, quibus Glorioſiſſimi *Auguſti II* facta erant deſcripta. De reliquo, propoſitionibus ſingulis teſtes adjungere, Autor ſupervacuum & a ſcopo ſuo alienum duxit. Operis univerſi membra apte ſunt diſtributa, & concinne ſatis cohærent. Præmiſſa eſt deſcriptio hiſtorica & geographica regni Poloniæ. Pag. 12. Polonis vertitur vitio, quod interventu maris Balthici ac Boriſthenis fluvii commercia cum Aſiæ, Africæ, ac reliquæ Europæ, populis exercere nunquam ſtuduerint. Kameniecium 13. credit Autor eſſe munitum leviori opera. Regis non eſt, nummos percutere; jure illo gaudet respublica. De Comitiis, Legibus, Ordinum regni poteſtate, reditibus Regis, indole Polonorum, eorumque diviſione, Autor ad fidem recentiſſimorum Commentariorum præclare breviterque diſſerit. *Libro I* præfixa

 eſt

Digitized by Google

eſt *Introductio*, quæ a *Lecho*, Rege primo, per varias regni formas deducitur. Sed quis non intelligit, ea, quæ de *Gracko I*, ejusque filiis, de *Vanda*, filia, & aliis Regibus, *Henrico Aucupe* antiquioribus, referuntur, maximam partem ad fabulas eſſe referenda? De
Pag. 25 ſeq. *Jaroslao* & *Mieceslao* afferuntur ea, quæ apud plerosque Poloniæ Hiſtoricos Lectori offeruntur. Quantopere autem Rex Germaniæ, *Henricus II*, Regi Poloniæ reſtiterit, ac eum ad pacem expetendam Martisburgi A. 1013, & Budiſſæ A. 1018, adegerit, illud ex *Dithmaro Merſeburgenſi*, Chronographo Saxone, & Autore Vitæ *Henrici S.*, erat addiſcendum. Non juvat *Librorum* utriusque *Tomi* exhibere compendia, ſiquidem ex iis capitibus, quæ attigimus, quid de texto ſit judicandum, facile perſpicitur. Perplacuerunt acta recentiora, e quibus hiſtoria trium extremorum Seculorum pertexta fuit. Nexus rerum eſt elegans, & per ſeſe commendabilis. Pragmaticum vero ſcribendi genus ubique obtinuit principatum. Quam ob cauſam Lector hinc redditur prudens & acutus, rebusque agendis idoneus, licet veritas & ſeries factorum paſſim accuratiori inveſtigatione videatur indigere. Ita habeat nos Autor in æſtimando libri ſui pretio æquiſſimos, quem a multis inde annis id agere unum novimus, ut, conviciandi & viros optimos peſſime habendi libidine ſecundum ſe eſſe nemini, ſcriptis acerbis & malignis, atque ob id ipſum ineptiſſimis, oſtendat.

תורת חסד *DOCTRINA GRATIÆ, SIVE Compendium Theologiæ dogmaticæ, ex Scripturarum fontibus hauſtum, in uſum ſcholæ privatæ, a DANIELE GERDESIO, Theol. Doct. & Prof. Ord. in Univerſitate Regia Duisburgenſi.*

Duisburgi ad Rhenum, apud Joannem Sas, 1734, 4.
Alph. 1 plag. 13.

Cel. Autori libuit *doctrinam gratiæ* veterem, nova expoſitam forma, in lucem emittere. Ut eam daret Latine, a ſordibus ſcholaſticis & dictione caliginoſa remotam, jure operam impendit. Methodum adhibuit, naturæ cognitionis amplificandæ

dæ convenientem. A facilioribus ubique & magis cognitis ad difficiliora minusque cognita gradum promovet, cavens ſedulo, ne ullus lectori nauſeam afferat hiatus. Titulum Ebraicum deſumſit ex *Prov. XXXI, 26.* Deum exiſtere, putat aliunde ſatis comprobatum. A *ſacra Scriptura* ſtatim orditur, Cel. *Sam. Werenfelſii* cogitationibus hinc inde uſus. Quæ de Deo & perfectionibus divinis ediſſeruit Autor, ea ſapiunt cynoſuram, quam *Lampius* olim in *Compendio Theologiæ naturalis* exhibuit. In doctrina de Fœdere Operum, cui innixa eſt tractatio de peccato originali, lucem hauſit ex perdocta *Kirchmeieri*, Theologi Marpurgenſis, Diſſertatione inaugurali, *de Fœdere Operum univerſali.* In *Myſterio fœderis gratiæ* exponendo ex *Lampii* rivis ſæpius ſitim reſtinxit. Elenchum plerumque a tractatione ſua procul eſſe juſſit, fuſius eum alibi adhibens. Religionem exiſtimat eſſe Pag. 2.
ſtudium glorificandi Deum, propriamque in ejus communione & glorificatione ſalutem quærendi. Religionem naturalem dari, ad ſalutem impetrandam tamen haud ſufficere, religionique θεοπνεύςως cognitæ varios ſuppeditare uſus, clare demonſtrat. Revelationis neceſſitatem hypotheticam ex eo comprobat, quod naturalis religio innatum hominibus beatitudinis appetitum haud exſatiat. Singulis locis Theologicis Autor ſubjecit Corollaria quædam, interrogationum more propoſita, reſponſione omiſſa, quam in ipſis prælectionibus ſuis ſupplet. Ubi de S. Scriptura 5.
exponit, differit primo de ejus divinitate, tum de perfectione ejus & integritate, & tandem de ejus perſpicuitate. Ut liber aliquis a Deo revelatus exiſtimetur ac deprehendatur, progrediendum eſt ad ejus argumentum, modum, quo is ad homines pervenit, & effecta ſingularia, quæ ejus ope patrata ſunt, vel patrantur, quando accedens interna & efficax Spiritus S. illumi- 6.
natio rationibus ceteris verum conciliabit pondus & ſplendorem genuinum. In argumenti cardine Autor reſpicere jubet ſuos ad dogmata tradita credenda, officia præſtanda, viam obtinendi ſalutem, vaticinia completa, & ſtilum, ultra hominis reique creatæ ſortem evectum. De dogmatibus ita ſtatuit: *Si dogma-* 7.
ta non rationi tantum & congenitæ de Deo rationi ſint conſentanea, ſed & rationi ſæpe inacceſſa, imo ſublimiora, quam ut ingenio-

*nioſiſſima quoque ea potuerit excogitare ratio, ita tamen, ut in
ipſa illa ſublimitate ſingularis quoque conſpiciatur θεοπρέπεια,
tum, ea divinitus eſſe revelata, nemo ambiget.* Modo revelatio-
nis divino annumerat teſtium ſinceritatem, miracula, & extraor-
dinaria effecta in animis legentium atque audientium. Ad ple-
nam hominis peccatoris convictionem requiri, addit, *teſtimo-
nium Spiritus ſancti internum.* Hæc vero divinæ originis docu-
menta non ad libros ſingulos, ſed ad illud librorum corpus, quod
γραφὴ ἁγία appellatur, applicat. Si quid tamen judicamus,
demonſtratio illa alio quoque & magis genuino modulo potuiſſet
componi. Qui per ideas determinatas ratiocinari, quam per
cogitationes liberius disjectas differere, malunt, fortaſſis que-
rentur, definitiones hic paucas fuiſſe allatas. An omnes appro-
baturi ſint illud documentum, quo ex propagatione religionis
Chriſtianæ, generatim accepta, Autor divinam ejus originem
comprobatum ivit, dubitamus, ſiquidem ævo medio gen-
tes gladio victore ſæpius etiam rectiora ſentire paſſim fuerunt
Pag. 12. edoctæ & coactæ. Eccleſiæ teſtimonium pro *iſagoga* habet
ad teſtimonium Spiritus ſancti, ratus, Eccleſiam Chriſtianam
ſe habere inſtar columnæ, atque veritatem ſuo modo ſtabili-
re, ob *1 Tim. III, 15.* Ex hoc certe Eccleſiæ, præcipue pri-
morum a Chriſto nato Seculorum, teſtimonio innoteſcit nu-
13. merus librorum Codicis ſacri. *Apocryphos libros* divinæ haud
eſſe autoritatis, evincit, eo quod nec a Judæis in thecam ſacro-
rum librorum fuere relati, nec Hebraice conſcripti, nec a Chri-
ſto & Apoſtolis pro θεοπνεύστοις agniti, nec ab Eccleſia Chriſtiana
primorum Seculorum recepti, nec de Chriſto teſtantur, & deni-
que multa continent abſurda, quæ a viris θεοπνεύστοις non potue-
14. re proficiſci. Θεοπνευστίαν latius patere, quam revelationem, & ad
ipſam compoſitionem ſacri Codicis pertinere, Autor clare docet,
ita tamen ut Deus in ſuggerendis vocibus ſeſe cujusque ſcriptio-
20. nis indoli & dictioni attemperaverit. Integritatem ſacræ Scriptu-
ræ admittit tum totalem, tum partialem. Hanc collocatam cre-
dit in eo, quod textus ſacer ab omni corruptione, mutilatione,
immutatione, & interpolatione, manſerit præſervatus, ut tam dog-
mata, ad fidem & mores ſpectantia, quam hiſtoriæ & prophetiæ, ad
inſtru-

Digitized by Google

inſtructionem Eccleſiæ & conſolationem facientes, nil detrimenti acceperint. Id vero haud declarat, quouſque chronologica, genealogica, & geographica, momenta ab immutatione perſtiterint immunia. Quæri poteſt præterea, an Alexandrini Interpretes haud potuerint alio, ac non punctato, uti Codice; &, ſi, punctationem eſſe recentius inventum, exiſtimandum ſit, an autores ſubjectorum punctorum vocalium fuerint θεόπνευστοι. Videntur hæ quidem quæſtiones eſſe duntaxat criticæ; at accurata earum reſolutio integritatem ſacri Codicis non poteſt non afficere ſive in firmiorem, ſive in imbecilliorem, partem. Id certum eſt, in Concilio Laodiceno, A. 360 circiter habito, haud alios pro divinis agnitos fuiſſe libros canonicos, ac eos, quos nos pro Pag. 21.
talibus reputamus. Addit Autor de notitia hominis regeniti hæc conciſe: *Quo ſalutariter aliquis de ſenſu Scripturæ ſacræ perſuadeatur, ut ejus ratio ſit illuminata, requiritur.* Tractationi 25.
de Scriptura ſacra ſubjungit Appendicem, qua disquiritur de articulis fundamentalibus & non fundamentalibus. Tum vero tradit ea, quæ de Deo, quæ de homine, quæ de relatione hominis ad Deum, ſacer Codex profert. Hinc hominem conſiderat ratione ſtatus gemini, & naturalis, & ejus, quo negotium gratiæ & ſalutis comprehenditur. Propter atheum datam eſſe Scripturam, vel illum argumentis ſacri Codicis eſſe expugnandum qua talem, Noſter merito negat. Salubriter idem monet, *imaginem* Deo adſcriptam, תְּמוּנָה, ſymbolum eſſe præſentiæ divinæ, ſimulque futuri Meſſiæ imaginem referre. Sapientiam 33. 34.
Dei refert ad ejus voluntatem, ſed ita, ut ipſa cum ejus ſcientia arctiſſime cohæreat, & per eam Deus ita circa ſe ipſum ſit actuoſus, ut rectum ſemper de perfectionibus ſuis formet judicium, iisque juſtum ſemper ſtatuat pretium. Requirimus hic merito 39.
definitionem, quæ ſapientiam Dei operibus externis expreſſam quoque complectatur. *Sanctitatem Dei*, credit, ſitam eſſe in *illo amore, quo Deus erga ſe ipſum ſuamque gloriam fertur, ſe ſolum efficaciſſime & conſtantiſſime, ſeque totum, amando, ac in ſe ipſo acquieſcendo.* Requirimus notionem univerſalem, ſanctitati Angelorum & hominum quorundam communem, Sanctus enim dicitur ille, qui ad perfectiſſima quævis tendit, & ſeſe ab eis, quæ

Digitized by Google

eis ſunt oppoſita, continuo, qua talis, disjungit. Ex hac idea facile intelligitur, quare Deo placere haud poſſint ea, quæ cum legibus ipſius haud conveniunt, & cur peccatorem, qua talem, haud poſſit felicitate beare ſempiterna. Libertatem Dei Autor collocat in *ſpontaneitate.* Omnipræſentiam habet pro attributo mere relativo, quo Deus, per intellectum ſuum perfectiſſimum efficacemque voluntatem, quæ ejus conſtituant eſſentiam, ita præſens ſit omnibus, ut in ipſo ſint, vivant, & moveantur.
Pag. 43. Recurrit autem quæſtio, quid idea *præſentiæ* genuina ſibi velit,
92. quid comprehendat, quid reſpuat. Omnes gentilium virtutes *ſplendida* dicendas eſſe *peccata,* fatetur Autor. Gratiam Dei ele-
95. ctis propriam, nunquam non contendit. Quare pronuntiat, Filium actu neminem redimere, niſi quem Pater elegit, & Spiritum S. ſanctificare neminem, niſi qui a Patre electus, & a Filio redemtus
114. fuerit; decreviſſe Deum ab omni æternitate ex univerſo gene-
116. re humano quosdam pro mero ſuo beneplacito eripere, atque eos propter ſponſionem Chriſti, atque adeo in ipſo, redimere, ad laudem gloriæ & gratiæ ejus; electionis objectum eſſe perſonas certas, non omnes; decretum illud dici ἐκλογὴν χάριτος *Rom.*
125. *XI, 5, 6*; non ad omnes ſingulatim homines gratiam Dei ſeſe extendere, neque filium Dei pro omnibus ſpopondiſſe; Chriſtum non vocare omnes efficaciter, ſed electos tantum. Syſtema ſub-
152. ſtitutionis & ſatisfactionis vicariæ, licet ad electos reſtrictæ, evin-
155. cit contra Socinianos & Fanaticos noſtræ ætatis, ratus, Chriſtum non pro omnibus ſatisfeciſſe, nec ſatisfacere voluiſſe, laudansque eo fine locum *Jo. XVII, 9.* Cum vero Chriſtus etiam eos redemerit, qui pereunt; Deus mundum amaverit, id eſt, credentes & non credentes; Salvator ſit omnis mundi; omnes omnino velit ad agnitionem veritatis pervenire, & ſit ἱλασμὸς non ſolum pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi, peccatis, pluresque ſint vocati, quam electi; Au-
157. tor omnes ex mundo electos intelligit. Deus certe non vult mortem peccatoris, & Chriſtus pro omnibus guſtavit mortem. At Autor nihilo minus gratiam Dei & ſatisfactionem Chriſti ad electos duntaxat refert. Fidem juſtificantem recte delineat, ju-
192. ſtificationem vero actum eſſe judicialem, curate dat comprobatum.

Digitized by Google

tum. Ἄφεσιν fidelibus N. T. tribuit, πάρεσιν vero fidelibus Pag. 198.
V. T. Certam videri ac reperiri a fidelibus ſalutem, oſtendit,
nec tamen addit, quonam ſolatio doctores Eccleſiæ Reformatæ 209.
poſſint eum, qui in lucta de ſalute æterna penitus deſperat, perfundere & recreare. Τὸ ἴδιον reſuſcitatorum τάγμα, cujus
1 Cor. XV, 23, fit mentio, exponit de hæredum Dei & fœderatorum claſſibus, pro tribus Eccleſiæ temporibus, ſub promiſſione, ſub Veteri & Novo Teſtamento. Scopum Sacramentorum in 219.
eo collocat, ut corroboretur fides atque confirmetur, a rebus viſibilibus evecta ad myſteria illa inviſibilia conſideranda, ſibique
applicanda, & loco elementi ſive loco ſpeciei accipiendum 235.
ipſum illud ſignatum & obſignatum. Baptiſmum *Joannis* eſſe
divinæ originis, atque cum Baptiſmo Chriſti quoad eſſentialia 238.
convenire, idem ſtatuit. Apoſtolos nonnunquam ſimpliciter
in *nomen Dei*, vel *nomen Jeſu*, baptizaſſe, largitur, probabile ratus, in baptizandis gentilibus adhibitam eſſe Trinitatis confeſſio- 240.
nem, in Judæorum vero Baptiſmo ſuffeciſſe profeſſionem Domini Jeſu. Beneficia gratiæ per Baptiſmum non declarari tantum,
ſed etiam obſignari atque confirmari, non niſi electis & fidelibus
tamen, idem credit. Pœdobaptiſmum eſſe in Eccleſia retinen- 242 ſeq.
dum, docet. *Regenerationem ex aqua & ſpiritu Jo. III, 5*, po- 244.
tius ad rem ſignatam, quam ad ſignum, referendam eſſe, putat.
De ſpeciebus ſacræ Cœnæ ita diſſerit. *Tametſi vero priora*, 248.
quæ Pani in verbis inſtitutæ ſacræ Cœnæ *legimus addita, multis diſſenſionibus, propter imperitam quorundam expoſitionem, τὸ ῥητὸν in S. Cœna, uti loquuntur, retinere ſe velle urgentium, nec vere tamen retinentium, quin potius multis modis ſe ipſos implicantium, materiam præbuerunt; tamen ex utroque Domini effato colluceſcit, quam in genere res ſignificata ſit communio corporis & ſanguinis Chriſti, tanquam ſacrificii piacularis pro nobis oblati, omniumque ejus fructuum, remiſſionis peccatorum, juſtitiæ & vitæ æternæ. Sic enim, per Panem in ſpecie corpus Chriſti nobis repræſentari, atque ſacramentaliter exhiberi, manifeſtum eſt, quando Chriſtus ipſe, qui menſæ inſidebat, nec ſuum multiplicare corpus, nec illud corporaliter comedendum diſtribuere, ſine manifeſta poterat contradictione, dicebat:* Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Digitized by Google

Niſi inter omnes conſtaret, quid noſtrates ad hunc ſcrupulum eximendum reſpondeant; nos reſponſione debita eſſemus defuncturi, rati inter hæc, ex ſpeciminibus productis facile exoriri judicium de facie & indole laboris hujus, a S. Rev. *Gerdeſio* exantlati.

Gründliche Erklärung der H. Schrifft Altes Teſtaments, ꝛc. hoc eſt, *SOLIDA EXPOSITIO SACRARUM LITErarum Vet. Teſt. quæ per pleniores Epitomas ex Diſſertationibus, in MENTHENII ac ICKENII Theſauris alibique obviis, atque ex acceſſionibus nonnullis, concinnata fuit a M. JOANNE CHRISTIANO MEHLHORNIO, Eccleſiaſte Gelenavienſi.*

Volumen I.

Lipſiæ, typis Friderici Matthiæ Frieſii, 1738 & 1739, 4. Alph. 8 plag. 1½.

Conſtituit Rev. Autor in Faſciculos congerere nobiliſſimas Diſſertationum tractationumque partes, quibus divinior Codex illuſtratur, ac loca minus plana exponuntur. Inſtitutum illud non poteſt non ab omnibus approbari, qui norunt, quanta ſtudii exegetici ſit præſtantia, & quantis hoc ſtudium a centum inde annis opera Diſſertationum & Obſervationum acceſſionibus ſuccreverit. Labor hic ut a nonnullis Eccleſiæ ſervis indefeſſis ſuſciperetur, voverant jam & optarant Autores *continuatarum Collectionum de antiquis novisque rebus theologicis A. 1720 pag. 820.* Promiſit deinde M. *Jo. Ant. Strubbergius ibidem A. 1724 pag. 1034,* ſeſe huic operæ manus admoturum. Conatum autem illum mors ejus inopina intercepit. Promiſſis eisdem ſeſe obſtrinxit A. 1725 *Societas exquirentium* Jenenſis, paullo poſt diſſoluta, nec ſervandæ fidei ſatis apta. Denuo, hunc laborem ſe ſuſcepturos, pollicitati fuerunt A. 1728 M. *Gæring*, M. *Haccius*, & Rector Mindenſis Gymnaſii celeberrimus, *Bünemannus.* Cum vero hi Triumviri fidem datam nondum liberarint, & M. *Zſchornius*, qui epitomas veterum

veterum exegeticarum Diſputationum adornat, & tarde & minus congruenter ordini librorum Biblicorum procedat, eam ob cauſam Rev. Autor annos jam ante aliquot conſilium cepit, id, quod alii irrito eventu promiſerant, ad exitum effectumque perducendi. Cujus ipſum adeo haud pœnituit, ut ſpecimen hic exhibuerit primum. Noſtrum eſt, indicare rationem, quam in inſtituto hoc perficiendo ob oculos ſibi habuit propoſitam. Primo quidem tractationes illas, quæ ad generalem iſagogen in ſacrum Codicem ſpectant, ſecrevit a reliquo corpore, easque ſuo tempore complectetur *Volumine* peculiari. Deinde rationem ipſe modo habet Diſſertationum Theologico-Philologicarum; ſi quæ vero in his ſeſe offerunt de rebus dogmaticis, polemicis, moralibusque, concinnatæ ſectiones, has vel omiſit, vel intra compendium exile concluſit. Quæ in una alterave Diſſertationum jam occurrunt, ea, in ſequentibus repetita, brevitatis ſtudio, omiſit. Non unas earum procul eſſe juſſit, vel quod minorem ſpirant diligentiam, vel quod nil ſingulare habent, vel quod aliunde transſcriptæ fuere, vel quod in ipſas haud incidit. Diſſertationes, quas exhibent Theſauri *Menthenianus* ac *Haſæo-Ikenianus*, dat integras, in vernaculum noſtrum, ut reliquas omnes, translatas. Sicubi deſunt ad exponenda loca difficiliora Diſputationes, locis obſcurioribus lucem affundit ex obſervationibus virorum doctorum, vel ſuo ex penu. Nec negligit tractationes, Programmata, ac particulas minores, quibus loca obſcuriora illuminantur. Quæ exigunt limam vel annotationem, eis ſubjungit modeſtam epicriſin. Figuras æri inciſas ſubinde ſuppeditat Autor, quoties res propoſita vel ritus commemorati ope earum præſtantius lumen recipiunt. Ne vero hæſitemus, conjectantes, Opus tarde eſſe proceſſurum, vetat Autor, promittens celerem ſatis expeditumque ſucceſſum. Petit præterea a Lectoribus, ut, ſi quis aliquid ſingulare poſſit ad hoc inſtitutum e promtuario ſuo afferre, ne id ſibi detrectet denegetve, loco quippe ſuo inſerendum. Primo anno edidit *Volumen unum, Partibus duodecim* diſtinctum, poſtea autem ſingulis annis *Volumina* editurum ſe eſſe *duo* promittit. Deum oramus merito & obſecramus ſupplices, ut vires animi corporisque Viri Pl. Rev. ſervare, firmare, atque in dies corroborare, dignetur, ne publica Theo-

Digitized by Google

logorum res hujus inſtituti optato ſucceſſu deſtituatur, de
cujus uſu & præſtantia nemo non eſt certus atque convi-
ctus. *Parte* hac *prima* continentur Diſſertationes generis
duplicis. Priores inſerviunt introductionis loco in ſcripta *Mo-
ſis.* Poſteriores in illuſtrandis locis Biblicis verſantur, productæ
ad *Gen. VIII, 21.* Subjicitur eis Index quadruplex. Primus ex-
hibet Diſſertationum titulos, Operi inſertarum. Secundus in-
dicat locos Biblicos, qui paſſim leguntur illuſtrati. Tertius ſup-
peditat voces Ebraicas, hinc inde expoſitas, quo uti licet eis, qui
in Lexicis Ebraicis conſcribendis ſunt occupati. Quarto res
ipſæ recenſentur. Diſſertationum iſagogicarum loco in *Penta-
teuchum Moſis* ſunt hæ. M. *Jo. Gabr. Drechsleri Deſcriptio Moſis
ſervi Domini*, Lipſiæ A. 1674, 4, edita, obtinet hic principatum.
Addemus ſubinde cogitata noſtra. *Moſes* vocatur vir ענו *Num.
XII, 3. Lutherus* eum appellavit afflictatum virum, *einen ſehr*
Pag. 19. *geplagten Mann. Drechslerus* adjunxit ſignificatum manſuetu-
dinis. Nobis vero videtur præferenda expoſitio *Franc. Tſepre-
gi*, qui in Diſſ. *de Authentia ſelectiorum Cethibim* §. 23 *ſeq.*
oſtendit, *Moſen* ibi dici *reſponſorem* (ענו) *eximium præ omni
terrigena.* Quæ expoſitio & voci ipſi, & orationis complexui,
facit ſatis. Cornua *Moſis Drechslerus* in *fulgorem* vultus con-
14. vertit. Nobis vero videtur, nativo vocum ſignificatui haud fa-
cile eſſe renuntiandum. Cornua enim ac fulgor faciei erant
ſymbola viri divini, ac divinitus in ductorem Regemque dati.
Cum vero Deus Iſraelidas eſſet admoniturus, ipſorum eſſe,
Moſen pro ſuo legato ac duce habere, ipſum externo domina-
tionis vicariæ ſymbolo præmunivit. Quod ipſum axioma *Pau-
lus* vocavit δόξαν, comparans illud cum majori excellentia axio-
matum, quibus Deus doctrinam Evangelii, beneficio ſignorum
externorum, inprimis Pentecoſtali, exornavit. Arietis cornua
olim erant hieroglyphicon poteſtatis. Inde dicitur *Alexander
Magnus aries bicornis Dan. VIII, 6.* Vide *Alexandri* numum
apud *Goltzium Tomo III Tab. 31 n. 4, Spanhemium de Uſu &
præſtantia Numiſmatum Tomo I pag. 387.* Reges bicornigeri
exſtitere ævo *Marci Pauli Veneti* in provincia Balaxiæ. Ritus
ipſe olim Perſis fuit notiſſimus, quorum quippe Reges venerunt
ſym-

Digitized by Google

ſymbolo arietis cornigeri *Dan. VIII, 3, 20.* Et quis ignorat, cornua fuiſſe dominantium ſymbola? Apparet id ex *Dan. VII, 7, 24, Apoc. XVII, 12, 14. Lyſimachi* in numis bene multis cornua bina arietina conſpiciuntur. Vide *Joannis Jacobi Geſſneri Numiſmata Regum Macedoniæ omnium Tab. VI Fig. 19, 31, 32, 35, 36, 37, Tab. VII, 1, 3,* ac apud *Hubertum Goltzium Tomo III Tab. 36 n. 7, Tab. 37 n. 1.* Confer apud *Goltzium* numum *Pyliorum Tab. X n. 5,* nec non *Marci Lepidi Tomo II Tab. 27 n. 5,* atque *Auguſti Tab. 34 n. 7,* ipſiusque *Marci Anconii Tomo II Tab. 36, n. 4, 6* Coronarum enim antiquiſſimarum prodromi fuerunt capilli, in modum arietinorum cornuum circa caput revincti atque ſplendentes. Heroibus eam ob cauſam atque Diis commentitiis cincinni, cornibus arietum congruentes, fuerunt additi. Vide *Gronovii Tab. IV, 13,* ad *Ammianum Marcellinum.* Quod vero dicitur עור vultus *Moſis* fuiſſe cornu, id non ad pellem ſeu cutem pertinet, ſed ad extremam capitis partem, ad *oram aures*que. Vox enim עור proprie notat extimum & extremum. Unde conficitur, extimam oram faciei *Moſis* fuiſſe utrinque cornigeram, id eſt, axiomate dignitatis ac dominatus præmunitam. Diſſertatio *ſecunda* eſt *Joannis Meyeri*, Harderovici A. 1705 publice ventilata, *de Veritate ac divinitate hiſtoriæ & propbetiæ Moſaicæ.* Pag. 21. Soliditate ſeſe hic commendant ea, quæ contra Spinoſiſtas ac Deiſtas diſputantur. Diſſertatione *tertia* Autor autoritatem librorum *Moſis* adverſus Præfationem Meta- 44 phraſtæ Wertheimenſis propugnavit. Initio quidem percenſet impedimenta, quibuscum ſcripta *Moſis* conflictata fuerunt. Progreditur deinde ad Wertheimenſis illius translatoris Præfationem, Deiſtæ, quam Chriſtiano, convenientiorem, in qua Autor in ſuſpenſo reliquit, an revelata exſtet in *Moſe* Theologia, nec ne. Id vero ſingulare habet Autor, quod argumentis externis non multum ponit pretii, quibus divinitas ſacri Codicis demonſtranda eſt, conquieſcens in illo interno, quod a guſtu ac experien- 52 tia ſpirituali ſolet deſumi. Hoc enim licet ſit longe firmiſſimum, non tamen convincit eum, qui experientia illa manſit deſtitutus. Dum etiam autoritatem Scriptorum divinorum, qui miſſionis divinæ manifeſtarunt documenta, ab autoritate ſacri

Co-

Digitized by Google

Codicis inde ſtabilienda ſecernit, rei haud ſatis Chriſtianæ con-
ſulere videtur. Si quid nobis eſt judicandum, hæc argumenta
& hæc autoritas utraque arctis copulanda ſunt vinculis, nec disjun-
gi poſſunt. Neſcimus porro, quomodo hæ duæ enuntiationes
ſimul ſtare poſſint: *Satanas effecit, ut gentes extraneæ odio ha-
berent Judæos, eorumque conſtitutiones; Moſis ſcripta per gentes*
Pag 53. *extraneas longe lateque veritatem ſuam diffuderunt.* Nec id
comprobari poteſt argumentis, urnam mannæ ac virgam *Aaro-
nis* ſuperfuiſſe ad excidium templi primi. Id vero nulla excu-
55. ſatione emolliri poteſt, ſi quis dixerit, *Moſen* de Chriſto nihil
plani ſcripſiſſe. Qui enim hoc dixerit, religionem non poteſt
non in impoſturam convertere humanam.. Confer enim *Jo. V,*
65. *39, 46, 47, Luc. XXIV, 25 ſeq.* Diſſertatio *quarta* iſagogica, qua
disquiritur, *an Moſes autor Pentateuchi* exſtiterit, deſumta eſt ex
Hermanni Witſii Miſcellaneis ſacris Lib. I Cap. 14. Diſſertatio
quinta eſt *Sebaſtiani Edzardi*, Vitebergæ A. 1665 ventilata, *utrum
Pentateuchus a Samaritano Sacerdote ſit conſcriptus*, disquirens.
73. Sequitur Autoris Diatriba, qua diſcutitur quæſtio: *an Moſes hi-
ſtoriam rerum ante ſeſe geſtarum ex antiquis deſumſerit carmini-*
79. *bus*, adverſus *Joannem Clericum, Chriſtophorum Auguſtum Heu-
mannum*, & *Henningum Bernhardum Witterum.* Excipit eam
Disquiſitio M. *Chriſtiani Stephani, an Moſes Geneſin e ſchedis Pa-*
87. *triarcharum collegerit*, oppoſita M. *Chriſtophoro Eckmanno*, qui
crediderat, *Moſen* patriarchalem hiſtoriam e manuſcriptis Patrum
primorum in Ægypto collegiſſe, atque ſumſerat magis, quam
probaverat, ſcribendi artem *Moſe* fuiſſe multo antiquiorem.
Subjungitur *Cornelii Dieterici Kochii* Diſſertatio *de Elo-*
90. *quentia & Poeſi Moſis*, in qua commemoratur inter alia, *Moſen*
fuiſſe *Jobi* amicum, & hujus facta & fata deſcripſiſſe. *Nona* Diſ-
96. ſertatio eſt *Jo. Joach. Zentgravii*, repræſentans *Moſen Le-
giſlatorem Ebræorum, charactere politico expreſſum.* *Decima*
102. eidem Autori debetur, exhibens *Moſen Principem Ebræorum,
charactere politico expreſſum.* Ipſe enim *Moſes* appellatur *Me-
lech Deut. XXXIII, 5.* Excipit eam Magnifici *Deylingii* Disquiſitio:
109. *an Autor Pentateuchi Moſes fuerit Pantheiſta*, deſumta ex ejus
Obſervationibus ſacris P. II pag. 1 ſeq. & *Joanni Tolando* oppoſita.

Jacobi

Digitized by Google

Jacobi Haſæi Exercitatio, qua animadverſiones ad teſtimonia
omnium gentium & ætatum, de Moſe, ejusque Pentateucho, ad ejus Pag. 113.
γνησιότητα comprobandam ab Huetio *collecta, exhibentur*, jam le-
gitur in *Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI Faſc. 5 pag. 769 ſeq.* *Hue-*
tius omnino à *Moſe*, ejusque inſtitutis, ea derivavit, quæ proba-
bilitatem omnem excedunt. Sequitur M. *Jo. Crauſii* Diſſerta-
tio *de Sectionibus, in quas priſci Judæi Pentateuchum diviſerunt*, 118.
ubi in fine oſtenditur, noſtram Decalogi diviſionem ſtabiliri per
Judaicam diſtributionem in *ptuchoth* & *ſthumoth*. Subjunxit Pl.
Rev. Autor tractationem ſuam *de Scopo ſcriptorum Moſis*, quæ 122.
omnino ſatisfacit pio lectori. Palmarius eſt ſalus hominis ſem-
piterna per Chriſtum, temporaria Judæorum utilitas, &c. Et
hæc quidem de *Partis primæ* ſumma & argumentis dicta
ſunto. *Parte ſecunda* exhibentur decerpta ex ſolidiſſimis Diſ-
ſertationibus Academicis. Prima earum eſt D. *Salomonis Geſ-* 135.
neri Diſputatio I in Hexaemeron, traditque, Angelos die crea-
tionis primo conditos eſſe, aquas, firmamento ſuperiores, poſi-
tas eſſe ultra ſolem, lunam, & ſtellas, &c. *Geſnerus* putavit, lu-
cem primigeniam fuiſſe obſcuriorem, ſimilemque auroræ. Nec
negare ſuſtinuit, nonnulla animalia ex putredine originem ſui 137.
trahere. Hinc denuo prodit D. *Jo. Conr. Dannhaueri* Diſſerta- 138.
tio *de Opere Dei hexaemero*, Argentorati A. 1662 ventilata. Re-
cuſa deinde apparet Diſſertatio D. *Balthaſari Meiſneri de He-*
xaemero Moſaico. Succedit *Nic. Mœlleri* Diſſertatio, inſcripta:
Hiſtoria Geneſeos rerum omnium explanata. Per cœlum is intel- 152.
lexit ſedem beatorum atque Angelorum. Adjecta ſequuntur non-
nulla ex *Sal. Glaſſii Chriſtologia Moſaica*, ad *Gen. I, 1, 2, 3.* Tan-
dem ſubſtitit Rev. Collector, qui nonnihil obſervationum de ſuo
etiam addidit hinc inde, in *Gen. VIII, 21*, exhibens ad illud in-
ciſum Diſſertatiunculas quatuor. *Jo. Jac. Rambachius* per
hominem illum, cujus cauſa Deus non amplius ſit terræ maledictu- 1452.
rus, intelligit Meſſiam. *Chriſtianus* vero *Ludov. Schlichterus* eam
evertit ſententiam. Colophon additur per Cel. *Henrici Schar-* 1456.
bavi Obſervationem de eo, *quod maledictio terræ in diluvio non*
ſit conſecuta finem. Noſtrum eſt, applaudere inſtituto Rev. Au-
toris admodum ſalubri. Si vero ea quoque reſecarentur, quæ

ad rem præſentem non ſatis faciunt, emolumenti ac patientiæ Lectorum potior haberetur ratio, ne quid de zona minus numata moneamus, cujus aliquam rationem haberi, utique æquitatis videtur.

ILLUSTRAZIONI DEL SIG. DOTTOR PIER FRANCESCO CANNETI, &c.

hoc eſt,

COMMENTARII DOCTORIS PETRI FRANCISCI CANNETI, Academici ex Recuperatis, de uſu & abuſu aquarum mineralium Recoarenſium, ad Dominum NICOLAUM ALBERTI.

Roboreti, apud Petrum Antonium Bernum, 1735, 8.

Plag. 7.

Ferri participes eſſe Recoarenſium aquas ſalubres, hinc vitriolicis annumerari, paſſim docet hic libellus; unde, quibus commoditatibus ægrorum iſtæ inſerviant, intelligentibus ſponte illuceſcit. Viſcerum labem emendant, tonum inſtaurant fibrarum, calculos exturbant renibus, certum in affectibus variis muliebribus ſunt præſidium. Febres periodicæ has aquas bibentibus feliciter cedunt; qua in re parem cum cortice peruviano, cujus laudes canuntur, præſtant operam. Icterici ſalutem ab his fontibus acceptam habent, aliique, quorum meſenterium infarctum eſt impuro humido. Lues celtica non repugnat. Omnium exempla adducuntur, admiſcentur varia de Poetis & Poetriis mixto orationis genere, aliaque, quæ materiam nihil attinent, lectu tamen jucunda ſunt & utilia.

COMMENTARI SOPRA IL CAPITOLO &c.

hoc eſt,

COMMENTARII IN CAPUT XIII DE Ulceribus cum carie oſſium JOANNIS ANDREÆ DE CRUCE, Medici & Chirurgi Veneti, Autore ANTONIO FORZELLINO, Chirurgo.

Venetiis, 1736, 8.

Plag. 7.

Ulcera

Ulcera annoſa & refractaria ſemper aliquid maligni alunt, & ſuſpicionem, ſi oſſibus vicina fuerint, latentis faciunt cariei, id quod magnæ famæ Vir, *Andreas de Cruce*, ſi quis unquam, recte expoſuit. Nec ita in promtu ſunt latentis morbi ſigna; alte haud raro ſinus ſuos dimittunt ulcera cacoethica, maxime, quæ venereum virus in receſſu habent, in oſſibus hærent, perioſteum abſumunt, tandemque in cellulis oſſium ſedent. Hinc materia purulenta, ex ulcere profluens, nigricans, aut livida, fœtensque, ulceris altitudo & directio, oſſium labem indicant. Diverſæ ſunt ejusmodi ulcerum ſpecies; alia circa juncturas oſſium hærent; alia extrema digitorum miſere excruciant; alia vertebris inſidiantur; alia in magnis oſſium tubis exiſtunt, & peſſime cedunt, ægrum lenta tabe abſumunt, aut artubus interitum ferunt. Quapropter id efficiendum eſt ocyus, ut ulceris oſtia dilatentur, & aditus ad oſſa pateſiat, quæ, niſi profunda ſit caries, punguntur, raduntur, uruntur, acribus adſperguntur, ut lamina putrida abſcedens novæ renaſcenti locum concedere poſſit. Repetuntur ex Autore omnia remedia, quæ oſſibus favent, terræ variæ, ærugo, ariſtolochia, mandragora, reliqua.

PHELLANDROLOGIA PHYSICO-MEDICA, ſive Exercitatio Phyſico-Medica de Medicamento novo, vulgo Peer-Saat *dicto, & multis in morbis tam hominum, quam animalium, celebrato, jam vero experimentis phyſico-chymicis & obſervationibus medicis illuſtrato, ab ARTHURO CONRADO ERNSTINGIO, Med. D. & Pract. Brunſuic.*

Brunſuigæ, literis Keitelianis, 1739, 4.
Plag. 6, cum Tab. æn. 1.

Si unquam, de hoc certe libello valet, relicto cortice deguſtandum eſſe nucleum, nec tam commentandi ſolertiam, ordinem, & verba, ſpectanda eſſe, quam bonum finem, & emolumentum, quod expectandum eſſet, ſi quidem experientia novo

Digitized by Google

adverſus febres remedio, ex tot quiſquiliis hic eruendo, ſuffragaretur. Nobis ſatis erit, rejectis ſcoriis, aurum collegiſſe. Initio Autor ſynonymiam atque homonymiam Phellandrii perſequitur, hancque plantam eandem eſſe, ac cicutam aquaticam, recte pernegat; de Phellandrio etiam *Plinii* data opera disquirit, ipſiusque Phellandrii præcipuas partes, radicem, caulem, vermes, inibi ſæpius reperiundos, folia, flores, deſcribit; Phellandrium Alpinum umbella purpuraſcente *Tournefortii* eſſe proprie Meum Alpinum umbella purpuraſcente *Bauhini*, propugnat; nomen plantæ a φέλλος, id eſt, ſuber, & ἄνδρον, (pro quo ſcribendum ἄντρον,) cavitas, ſeu cavernula, deducit. Seminis porro notas characteriſticas, tam internas, quam externas, proponit, idque male ſub nomine ſeminis Fœniculi aquatici vendi in officinis pharmacevticis, notat. His abſolutis, decem experimenta chymica copioſius enarrat, quibus ſemen ad examen vocavit, quorum effectus hic repetitu non indignos exiſtimamus. Expreſſione nullum oleum, deſtillatione autem oleum æthereum penetrans, elicitur. Digeſtione cum ſpiritu vini colorem huic conciliat, atque in *eſſentiam*, ut vocant, abit. Cum ſpiritu vini autem ſale tartari imbuto tinctura magis viridis emergere ſolet. Semen Phellandrii per ſe deſtillatum ſuggerit primo aquam limpidam, deinde ſalem quendam volatilem, facile aucto ignis gradu a phlegmate ſolvendum, & in ſpiritum volatilem vinoſum convertendum, denique oleum fœtidum. Quando hic ſpiritus, in prima deſtillatione prolectus, cum altero, in ſecunda deſtillatione propulſo, commiſcebatur, efferveſcentia quædam contingebat, unde Noſter in ultima deſtillatione ſpiritum acidum ſimul prodiiſſe argumentatur. Uncia una ſpiritus vini rectificatiſſimi drachmam unam & guttulas decem olei in ſe recipit. Ex unciis decem cum ſemiſſe capitis mortui, poſt ejusmodi deſtillationem in retorta reſtantis, nigro colore cum ſplendore ſubcœruleo præditi, per lixivium drachmæ duæ terræ ſalino-lixivioſo-terreſtris extrahuntur, atque ex hac poſt fortiorem in crucibulo calcinationem beneficio cryſtalliſationis cryſtalli nitidæ quadrangulæ & ſexangulæ in furno ſubſident. Ex libris duabus

bus ſeminis in cineres redacti per lixivium ſal, priori quoad cryſtallos ſimile, ſed granis quinque gravius, redit. Ex libra una ſeminis ope menſtrui aquei uncia una extracti gummoſi, & ope ſpiritus vini ex libra una ſeminis uncia una & drachmæ ſex extracti reſinoſi, redduntur. Ab aqua affuſa in reſinoſo extracto gummoſum, quod adhæret, extractum ſeparatur, & tum drachmæ tres & grana quinque reſinæ veræ in filtro ſuperſunt. Ad uſum medicum progreſſus Autor, ſemini huic virtutes tribuit balſamicas, aperientes, diaphoreticas, diureticas, aromaticasque, a quibus etiam admirabilem illam adverſus febres omnis generis intermittentes efficaciam derivat, & inprimis a partibus gummoſo-reſinoſo-balſamicis, materiam nidoroſo-ململioſam in febribus frequentem corrigi, ac velut ſine ſenſu e corpore eliminari, & virtute olei aromatica calefaciente ſtomachi robur inſtaurari, arbitratur. Atque is, felicioris effectus, quem ſæpius experiundo cognovit, ſucceſſu nixus, adeo hujus ſeminis laudes extollit, ut, reliquis illud remediis febrifugis omnibus, ipſi etiam cortici peruviano, palmam præripere, nec, hujus more, præpoſterum pernicioſumque effectum relinquere, atteſtetur. Neque minus ſemen id balſamica ſua & vulneraria virtute in vulneribus omnis generis externis, item externis ulceribus, caſu ab alto oriundis, contuſionibus, compreſſionibusque violentis, ſolatio eſſe dicitur, ut, ſi vulnerati eo veſcantur, vulnus miraculi inſtar coaleſcat. Externe extractum gummoſum perinde ac reſinoſum, ſi vulneribus applicetur, tincturæ Succini vel & Proprietatis viribus antecellit. Reſinam tamen ſuperius indicatam, in Alcohol vini ſolutam, extractis his aliquantum adhuc viribus ſuperiorem eſſe, compertum fuit. In hydrope quovis, tumoribusque œdematoſis, humores aquoſos diaphoreſi & diureſi mirum quantum educit. In cholera etiam, ictero, cachexia, flatuum retentione, obſtructione menſium, hæmoptyſi, phthiſi, ſeu pulmonum ulcere, commendatur. Adverſus vulnera aliosque morbos equorum pridem adhibitum fuit, ut hinc Germanis etiam *ſemen equorum* appelletur. Quod ad doſin attinet, porriguntur ante paroxysmum febrium intermittentium drachma una vel duæ, aut unciæ ſemiſſis, extra paroxysmum autem pars dimidia. Commode etiam drachma una vel

Digitized by Google

drachma una cum ſemiſſe, cum Arcano duplicato, aut ſale abſinthii, vel ammoniaco depurato, aut etiam ſale fixo hujus ipſius ſeminis, & gutta olei caryophyllorum, ante paroxysmum capitur. Quoniam vero ſemen ipſum in ſubſtantia, propter doſeos amplitudinem & ſaporem odoremque penetrantem, adverſa eſſe ſolet plerisque delicatulis, Autor ex eo liquorem antipyreticum parat, ejusque drachmas 2, 3, vel unciæ ſemiſſem, ante paroxysmum, & ſingulis quatuor horis paroxysmum antecedentibus ad 60 guttas, propinat. Similem quoque ſemini uſum reliqua, quæ ex eo parantur, ut ſpiritus, oleum fœtidum, ætheriumque, eſſentia, ſpiritus volatilis urinoſus, & extracta, egregie prorſus præſtare dicuntur. Potiora hæc momenta, exquiſite a nobis ſelecta, accuratiori nunc intelligentium Medicorum experientiæ commendamus, planeque confidimus, ab his non parum gratiæ Autorem publicato tam præſtanti remedio initurum eſſe, ſicut altera ex parte metuimus, ne dictionis barbarie plures ſtatim in limine a lectione libelli abſterreantur. Vix enim una eſt periodus, quæ non barbarismis & ſolœcismis miſerandum in modum fœdetur, & ſenſum adeo perturbet, ut vix eum divinando, aut ſermonis ſtructuram ad leges Grammatices emendando, aſſequi liceat. Vix ac ne vix quidem meminimus, in tanta ſcriptorum, ſatis interdum contaminatorum, copia nobis quidem occurrere librum aliquem, in quo adeo & tam frequenter etymologiæ & ſyntaxeos regulæ velut pedibus conculcentur, ut, ſi *Friſchlini* ævo *Priſcianus* vapulavit, is noſtro tempore vulnus lethale accepiſſe, & animam agere, videatur. Certe non ſine cauſa miramur, ſolam libri inſcriptionem ab ejusmodi vitiorum contagione liberam permanſiſſe. Quamprimum enim ab ea ad formulam, qua Inclytæ Academiæ Imperiali Naturæ Curioſorum libellus dedicatur, progrederis, ſtatim in ejusmodi dictionis *Ernſtingianæ* Veneres incidis. Nos, ne Autori, præter morem noſtrum, candoremque animi, facta fuiſſe videatur injuria, ſine ſelectu eam, quoniam ſtatim in Opuſculi fronte incurrit in oculos, totam hic adjiciemus, ut Lectori de reliquis judicare liceat. Ita vero ſe habet formula: *Viris Illuſtriſſimis, Nobiliſſimis, Eruditiſſimis, Aca-*

Academiæ Naturæ Curioſorum Nutritoribus: Inviɛtiſſimi Cæſaris Leopoldi primo conſcriptæ, jam vero duce & auſpice Carolo ſexto Romanorum Cæſare electo, &c. &c. Phellandrologiam hanc teſtandæ reverentiæ & obſervantiæ gratia offert & dedicat Arthurus Conradus Ernſtingius, D. Speramus itaque, Autorem qualemcunque hanc admonitionem noſtram, ut nos eam bono & æquo animo protulimus, ita non ægre & inique accepturum, ſed potius in rem ſuam verſurum eſſe, ut, ſi forte per ætatis rationem, cum mature ad operas pharmacevticas tractandas adactus fuerit, in Latinæ linguæ ſtudiis non multum profecit, vel eandem tot annorum decurſu, quo in variis officinis pharmacevticis, ut in ipſo libello profitetur, miniſtri officium obiit, non potuit non dediſcere, in poſterum Latine ſcripturus, vel ipſe majorem diligentiam adhibeat, vel alius boni viri curam & conſilium requirat. Cum enim ejusmodi dictione ſenſus verborum implicitus & abſtruſus reddatur, vel patientiſſimus lector re deſperata recedet, totusque liber, ſi vel aureus eſſet, in ſpongiam incumbet.

ETHICA PHILOSOPHICA, PER ALEXANDRUM GOTTLIEB BAUMGARTEN, Prof. Phil. Francofurti ad Viadrum.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Caroli H. Hemmerde, 1740, 8. Plag. 21.

Cum Autor hanc tractationem Halæ ad umbilicum perduxiſſet, in Francofurtinam Academiam diſceſſit evocatus, omnium eruditorum digniſſimus applauſu & congratulatione. *Metaphyſicam* ejus, elogio non indignam, ſuo loco enarravimus, cui hæc *Ethica* fuit ſuperſtructa. Sunt, qui libellos arte demonſtrandi elaboratos conſpurcant vituperio ſpinarum. His levioris armaturæ militibus Cl. Autor oppoſuit Præfationem. Principium primum, quod Illuſtri *Chriſtiano Wolfio* acceptum fert, reſtrinxit, cui in philoſophando ſeſe permultum debere, gratiſſimo animo profitetur. Pelagianismum regnare exiſtimant jejuni rerum æſtimatores in hac Ethices pertractatione, ipſi in doctri-

na

na de legibus divinis officia eadem tractantes, licet vim auditoribus ac lectoribus per ſeſe nequeant inſpirare, quæ virtutibus ſaluberrimis præſtandis, vitiisque fugiendis, ſufficere poteſt. Sed hæc ſunt minoris momenti impedimenta. Procedimus jam ad ſilvam materiæ ipſam, quæ repræſentat prolegomena, quibus Ethicæ definitio ac diviſio varia exhibetur, ac *Partes duas*, unam *generalem*, officia hominibus communia exponentem, alteram *ſpecialem*, qua officia hominum ſingularia ediſſeruntur. *Partis prioris* hæc ſunt *Capita*: de religione interna ac cultu externo *unum*, in *Sectiones duas* diſtributum. Officia, quæ ſibi quisque debet, *Caput* complectitur *ſecundum*. Sequuntur tractationem *generalem* aliquot *Sectiones*, quarum *prima* verſatur in officiis ſibi præſtandis animæ reſpectu; *ſecunda* continet officia, quæ quisque corpori ſuo debet; *tertia* officia, erga ſe ipſum reſpectu ſtatus externi explenda, repræſentat. *Capite tertio* exponuntur officia, ad quæ alii cuicunque exhibenda ſumus obſtricti, ſive is ſit homo, ſive ſpiritus finitus, ab homine diverſus. *Par-*
Pag. 215. *te ſpeciali*, ſeu *ſecunda*, pertractantur officia, omnibus haud communiter præſtanda, nominatim eruditorum ac minus eruditorum, eorum, qui virtutibus vitiisque litant, ætatum hominis, ſanorum & ægrotorum, vitæ commodæ ac incommodæ ſtudentium, honorati nec non neglecti atque contemti, amicorum pariter ac eorum, qui ab amicis ſunt deſtituti. Officia Theologorum delineavit ſatis egregie *§. 33 ſeq.* licet diſtincte de eo ſcopo nihil monuerit. Conferri poſſunt, quæ eodem ſpectant *§. 368 ſeq.*
208. Doctrinam de decoro expoſuit, ubi officia aliis hominibus præſtanda commemoravit *§. 380 ſeq.* Dabimus ex amœniſſimo vireto, roſis diviti, unum ac alterum floſculum. Ex multis capitibus, quibus conſtare oſtendit religionem internam, accipe hæc:
15. *Fuge Dippelianismum, errorem, qui juſtitiam Dei vindicem tollit; Epicureismum, quippe qui providentiam tollit; Abſolutismum, errorem, qui propugnat decreta Dei de rebus contingentibus abſoluta; & Abſolutismum in concipienda prædeſtinatione, ſeu Prædeſtinatianismum; Naturalismum, ſupernaturalia omnia, hinc & revelationem ſtricte dictam, in impoſſibilibus numerantem; Enthuſiasmum, habitum committendi in divinis vitium ſubreptionis, eumque*

que ardentiorem, *Fanaticiſmum & Indifferentiſmum*, *errorem, ſententias theologicas pro eis*, *quæ penitus haud differunt*, *habentem.* Sapienter ſuadet, ne neglectum intellectus, ac uſum ratio- Pag. 19.
nis, ſub titulo ſimplicitatis theologicæ ſpurio appetamus in divinis. Conſultum illud *Leibnitii*, quo mundus optimus aſſeritur in libertatem, frequenter laudat, ac fœcundiſſimas inde morum doctrinas paſſim deducit. Monet egregie, preces formulis ad- 28.
ſtrictas atque extemporales uſibus poſſe ſuis ſcatere, ac temere precum recitationes extemporales (ac aſſuefactioni mechanicæ 41.
ſæpius innixas) confundi cum cordis precibus. Exponit officia, quæ debemus orthodoxiæ ſervandæ ac cuſtodiendæ, multo minus hanc vocem deridet. Ut verbo dicamus, Cl. Autor in 52.
hoc libello plures doctrinas ethicas multo ſolidius expoſuit, quam alii ſpiſſiſſimis ſuis voluminibus, methodo *Ramiſtica* ſcriptis, exponere valebunt. Methodo utitur apodictica, Mathematicis familiari. Stilus autem eſt Socraticus, ſuccinctus, & plus quam Laconicus, doctrina locupletior, quam ornamentis, ex Scholaſticorum vocibus ſubinde aliquid trahens. Sed non omnis fert omnia tellus.

Hermann Pflugs Gedancken über die ängſtlich harrende Creatur, ꝛc.

id eſt,

HERMANNI PFLUGII COGITATA DE anxie expectanti creatura, in Rom. VIII, 19.

Hamburgi, impenſis viduæ Felgineri, ac Bohni, 1739, 8.
Plag. 19.

Autor Clariſſ. libellum inſcripſit Viris ſummis, Dicaſterii ſacri Hannoverani Antiſtitibus, *Joanni Petro Tappen*, *Balthaſari Menzero*, *Henrico Philippo Gudenio*, *Gerhardo Joanni de Bode*, *Davidi Wilhelmo Erythropel*, *Henrico Eberhardo Kœnig*, *Chriſtiano Ulrico Grupen*, & *Philippo Conrado Hugo.* In Præfatione exponit *Petri* judicium, quo doctrinam noſtram vocat *rationale & ſincerum lac Evangelii.* Inprimis oſtendit id, in quo Evangelium complectitur τὸ λογικὸν & veritatem, provocatque ad con-

Pag. 14 conſenſum *Thomæ Ittigii*, Baronis *de Werthern*, *Joannis Chri-*
ſeq. *ſtophori Wolfii*, Autoris, cujus cogitata leguntur in *Relationibus*
innocuis A. 1714 pag. 972 ſeq. Philippi Limborgii, & aliorum, qui
κτίσιν anxie expectantem eodem modo, ac ipſe Autor, expo-
ſuerunt. Ipſe vero non ſolum verum *Pauli* ſenſum repræſen-
tavit & fuſius ediſſeruit, ſed etiam ex eo doctrinas deduxit ad-
modum ſalubres, & præſtantiæ religionis Chriſtianæ accommo-
datas. *Capite primo* exhibet Commentatorum potiorum de
dicto *Paulino* opiniones. *Secundo* oſtendit, vocem κτίσεως paſ-
ſim in N. T. deſignare fidelium Eccleſiam. *Tertio* demonſtrat,
vocem illam in dicto *Paulino* ob verba connexa denotare fide-
les. *Quarto* eundem ſignificatum ex complexu orationis *Pau-*
linæ eruit. *Quinto* tandem addit doctrinas, e vera expoſitione
derivatas, quibus præſtantia religionis Chriſtianæ, & conſolatio
confeſſorum ejuſdem, confirmatur. Jubare meridiano clarius ex
tractatione univerſa hac intelligitur, Theologiæ noſtræ partem ma-
ximam eſſe grammaticam & philologicam, ſiquidem ex ſignifi-
25. catu vocis κτίσις hic unice vera dependet expoſitio. Κτίσις
hic nonnullis videtur eſſe cœtus bonorum Angelorum, aliis
vero cœtûs hominum generatim, aliis porro turba homi-
49. num a doctrina Chriſti averſa, aliis tandem omnis rerum crea-
tarum multitudo. Singulas haſce ſententias Autor modeſte exa-
minat ac refellit. Nexus enim orationis eſt indicio, de homi-
nibus *Paulum* exponere, non de Angelis, neque de univerſis re-
bus. Gentes certe a Chriſto averſæ haud expetunt deſiderio
æſtuanti beneficia per Chriſtum parta. Proſopopœiam alii af-
70. finxerunt *Paulo*. At, eam huic loco prorſus non convenire, Au-
tor demonſtratum ivit rationibus omnino haud contemnendis.
79 ſeq. *Syrbii* deſiderium felicitatis ſempiternæ, omnibus hominibus in-
natum, operoſe Autor deſtruit ac evertit. Sancti homines, pri-
mum creati, vocantur κτίσις *Marc. X, 6*, uti quidem Autor cre-
dit. Homines, ad imaginem Dei renovati, appellantur καινὴ
106. κτίσις *2 Cor. V, 17*, ſiquidem ii, qui ſunt regenerati, dicuntur
ποίημα Θεοῦ, κτισθέντες, *creati*, ad omne opus bonum, *Eph. IV,*
24, II, 10. Conf. *Gal. VI, 15.* Autor πρωτότοκον πάσης κτίσεως *Je-*
118. *ſum Col. I, 15*, exponit per *principem & caput fidelium*. Liceat ve-
ro

Digitized by Google

ro potius ibi intelligere illum, quem Deus pater genuit *hodie*, ſeu *ante omnes res creatas*, id eſt, ab æterno, & antequam exiſteret mundus. Quo ipſo docemur, fieri haud potuiſſe, ut mundus exſtiterit ab æterno, licet Deo haud denegemus potentiam
& vim creandi ſempiternam. Diſplicet quidem hæc expoſitio Pag. 120.
Autori; ſed requirimus rationes validiores eis, quas ipſe in medium produxit. In loco *Rom. VIII, 19*, *κτίσιν* notare cœtum fidelem, non tam ex voce, quam adjunctis circumſtantibusque momentis, colligendum eſt. Dicitur omnino *Apoc. III, 14*, *Jeſus ἀρχὴ τῆς κτίσεως Θεοῦ*. At, fidelium cœtum ibi duntaxat eſſe intelligendum, nemo dixerit. Alibi enim *Joannes* hoc ita
enuntiavit: Ἐν *ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος*. In eo etiam refragamur, 127.
quod Autor credit, *τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου Rom. VIII, 3*, eſſe idem ac *ἀδύνατος νόμος*. Lex enim per ſeſe non eſt e claſſe rerum, quæ fieri nequeunt. At ob hominis accedentem infirmitatem, & reſpectu hujus imbecillitatis ſeu impotentiæ, ingruit illud *ἀδύνατον*, *impoſſibilitas* illa *legem implendi*. Hanc impotentiam hominum Deus per expiationem Chriſti enervavit ac aboluit, novas largiendo per Chriſtum vires. Momenta, adjuncta *κτίσει Paulinæ*, Autor ita excuſſit ac examinavit, ut vix ulla ſuperſit dubitandi ratio, cur ipſius expoſitio haud ſit vera &
genuina. Præſtantiam quoque ſacroſanctæ religionis noſtræ ex 239.
hac expoſitione deducit Autor modo prorſus exquiſito & ſolido, adeo, ut, in ipſius diligentia ac luculenta tractatione nihil eſſe deſiderandum, judicemus.

MEDITATIONES JURIS NATURALIS, methodo Mathematicorum prolatæ, Autore CAROLO WILHELMO ERNESTO DE MUNCHHAUSEN, Equite Thuringo.

Erfordiæ, typis Jo. Chriſtophori Heringii, 1740, 4.
Plag. 6½.

Equites Generoſiſſimi ſimul atque ſcientiis excellunt, non poſſumus, quin de lætiori ac ſecunda literarum & ſcientiarum luce gaudeamus. Exemplum & ſpecimen harum Meditationum

 com-

complectitur luculentam demonſtrationem principiorum Juris na-
turæ, rigidamque Mathematicorum methodum ſervat. Diſſer-
tatio quidem hæc eſt Academica, ſed ejus tamen indolis, ut
ſine Præſide fuerit publice defenſa, & prorſus ſeſe ſolida
tractatione commendet, notitiamque Algebraicam ſpiret, quæ
rariſſimo alias ſidere Equitibus generoſis probatur. At
en libelli ſummam. *Capite primo* oſtenditur, quid ſit jus in
genere, & quod id omnino exiſtat. *Capite ſecundo* diſſeritur
de natura humana. *Capite tertio* exponitur de perfectione, ac
de appetitu ſenſitivo & rationali. *Capite quarto* agitur de
libertate, moralitate, obligatione, & imputatione actionum. Et
Pag. 4. hæc quidem ſunt capita ſumma. *Regulam* vocat Autor Generoſiſſ.
proportionem, cui certa, vel coexiſtentia, vel ſucceſſiva, accom-
modantur. *Legem* vero appellat regulam, ad quam ſervandam
obligamur. *Jus* ex ipſius definitione eſt ſcientia, leges præſcri-
bens, ad hominum perfectionem facientes. *Juſtitia univerſalis*,
ipſo judice, eſt obſequium, omni legi virtutique præſtitum. *Ju-
ſtitia* autem *particularis* eſt virtus, ſuum cuique tribuens. Hanc
rurſus ipſe diſpertit in *rectoriam* & *æquatoriam*. Illa pertinet
2. ad ſolum magiſtratum, hæc ad quemlibet. *Jus divinum* ipſe
vocat complexum legum, a Deo datarum. *Jus civile* vero eſt
ſcientia, leges præſcribens, ad unius reipublicæ perfectionem
3. facientes. Inter Græcos a Locrenſibus primas fuiſſe ſcriptas
leges, *Scymnus Chius* refert. Dari autem jus naturæ, ipſe ex-
inde concludit, quod dantur actiones hominum, quibus ineſt
moralitas interna. *Jus* enim *naturæ* docet moralitatem actio-
num committendarum & omittendarum internam. Approba-
5. tione ſua Autor proſequitur axioma illud: *Nihil eſt abſque ra-
tione ſufficienti*, licet id ſutori cuidam larvato nuper ſordere vi-
ſum. Jus & dominatum Dei in res creatas idem ex firmis ſoli-
disque evincit argumentis. Ex eo, quod Deus eſt dominus ho-
minum, comprobat, Deum habere jus, leges hominibus præſcri-
6. bendi. *Eſſentiam entium* ponit in poſſibilitate eorum interna.
Actionem definit per mutationem ſtatus, cujus ratio continetur
in ſubjecto, quod eundem mutat. Oppoſita itaque erit ei paſ-
ſio. Naturam definit per principium mutationes producendi
in-

Digitized by Google

internum. Stabilit deinde leges motus, easque vindicat corpori humano. Vim repræſentativam putat eſſe principium omnium actionum, quæ fiunt in anima. Repræſentationem vero vocat Pag. 13.
actum, ſecundum quem anima ſibi rei cujusdam eſt conſcia.
Perceptionem, quatenus ea ab apperceptione diſtinguitur, ipſe 14.
e circulo Philoſophiæ proſcribit. Conſcientiam itaque ſui in- 15.
dubie a gradibus obſcuriſſimis idearum haud ſeparabit, ſiquidem inſcientibus nobis ſæpius in anima eveniunt repræſentationes. Dum vero idem adſcribit corpori humano leges motus, animæ autem diſtribuit leges, easque repræſentativæ illi vi congruentes, & nihilo minus experientia loquitur, dari inter corpus noſtrum & animam ſpeciem harmoniæ;
non potuit non harmoniam amplecti præſtabilitam, ita do- 19 ſeq.
cens: *Adſit nexus ſive harmonia quædam, neceſſe eſt, quæ actiones utriusque ita conciliet, ut, neutro agente in alterum, anima corpori, corpus animæ, haud contradicat.* Felicitatem hominis di- 22.
ſtinguit in philoſophicam & theologicam, illam, docens, conſiſtere in perfectionibus naturalibus, hanc abſolvi præmiis, ab arbitrio Dei proficiſcentibus. Reſurrectionis fundamentum ponit in negatione interitus elementorum ſimplicium, e quibus conſtat corpus humanum, & in eorundem nova, priſtinæ ſimili, aggregatione. Perfectio, ipſo judice, eſt conſenſus in varietate.
Indubie vero conſenſus poſitivorum intelligendus eſt. Varietas 24.
quoque reſpicit finem quendam, a ſubſtantia intelligente intentum. *Libertatem* ipſe definit per facultatem animæ moralem 33.
ad alterutrum duorum poſſibilium pro arbitrio ſeſe determinandi. Libertatem vero exiſtere nullam, niſi adſit intellectus & voluntas, addit. Spontaneitas vocatur ei illa, ubi ratio actuum liberorum in anima eſt. Ad libertatem requirit voluntatem, intelligentiam, contingentiam, & ſpontaneitatem. Præ- 34.
ſcientia quomodo rebus contingentibus præſcitis nullam inducat
neceſſitatem, ſcite ſolideque demonſtrat. Eſſentias rerum eſſe 37.
æternas, ita oſtendit: *Dum impoſſibile eſt, ut, quod ſemel eſt poſſibile, fuerit unquam impoſſibile, intrinſeca rerum poſſibilitas eſt æterna. Verum intrinſeca rerum poſſibilitas abſolvit eſſentiam earundem. Eſſentiæ ergo rerum ſunt æternæ.* Adjungit hanc

Digitized by Google

propoſitionem: *Mali eſſentia eſt æterna. Dum enim eſſentiæ*
rerum ſunt æternæ, mali eſſentia omnino eſt æterna. Malum actu
exiſtere docet ex repræſentatione rei erronea, quam paſſim ho-
Pag. 38. minibus ineſſe patet. Addit & hoc, Deum haud poſſe alium
creare Deum, ideoque Deum non poſſe creare animam, limiti-
bus expertem. Inde porro colligit, Deum haud potuiſſe crea-
re animam, cui nulla inſit potentia male agendi. Negat deinde,
dari actiones moraliter indifferentes. Connexionem motivorum
41. cum actionibus liberis vocat obligationem moralem. Ad officia
aliis præſtanda nos obligari, diſtincte demonſtrat. Legem vo-
cat obligatoriam propoſitionem. Præmia naturalia & pœnas
naturales ipſe admittit. De *imputatione & conſcientia* egregie
42. differit. Illam ponit in applicatione legis ad factum, ſeu ad o-
mnes actiones, legi vel conformes, vel repugnantes; hanc ponit
43. in applicatione legis ad facta propria, adeo, ut imputatio, ſpe-
ciatim ſic dicta, conſiſtat in applicatione legis ad facta aliena. Per
applicationem vero intelligit judicium de convenientia vel dis-
convenientia rei cujusdam cum altera. *Imputabilitatis* funda-
45. mentum ipſe ponit in actione, de cujus convenientia vel discon-
venientia cum lege ferri poteſt judicium. Facta impoſſibilia,
fortuita, coacta, haud poſſe imputari, curate oſtendit. Facta
46. aliena nemini poſſe imputari, tradit, negans, ea imputari poſſe
alii, ac actionis autori. Credimus vero, addenda hæc eſſe:
niſi quis facti alieni exercitium fecerit ſuum vel approbando, vel
imitando, aut facti alieni culpam in ſeſe ſuſceperit luendam. Il-
luſtrat tandem præmii pœnæque ad legem factumve rationem
hunc in modum: *Quodſi ceterum rationem præmii pænæque ad*
49. *legem factumve inveſtigare velimus, fiat, lex* $= ax + bx +$
$yx + x^2 + b^2$, *erit factum, legi conveniens, itidem* $= ax + bx$
$+ yx + x^2 + b^2$, *præmium, quoniam fluit ex intrinſeca facti*
poſſibilitate, $= ax + bx + yx + b^2 + x^2$. *Erit itaque* ax
$+ bx + yx + b^2 + x^2 : ax + bx + yx + b^2 + x^2 = ax + bx$
$+ yx + b^2 + x^2 : ax + bx + yx + b^2 + x^2$; *quod ſe in ſe-*
quentes reſolvit proportiones: α) *ut præmium ſe habet ad factum,*
ita factum ad legem; β) *ut factum ad præmium, ita præmium*
ad legem; γ) *ut lex ad factum, ita factum ad præmium;*
δ) *ut*

Digitized by Google

δ) *ut factum ad legem, ita lex ad præmium. Sit porro factum* $= ax + bx + yx$, *erit præmium ejusdem* $= ax + bx + yx$. *Hinc* $ax + bx + yx : ax + bx + yx + b^2 + x^2 = ax + bx + yx : ax + bx + yx + b^2 + x^2$, *id eſt, a) ut quantitas convenientiæ vel disconvenientiæ facti ſe habet ad legem, ita ſe habet quantitas præmii;* b) *ut factum disconveniens legi ad legem, ita præmium facti ad præmium legis;* c) *ut factum unum ad alterum, ita præmium unum ad alterum. Quoniam, ſi adimitur a proportione data* $ax + bx + yx$, *manebit* $o : x^2 + b2 = o : x^2 + b^2$; *pœna facti, legi disconvenientis, conſiſtet in privatione* τȣ $x^2 + b^2$. *Hinc, quia quantitas repugnantiæ actionis cum lege eſt* $= x^2 + b^2$, *uti ſe habet quantitas repugnantiæ actionis cum lege, ita ſe habebit quantitas pœnæ.* Non poſſumus plura ex Diſſertatione, limatiſſimæ ſolidiſſimæque tractationis ſpecimine luculento, huc transferre, de reliquo applaudentes Equiti Generoſiſſimo, eique ſoliditatem, quam ſcientiis ſtudet conciliare, & magnum eruditionis faſtigium, ad quod jam adſpiravit, obſervanter gratulantes.

SIGISMUNDI FRIDERICI DRESIGII, A. M. & Schol. Thom. Conr. Animadverſiones in FABRI Theſaurum iterum continuatæ.

Conf. *Nova Acta Erud. A. 1738 Menſ. Dec. pag. 687*, & *A. 1740 Menſ. Mart. Part. II pag. 176.*

EMENDANDA.

ADSPIRATIO. Male ad ſignificationem illam, qua hoc nomen *die Anhauchung, Zuwehung*, vertitur, refertur *Cicero de Natur. Deor. II, 33: animantes autem adſpiratione aeris ſuſtinentur.* Nam hic *adſpiratio aeris* eſt *attractio aeris*, quando animantes aerem attrahunt.

ADSPIRANS. Similis occurrit lapſus in hac voce circa locum *Ciceronis de N. D. II, 55: Qui* (pulmones) *tum ſe contrahunt adſpirantes, cum reſpiritu dilatant.* Non enim *adſpirantes* notat, *dum ſpiritum efflant*, ſed, ut ipſe *Cicero* in antecedentibus

dentibus id expreſſit, *haurientes ſpiritum.* Quod ipſum etiam ex contrario adjecto *reſpiritu* ſatis intelligitur.

ADUMBRO. Hac voce *adumbratio* explicatur per σκιαγραφίαν, quæ addit umbras, & oculis non modo lineas exhibet, ſed expliçatiores etiam rerum ſpecies ſubjicit. Quam vero ſententiam refellit Cl. *Antonius Birrius* in *Rob. Stephani Theſauro linguæ Latinæ*, noviſſime Baſileæ edito. *Sed videntur*, inquit, *veteres picturam* ἁπλῶς *h. v. intelligi voluiſſe. Sculptura enim expreſſis adumbratas opponunt imagines. Ceterum de Sciagraphiæ notione aliter* Græv. ad loc. Cic. pro P. Sulla, *qui infra legitur*, Athenag. Apolog. pag. 19 ed. Steph. *Unde conſtat, id vocabulum veteres de monogrammo quoque pictura proprie uſurpaſſe, quæ nullas umbras exhibet, quicquid V. Cl. cujus verba ex Lipſienſi Theſ. huc deſcripta fuerunt, opinatur.*

AFFIRMO. Primaria hujus verbi notio non eſt, quod vult *Faber, aſſeverare, aſſerere*, ſed illa, quam Lexicon ſecundo loco memorat, & quæ valet *confirmare, befeſtigen, beſtætigen.* Clariſſimum hujus ſignificationis exemplum ſuppeditat *Apulejus Metamorph. Lib. XI pag. 195: Tu collapſam fortunam affirma.*

AVERTO. n. 3: *Ut deponens uſurpat* Virg. Georg. III, 419: *Equus fontes avertitur, i. e. abhorret, vel a potu ſe avertit.* Nollem, Virum illum, qui hæc Lexico noſtro aſſuit, *avertitur* in *Virgilii* loco pro deponenti nobis vendidiſſet. Recte enim fuit expoſitum per *ſe avertit.* Nam quis, multa apud Latinos verba paſſive poſita, ignorat, accipienda eſſe ſignificatione illa, quam *Kuſterus* verbis Græcorum mediis vindicavit?

AUSPEX. Hac voce *n. 4* ita Lexicon habet: *Quoniam itaque pro reſponſis augurum, ſive auſpicum, vel ſuſcipiebantur ac gerebantur, vel omittebantur, res, ideo auſpicum nomen ad omnes eos transferri eſt cœptum, quorum autoritate, inſtinctu, ac monitu, aliquid inciperetur.* Sed primum ad hæc notari meretur, *Bentlejum* ad *Horatium Od. I, 7, 27*, prorſus negare, *auſpicem unquam de homine uſurpari, niſi de eo, qui*

Digitized by Google

qui proprie eo verbo ſignabatur. Deinde teſtimonia, quæ ad hunc ſignificatum in medium producuntur, aut de Diis agunt, aut dubiæ ſunt interpretationis. Nam de *Horatii* loco videatur laudatus interpres. *Ciceronis* locus *ad Attic. II, 7,* proprie etiam capi poteſt de auguribus, quoniam in ſequentibus hujus Epiſtolæ auguratus fit mentio. Vid. Cel. *Erneſti Clavem Ciceronianam h.v.* Certe, quoniam veteres non dixerunt, *Auguſto aut Cæſare auſpice*, ſed *auſpiciis Auguſti aut Cæſaris,* hæc notio non adeo probata aut probanda videtur.

BUCCINUS. N. 2: *Buccinus de perſona, quæ canit, der Trompeter*, & ad hanc notionem confirmandam adducitur *Petronius Cap. 74.* Audiamus Satyricum: *Hæc dicente eo, gallus gallinaceus cantavit, qua voce confuſus Trimalchio vinum ſub menſa juſſit effundi, lucernamque & mero ſpargi, immo annulum trajecit in dexteram manum, &, non ſine cauſa, inquit, hic buccinus ſignum dedit. Nam aut incendium oportet fiat, aut aliquis in vicinia animam abjiciet.* Quamvis vero interpretes *Petronii Fabro* præiverunt, & buccinum pro buccinatore poſitum crediderunt, tamen, buccinum eundem eſſe, qui antea vocatur *cantus & vox galli gallinacei,* manifeſtum eſt. Neque enim gallus, ſed vox galli, proprie ſignum dedit. Niſi itaque locupletiore teſte hic *buccinus* ſignificatus adſtruatur, loco omnino movendus & prorſus proſcribendus videtur.

CORNU. N. 5: *Cornu in exercitu duo ſunt, dextrum & ſiniſtrum, quæ & alæ dicuntur.* Paucis interjectis: *Ita fere accipio cornua tribunalis Tac. Ann. I, 75 pr. h. e. latus, partem a ſella curuli vacuam.* At n. 7 *cornua de velis* dicuntur eſſe *extremitates incurvæ*, ubi de eodem *Taciti* loco Lexicon habet: *Tacitus quoque tribunalis cornua eandem dixit ob cauſam.* Sic in eodem loco ac verbo metaphora & ab exercitu & velis petita, ſi *Faber* audiendus, occurrit.

CURRICULUM. Recte quidem hujus nominis vis germana dicitur *ein kleiner Wagen.* Sed, quando ad eam aſſerendam unicus tantum, isque, ipſo Lexico commemorante, plane

Digitized by Google

dubius, locus *Plauti* adducitur, id in tantæ molis Lexico vix ferendum videtur. Ne quis igitur a Lexico adducatur ad dubitandum de hac ſignificatione, duo in præſenti afferam teſtes. *Silius V, 24:*

Et jam curriculo nigram nox roſcida metam
Stringebat.

Curtius VIII, 14, 8: aliorum turbati equi non in voragines modo lacunasque, ſed etiam in amnem, præcipitavere curricula.

DEMUGIO. Germanice hoc verbum redditur *Brüllen*, & provocatur ad *Ovid. Metam. XI, 375:*

Undaque prima rubent, demugitæque paludes.

Sed quis credet, paludes proprie *mugire, brüllen?* Quis non ſtatim intelligit, *demugitas paludes* Poetæ dici *mugitu boum reſonantes?*

EXANIMATUS n. 2: *impotens, languidus, ohnmæchtig, krafftlos,* quæ quidem minus recte præcipiuntur, propterea quod hoc nomen apud *Cæſarem* & *Terentium* in partes vocatos de iis uſurpatur, quibus ob nimium curſum ſpiritus deficit. Itaque Germanice ſonat, *aus dem Athem gelaufen.* Videatur omnino *Daviſius* ad *Cæſarem Gallic. II, 23, & III, 19.*

EXSPIRO. Propria hujus verbi ſignificatio dicitur *herausblaſen,* hoc eſt, *exhalare.* Quod minus accurate factum. Proprie de ventis ex aliquo loco ſpirantibus dicitur. *Ovidius Metam. XV, 299 ſeq.:*

Vis fera ventorum, cæcis incluſa cavernis,
Exſpirare aliqua cupiens, luctataque fruſtra
Liberiore frui cælo.

FRITILLUS. Adeo ſibi in hac voce non conſtat Lexicon, ut, quanquam *n. 1* primam hujus nominis notionem nobis inſtillet, *tabula luſoria, ein Bretſpiel,* tamen *n. 2* omnes pro hoc ſignificatu allegatos locos Autorum ita explicat, ut unica tantum ſignificatio remaneat, qua vaſculum aleatorium, infundibili ſpeciem repræſentans, denotat. Qui ipſos Autores evolverit, primam notionem plane exterminandam eſſe, facile videbit.

HABITO. Perperam ad propriam notionem refertur *Perſianum* illud:

Digitized by Google

illud: *Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſupellex,* quod vel addita interpretatio docet perſpicue. Ad alteram vero ſignificationem, qua eſt, *verſari in aliqua re*, addi meretur *habitare in foro* ex *Cicerone pro Mur. Cap. 9*, & *in culina habitare* ex *Petronio Cap. 2.*

INAMBITIOSUS, *non ambitioſus, enge, ſchmall. Ovid. Metam. XI, 766: Poſſis tamen forte ad animum referre, quæ non alant ambitionem & ſuperbiam.* Sed neutra mihi videtur explicatio Poetæ ſententiæ convenire, quod quo clarius fiat, ipſe erit locus exhibendus. Ita vero Poeta:

Oderat hic urbes, nitidaque remotus ab aula
Secretos montes, & inambitioſa colebat
Rura, nec Iliacos cœtus, niſi rarus, adibat.

Nam, ut credam, inambitioſa rura ea dici, quæ ab hominibus non ambiuntur & celebrantur, & *ſecreti montes*, & *odium urbium*, & *aulæ fuga*, & *rara cum hominibus conſuetudo*, fere perſuadent. Male etiam in *Stephano* explicatur per ἀφιλότιμος, ἀφιλόδοξος, præſertim cum *ambitioſus* quoque ſenſu paſſivo dicatur, quod vel ex ipſo *Fabro n. 4* cuique patebit.

INDESTRICTUS. Turpiculo errore hæc vox redditur *ungebunden, non ligatus*, apud *Ovidium Metam. XII, 92*, &, quoniam hic alii legunt *indiſtrictus*, hæc ipſa etiam vox reperitur in Lexico, & explicatur, *illæſus, ſolutus, frey*, ubi profecto perſpicere nequeo, quomodo una vox in uno loco & *illæſus* notare poſſit & *ſolutus*. Non exiguam hæc negligentiam produnt. Verba *Ovidii* ſunt:

\- - - *Removebitur omne*
Tegminis officium, tamen indeſtrictus abibo.

Narrat Poeta *Achillis* pugnam cum *Cygno*. Quem quia antiquitas credidit nullo vulnere potuiſſe affici, tota narrationis ſeries prodit, *indeſtrictus* nihil aliud ſonare, niſi *invulneratus, nullo vulnere, ne minimo quidem, affectus*, quemadmodum in ipſo *Fabro indiſtrictus* recte expreſſum eſt per *illæſus*. Nam ipſe *Ovidius* exponit *verſ. 170*, *nullo forabilis ictu.*

INSIBILO redditur *einblaſen*. Ad quam notionem ſtabiliendam adducitur *Ovidius Metam. XV, 603:*

Qualia ſuccinctis, ubi trux inſibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt.

Sed nemo, opinor, Poetæ locum Germanice ſic, ut Lexicon, vertet, quippe in quo *inſibilare* notat *flamine irruere, flatuque invadere*. *Silii* autem locus præter rem prorſus advocatur, ubi *membris inſibilare*, id eſt, cum ſibilo urere, *ignis* dicitur.

INSTRUO. Prima huic verbo vis attribuitur, *adornare, apparare*, quod etiam in *Stephani Theſauro* inculcatur. Sed, falſum id eſſe, vel primitivi *ſtruo* proprius ſignificatus evincit. Proprie, quod Lexicon ignorat, habet *Cæſar Civil. II, 9, 1: Ubi turris altitudo perducta eſt ad contabulationem, eam in parietes inſtruxerunt ita, ut capita tignorum extrema parietum ſtructura tegerentur*, & n. 7: *Ubi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item, ut primo, tecta extremis lateribus inſtruebant*. Ex quibus intelligitur, *inſtruere* proprie de tignis adhiberi, quæ parietibus inſeruntur & inædificantur.

LABES. *Quodlibet vitium dicitur, quod aut deformat rem, aut corrumpit, & ſuo de ſtatu dejicit. Nam a labendo, ſeu lapſu, dicitur, ein Fehl, Gebrechen.* Quibus verbis quanquam origo nominis recte omnino traditur; propria tamen ſignificatio nec accurate ſatis traditur, & male ſane Germanice redditur. Meliora docent *Servius*, *Cicero*, & *Lucretius*, ſtatim producti, ex quibus æque ac vocis derivatione cognoſcimus, *labes* proprie eſſe *ruina* ſeu *lapſus* in lubrico & luto. Teſtis eſt hujus notionis aſſiduus ſatisque luculentus *Silius IV, 577 ſeq.:*

Haurit ſubſidens fugientum corpora tellus,
Inſidaque ſoli fruſtrata voragine ſorbet,
Nec niti, lentoque datur convellere limo
Merſa pedum penitus veſtigia, labe tenaci
Hærent devincti greſſus.

LABRUM. N. 1 formula *Senecæ Epiſt. 16: Non a ſummis labris*

iſta

iſta venerunt, Germanice parum apte vertitur, *es iſt von Herzen gegangen*. Non enim Philoſopho de integritate animi, candore, quo ſpectat Germanorum formula, ſed de ſcientia, eaque ſolida ac vera, eſt ſermo. Quod ut quemque ipſe locus edoceat, adſcribendum putavi: *Repeto memoria, quam magno animo quædam verba projeceris, quam roboris plena. Gratulatus ſum protinus mihi, & dixi: Non a ſummis labris iſta venerunt, habent hæ voces fundamentum.* Ubi videatur *Lipſius.*

LAPICIDINA. Commendat Lexicon cum aliis ſingularem hujus vocis numerum. Quem cum nullo videam exemplo ex Autore quodam adſtructum, contra ea ubique pluralis tantum conſpiciatur, tum vehementer dubito, an in ſingulari hoc nomen apud veteres, qui ſunt dicendi norma loquendique, poſitum reperiatur. Nam, quod ego ſciam, in plurali ſemper occurrit.

MEMNONIUS. *Aves Memnoniæ, quæ ſingulis annis ex Æthiopia ad Trojam adventantes ſuper Memnonis ſepulcro decertant.* Sequenti vero voce hæc habet Lexicon: *Memnonides aves juxta Memnonis ſepulcrum quinto anno circumvolantes, & pugnam ineuntes.* Equidem non ſum neſcius, veteres in definiendo anno, quo aves ad ſepulcrum *Memnonis* advolaverint decertaturæ, inter ſe diſſentire. In eo tamen peccavit, qui hæc *Fabro* inſeruit, quod ſub duabus vocibus eandem rem tanquam diverſam memoraverit. Ceterum, ſi fide digniorum & ætate priorum teſtimoniis hic ſtandum eſt, ſingulis annis hanc avium pugnam ad *Memnonis* ſepulcrum factam eſſe, credendum eſt. Vid. Interpretes ad *Ovidium Metamorph. XIII, 618 ſeq.*:

OBLATRO. Redditur *entgegen bellen*, & unicus producitur teſtis *Silius VIII, 251:*

Infima dum vulgi fovet, oblatratque ſenatum.

Ubi *oblatrare* proprio illo & Germanice expreſſo ſenſu accipi non poteſt. Vid. *Heinſius* & *Drakenborch* ad *verſ. 266.*

OVATIO. *Tiberius tamen veterem, ut videtur, aſpernatus morem,*

rem, curru ovans vectus eſt, Suetonio teſte in ejus vita Cap. 9. Non levem his ineſſe verbis errorem, diſcimus ex Cl. *Dukero* ad *Florum III, 19, 8, pag. 655: Non recte percepit mentem* Suetonii, *quæ hæc eſt*, Tiberium *ex aliis bellis ovantem, ex aliis curru urbem ingreſſum eſſe, quemadmodum Id. Aug. XXII ovationem a curruli triumpho diſtinguit.* Et ſane jam olim ad *Suetonium* commentatus eſt *Torrentius*, & *ovavit igitur de Dalmatis, & triumphavit de Germanis.* Hic nævus tanto minus eſt in Lexico noſtro ferendus, quod ovatio non curru peracta legitur, ſed aut pedibus, aut equo.

PALLA. Bis hac voce impingit Lexicon. Primum enim falſum eſt, pallam tantum Dearum, & non æque Deorum, eſſe veſtem, maxime quod ad *Broukhuſium*, qui ad *Tibullum IV, 6, 13*, adducitur, pertinet. Communis eſt Deorum Dearumque palla, quod vel ex laudati viri commentatione diſcimus, qua eam de *Apolline, Baccho, Mercurio, Hymnæo*, probavit. Deinde falſum pariter eſt, quod dicitur *n. 2, item virorum, ſed citharœdorum & ſaltatorum.* Nam ex inſtituto *Æſchyli*, qui *Horatio de arte poet. v. 278 pallæ repertor honeſtæ* vocatur, propria fuit veſtis omnium, quæ in Tragœdia agebantur, perſonarum. Unde & a Poetis tribuitur Heroibus. *Flaccus III, 718*, de *Jaſone:*

Ibat, & obtenta mulcebat lumina palla.

PARIETINA. *Paries vetuſtus & conſidens.* Quo Autore hoc nomen in ſingulari numero commendetur, fateor, me ignorare. Ejusdem, niſi egregie fallor, furfuris hic eſt ſingularis, cujus jam adfuit *lapicidina.*

PERLIBRO. Altera huic verbo aſſignatur vis, qua eſt *ſchwingen.* Sed hic præcipua, quæ huic compoſito verbo ineſt, vis non attenditur. Significat enim in allatis *Silii* locis aut *vehementer libro*, ſeu *ſummo niſu mitto*, vel, quod prope malim, *usque ad ſcopum, quem peto, mitto haſtam.*

PERMITTO. Idem fere, qui in antecedenti verbo adfuit, lapſus hac voce occurrit. Prima notio præcipitur, *weiterſchicken.*

Digitized by Google

cken. Quod omnino falſum. Proprie, usque eo telum permittere, quo tendimus. *Ovidius Metam. XII, 282:*

Tollit onus plauſtri, quod ne permittat in hoſtem,
Ipſa facit gravitas.

Ibidem *XIV, 182:*

Immanem ſcopulum medias permiſit in undas.

RECLAMO. Primum notare traditur, *repugnare, refragari, ſich darwiederlegen, wiederſprechen.* Quod falſum eſſe, jam demonſtravi in Animadverſionibus in *Fabri Theſaurum* continuatis, & proprie ſonare *iterum clamare*, quod etiam ex activa hujus verbi conſtructione, quam vero Lexicon egregie ignorat, patet. Sic habet *Flaccus III, 596*, de *Hercule:*

Rurſus Hylan & rurſus Hylan per longa reclamat
Avia.

Quod Libro ſequenti *verſ. 18* ſic expreſſit Poeta:

Ille graves oculos & Hylan reſonantia ſemper
Ora ferens.

Eadem ratione dixit *Flaccus VIII, 173:*

In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant
Nomine.

REMOLIOR. *N. 2: Eſt reparare, wiederſchaffen*, & hæc quidem ſignificatio ex *Silio I, 36*, probatur. En locum, qui de *Junone* agit, integrum:

Jam propius metuens, bellandi corda furore
Phœnicum exſtimulat. Sed enim conamine prima
Contuſo pugnæ, fractisque in gurgite cœptis
Sicanio Libycis, iterum inſtaurata capeſſens
Arma remolitur.

Quis, quæſo, loco perlecto, non intelligit, *remoliri* eſſe *iterum moliri*, etiamſi id non eluceat ex verbis *iterum inſtaurata?*

RESPIRO. Non ſatis accurate palmaria hujus verbi ſignificatio præcipitur, *animam ſeu ſpiritum recipere, Athem holen.* Nam proprie contrarium verbo *adſpiro*, de quo paullo ante diximus, habet ſignificatum, & *ſpiritum reddere, Athem von ſich laſſen*, ſignificat. *Cicero de Nat. Deor. II, 54*, de arteria,

Digitized by Google

arteria: *Excipiatque animam eam, quæ ducta ſit ſpiritu, eandemque a pulmonibus reſpiret & reddat.*

REVOLVO. Perperam hoc verbum proprie notare dicitur *wiederum abwælzen.* Eſt enim *iterum & denuo eandem rem volvere. Virgilius Æneid. X, 61:*

Redde, oro, miſeris, iterumque revolvere caſus
Da, pater, Iliacos Teucris.

Quem imitatus eſt *Silius I, 115:*

Romanos terra atque undis, ubi competet ætas,
Ferro ignique ſequar, Rhœteaque fata revolvam.

Ubi videatur *Drakenborch*, & quos hic laudat.

SUBERIGO, *modicum erigere, ein wenig aufrichten.* Quæ licet ſignificatio locum habere aliquando poſſit, in loco tamen, qui adducitur, *Silii XV, 155*, ſtare nequit, quia ibi eſt *vehementer erigere*, ita quidem, ut unda Iſthmum transgrediatur, & mare Ionium Ægæumque inter ſe miſceat:

Ut, cum ſæva fretis immiſit prælia Corus
Iſthmon curvata ſublime ſuberigit unda,
Et ſpumante ruens per ſaxa gementia fluctu,
Ionium Ægæo miſcet mare.

TAURUS. *Petronius Cap. 25 proverbium eſſe dicit, Poſſe taurum tollere, qui vitulum ſuſtulerit, i. e. maxima auſurum, qui paullatim minoribus aſſueverit*, & adagii origo ad *Milonem* refertur, qui, cum vitulum aſſueverat ferre, taurum ferebat. Nam primo falſum eſt, hoc proverbium a *Petronio* de viris dici, cum diſertis verbis de mulieribus ponatur. Deinde *taurus* in hoc proverbio non eſt animal illud armentum, ſed obſcœna pars corporis, quæ notio *n. 6* attingitur. Denique origo proverbii præter rem a *Milone* illo repetitur, quemadmodum præter alios interpretes copioſius id probavit *Burmannus* ad *Petronii* locum, ex quo *Fabrum* corrigendum exiſtimo.

VENALITIUM. *Locus, in quo ſervi vendebantur, & mancipia, der Sclavenmarkt, ut venalitium titulis pictum, v. Heinſ. ad Petron. Cap. 29 pag. 105.* At *Heinſianam* hujus vocis explicationem abunde confutavit Cel. *Burmannus* ad *Petronii* locum,

Digitized by Google

locum, & rectius omnino venalitium contendit gregem, ſeu turbam ſervorum venalium, ſignificare, quod ipſe locus poſtulat. *Erat autem*, inquit *Arbiter*, *venalitium titulis pictum*, *& ipſe Trimalchio capillatus caduceum tenebat*, *Minervaque ducente Romam intrabat.* Nam quomodo ſervus, in cataſta conditus, dici poſſit *Minerva* ducente Romam intrare, non intelligo, ut taceam, *Heinſianæ* interpretationi etiam obſtare verba *titulis pictum*, cum ſervis venalibus ſciamus titulos aptatos fuiſſe. *a*)

FLAVII EUTROPII BREVIARIUM Hiſtoriæ Romanæ. In uſum Scholarum recenſuit, obſervationibus illuſtravit, copioſiſſimo Latinitatis Indice inſtruxit, & præmiſſa Diſſertatione de ſtilo Eutropii exornavit, LAURENTIUS REINHARDUS, illuſtris Gymnaſii Vinarienſis Sub-Conrector.

Hafniæ, apud Franc. Chriſt. Mumme, 1738, 8.
Plag. 14 ½.

Jam diu non de ſanctioribus ſolum literis præclare meritus eſt; ſed & Hiſtoriam juvit, atque elegantiores præſertim literas illuſtravit, S. Rev. *Reinhardus*, ſacrarum literarum Doctor, nunc verbi divini apud Vinarienſes Miniſter, & illuſtris Lycei Profeſſor. Ad hæc poſteriora meritorum ipſius genera jure quoque ſuo referenda eſſe videtur, quæ in manibus eſt, *Eutropiani Breviarii* editio. Tria vero ſunt, quæ nominatim ſibi tractanda ſumſit. De ſtilo *Eutropii* Commentationem præmiſit, notas ſingulis paginis admiſcuit, Indicem Latinitatis curioſiſſimum ſubjecit. Nulla illarum exquiſiti laboris partium ita com-

a) Hactenus *Emendanda* in *Theſauro Fabri.* Quæ *Addenda* denuo collegit Clariſſ. *Dreſigius*, *Sectionem* proximam ornabunt.

Digitized by Google

comparata eſt, ut ſileri a nobis, aut inornata dimitti, debeat. Neque vero tacendam putamus, qua ſibi ad lucubrationes iſtas viam quaſi munivit, doctiſſimam Præfationem. Duo ſunt, quæ in iſta potiſſimum docere nos voluit. Alterum, quod autor ipſi ad hanc editionem ſuſcipiendam duxque fuerit Excellentiſſ. *Dahlerus*, Celſiſſimorum Ruthenorum Comitum Cancellarius, & Senatus, qui Geræ ſanctiora dijudicat negotia, Præſes. Ille venerabilis ſenex, Hildburghuſæ adhuc degens, ita ipſum ad hunc ſcriptorem, neglecta *Paanii* Græca interpretatione, publicandum commovit, ut paullo poſt A. 1726, cum Eloquentiæ, Græcæ linguæ, & Poeſeos, docendæ munus in Gymnaſio Hildburghuſano rediret, publice, hoc ſe ſuſcepturum laboris eſſe, promitteret in Oratione, quam *Stili Latini Inſtitutionibus* adjunxit. Alterum, quod hic monet, ad ipſum contextum *Eutropii* ſpectat; ubi ſe rejeciſſe profitetur verba ſuppoſititia, & *Eutropio* temere afficta, quæ recentior ſcriptor, Chriſtianorum ſacris addictus, (*Paulum Diaconum* eſſe judicant,) præmiſit, ac locis quibusdam temere miſcuit. Ut hoc autem eo melius fieret, *Eliæ Vineti*, qui Burdegalenſi Codice uſus eſt, *Friderici Sylburgii*, cui Fuldenſis Codex ſubſidio fuit, ac *Pauli Merulæ*, Gandenſem Codicem una cum *Antonio Schonovio* ſecuti, editiones in conſilium adhibuit, neque alia, quæ ſe cunque obtulerunt, auxilia neglexit. Præfationi adduntur teſtimonia hominum celeberrimorum, quibus *Eutropius* commendatur, nominatim *Chriſtophori Cellarii*, *Tanaquilli Fabri*, *Jo. Gottl. Heineccii*, *Jo. Ge. Walchii*, ac *Fr. Jac. Beyſchlagii*. Sed nolumus in limine morari, quin potius, promiſſi memores, ad ipſam Diſſertationem accingimur.

§. 3. Stilum *Eutropii* judicat Vir Cl. eſſe tenuem, eum ſcilicet, qui verbis puris, perſpicuis, dignis, ac ſimplicibus, citra ſolliciti artificii ambages, ac ſine crebriori troporum figurarumque uſu, rem

6 ſeq. ita, uti eſt, exponat. Puritatem illius, quanquam non niſi quarto, poſt Chriſtum natum, Seculo vixerit, tantam tamen eſſe confirmat, ut quatuor ſolum vocabula cadentis Latinitatis veſtigia præbeant, ac duæ tantum, quas non tuto hodie uſurpare poſſimus, loquendi rationes ibidem inveniantur, totidem inſper-

ſpergantur vocabula Græca, Archaismorum vero ac verborum, quæ hibrida dicuntur, nihil. Ita & *Eutropius* ſtudioſus fuit per- §. II ſeq.
ſpicuitatis ac veracitatis, verbis operam dedit honeſtis, æquabilis orationis fuit tenaciſſimus. Neque admiſit quidquam, 13.
quod ſuavitatis leges violare poſſet; ſed omnia enarravit verbis ac ſyllabis, ipſis rebus convenientiſſimis. Denique nec 14.
ornatus plane deeſt ſtilo *Eutropii*, ſed qui ſponte ſeſe obtulit, haud anxie quæſitus. Ad animadverſiones, ipſi contextui ſubjectas, quod attinet, illæ potiſſimum antiquitates illuſtrant, & Criticam produnt. Ita e. g. in notis ad *Lib. II Cap. 4* quatuor illarum leguntur, antiquitatis cognitionem minime proletariam præ ſe ferentes. Una eſt de roſtris. Roſtra fuere in medio Pag. 23.
foro, nihilque aliud, quam tribunal roſtris navium Antiatium ornatum. *Plinius XVI, 4*, ea *ſummum decus fori* appellat. De reliquo omnes ſtatuæ, tam pedeſtres, quam equeſtres, pro roſtris ponebantur. Vid. *Cic. Or. pro Dej. Cap. 12*, & *Plinius XXXIV, 6*. Altera formulam, *ſub jugum mittere*, illuſtrat. Quoties ſcilicet 24.
hoſtes traditis armis deditionem faciebant, Romani duo tigna humi defigere conſueverant, hisque tertium transverſum ſuperimponere, & captivos ſub iſta tigna transmittere, atque liberos ad ſua dimittere. Tertia eſt de aqua Claudia. Roma diu erat ſine aquæductibus, hac vero urbe aucta, cum in collibus, procul a flumine, vitam degerent, aqua quæſita eſt, & per tubos ac canales in fornicibus lateritiis Romam advecta. Hujus *Claudii* mandato in aquæductibus & fabrica erat mirifica, & aquarum ſalubritas prorſus ſingularis; flumina per urbem fluebant, & unaquæque domus habebat fiſtulas ac canales, quibus aqua inducebatur. Vid. *Lipſii* librum *de Magnit. Rom. pag. 445. Operum T. III.* Poſtrema de Appia via. Hæc erat regina viarum urbis Romanæ, Capua ducens, ea latitudine, ut duo currus, ex adverſo obvii, libere poſſent pervadere & commeare. Lapides ſilicei ac duriſſimi in hanc viam advecti erant; hique deinde plani & quadrati redditi jungebantur ita, ut non conjuncti, ſed congeniti, viderentur. Conf. *Procopius Lib. I de bello Gothico*, & alii. In loquendi autem formulis critico oculo luſtrandis atque illuſtrandis

Digitized by Google

Pag. 112. dis autoritatem potiſſimum adhibet *Ciceronis*, *Nepotis*, *Livii*, atque aliorum, neque *Juſtini* repudiavit conſenſum. Ita e. g. ad *Lib. VII Cap. XIV*, *per hæc* idem eſſe ac *propter hæc*, confirmat *Tullii* verbis *Lib. I ad Div. Ep. 4: per legem Papiam id fieri non poteſt.* *Cornelii* fidem una nonnunquam in pagina ter atque
97. amplius excitat, e. g. ad initium *Cap. III Libri VII.* Nec reliqui ipſi ſunt minoris, quod, ſi quidem opus eſſe arbitraremur, plurimis exemplis poſſet oſtendi. At enim de Indice potius duo verba ſubjungamus. In hoc ipſo autem non Latinitas ſolum conſideratur, ſed & verborum copia juvatur, e. g. quando *Eutropius* ait *IV*, 4, *cadere alicui ad pedes*, *Juſtino* id dici additur *genibus alicujus provolvi*, Curtio *genibus alicujus admoveri*, Cæſari *ad pedes alicujus ſe projicere*, &c. Denique Index etiam Geographicus, utiliſſimus ille quidem, fuit adjectus.

VINDEMIOLA LITERARIA, IN QUA Hellas ſub Arcto, ſive merita Suecorum in linguam Græcam, breviſſime & modeſte exponuntur, Autore M. OLAVO PLANTIN, Angermannia-Sueco, B. JAC. STIEGLERI h. t. alumno.

Vitembergæ, apud Sam. Gothofr. Zimmermannum, 1736, 8.
Plag. $6\frac{1}{2}$.

Clariſſimus atque in Hiſtoria literaria verſatiſſimus Autor non de patria ſolum, ſed de Græcis etiam literis, iſta Commentatione præclare meretur. Quanquam enim multa jam, quæ huc ſpectant, hauriri poterunt ex *Schefferi Suecia literata*, quæ cum Præfatione *Jo. Molleri* de meritis Borealium, & adjectis Hypomnematibus, prodiit, item ex *Novis Literariis maris Balthici*, *Holmia literata*, A. 1701 edita, *Dorpato literato*, A. 1698 vulgato, *Aboa literata*, A. 1719 ab *A. Stiermanno* publicata, atque aliis libris; tot tamen hic ſingularia leguntur, ut, hanc lucubrationem luce publica digniſſimam eſſe, maximo jure arbi-

arbitremur. *Duo* vero potiſſimum in *Capita* laborem ſuum diviſit, quorum *prius* nonnulla, ex antiquitatibus Sueo-Gothicis huc pertinentia, continet, *poſterius* autem quatuor linguæ Græcæ in Suecia ætates deſcribit. Hoc quemadmodum verboſius eſt, atque rem præcipue ſpectans; ita etiam indidem nonnihil delibabimus. Prima ætas ſive infantia Græcæ in Suecia linguæ tempus, quo *Guſtavus I* reformationem ſuſcepit, ac proxime illud antecedens, complectitur; ſecunda, ſive adoleſcentia, cum ipſa reformatione, ac proxime illam conſequentibus annis, convenit; tertia, juventus, ſuccreſcentem ſub Regibus *Erico XIV*, *Joanne III*, & *Carolo IX* florem, deſcribit; quarta denique, virilis, ſub *Carolo IX* & *Guſtavo Adolpho* initia ſua ſumſit, & ad noſtra usque tempora viget. Prima ætate inter alios *Guſtavus Trolle*, primarius ſacrorum apud Suecos poſtea Antiſtes, non leviter his literis tinctus fuit. Coloniæ enim uſus eſt inſtitutione *Joannis Cæſarii*, Juliacenſis, explicantis *Erotemata Grammatica pure Græca Chryſoloræ*. Altera ætate commemorandi ſunt *Laurentius Andreæ*, Presbyter Stregnenſis, & poſtea Cancellarius *Guſtavi I*, promotor reformationis inſignis, qui A. 1523 totum Novum Teſtamentum in linguam Suecicam transtulit, ediditque Holmiæ A. 1526, *Olavus* & *Laurentius Petri*, *Nericii* fratres, *Philippi Melanchthonis* atque ipſius *Lutheri* ſeduli auditores, qui pari ratione in ſanctiſſimis literis interpretandis atque convertendis operam ſuam poſuerunt, *Laurentius Petri*, Gothus, in Græca etiam Poeſi verſatus, ceteri. Tertia pariter non defuerunt homines linguam Græcam callentes, id quod vel ex nominibus patet illorum, qui certamini liturgiſtico implicati fuerunt. Quarta demum ætate, cujus ornamenta primario conatu expoſuit Autor; floruerunt *Jacobus Erici*, Holmienſis, primus Græcarum literarum in Upſalienſi Academia Profeſſor, atque omnes potiſſimum non ſolum illius ſucceſſores, ſed & in aliis Academiis, nominatim Dorpatenſi, Aboenſi, Lundenſi, Pernavienſi, Græcarum literarum doctores, quorum omnium nomina percenſuit Noſter. Sed non in Academiis ſaltem delituit Græcæ linguæ cognitio, quin potius ad ipſam purpuram ſurrexit. Am-

 pliſi-

Digitized by Google

plificavit hoc nomine gloriam, qua pollet, immortalem *Chriſtina*, Suecorum illa coronata Pallas. De hac enim ipſa *Joachimus Gerdes*, JCtus Roſtochienſis, in aulam Suecicam accitus, ut Sereniſſimam illam Reginam Græcas literas doceret, referre non dubitat, eam in Græcis exercitatiſſimam fuiſſe, atque in deliciis præcipue habuiſſe Novum Teſtamentum, *M. Antoninum*, & *Epictetum*, ut libri iſti quotidie fuerint menſæ ejus ornamenta. Inde & in ipſius aula certatim congregabantur eruditiſſimi & Græcarum literarum callentiſſimi Viri, *Claudius Salmaſius*, *Petrus Daniel Huetius*, *Sam. Bochartus*, *Gariſtollus*, *Renatus Carteſius*, *Fr. Blondellus*, *Nic. Heinſius*, *Marc. Meibomius*, *Job. Ludolphus*, *M. Merſennus*, *H. Grotius*, itemque *Jo. Freinshemius*, *Jo. Scheſſerus*, *Jo. Loccenius*, hisque plures. Tantum exemplum avide ſectabantur amici & graviſſimi Sueonum regni Senatores. Inclaruerunt eo nomine *Ericus Axelii Oxenſtierna*, *Magnus Gabriel de la Gardie*, *Adlerus Salvius*, *Jo. Krytte*, *Bened. Skytte*, *Scheningus Roſenbane*, *Jo. Lilienſtedt*, *Eduardus Philippus Ehrenſten*, *Edmundus Griepenbielm*, *Ericus Lindskiöld*, *Nicolaus Gyllenſtolpe*, *Matthias Biornblov*, *Otto Guil. Kœnigsmarck*, atque alii plures. Neque extra ſummum hunc Senatum defuerunt generoſi, illuſtres, reverendi, doctiſſimi homines, iisdem qui ſibi in campis præcipuam laudem quæſiverunt, quorum nomina, ut diligenter referuntur, ita & digna videntur, quæ ab harum rerum ſtudioſis in ipſo libro legantur.

DIALOGORUM SACRORUM LIBRI quatuor, Autore SEBASTIANO CASTELLIONE, ut Opus olim recognovit, Argumenta ſingulis Dialogis præpoſuit, & ſententias ſubjecit, ex quibus pueri diſcant officium, hoc eſt, quid imitandum ſit aut declinandum. Acceſſerunt ejusdem S. C. marginales Annotationes. Omnia accurate, collatis primis & antiquis aliisque editionibus, emendavit, & varias lectiones ex iisdem, tum Notas criticas & philologicas, denique nunc

demum

Digitized by Google

demum uberrimum Latinitatis Indicem, addidit, JO. LUDOLPH. BÜNEMANN, Reg. Bibliotb. & Gymn. Mind. Rector.

Lipſiæ, impenſis Sam. Benjam. Waltheri, 1738, 8. Alph. 1 plag. 4.

Qui tam alias, quam nuper etiam, limatiſſima ac nitidiſſima *Lactantii Operum* editione, celebre ſibi nomen acquiſivit Doctiſſimus *Bünemannus*, nova iſta parvi libri publicatione magnum terſæ Latinitatis tironibus præſtitit meritum, præclaram gratiam collegit. Duo propemodum Secula ſunt elapſa, ex quo primum Dialogos iſtos publicavit *Caſtellio*. Illam ipſam editionem tanta ſecutarum copia excepit, ut vix fore putemus, qui certum earundem numerum poſſit inire. Sed, quod ejusmodi libris accidere ſolet, tam negligenter plerumque verſati ſunt editores, ut, non exiguo aliorum incommodo commodo ſuo litaſſe viderentur. Quid? quod nonnulli de recentioribus eo ſunt delapſi iniquitatis, ut non pauca, ipſorum quæ captum ſuperabant, quaſi jure quodam ſuo, mutarent, omitterent, depravarent. Quæ inde reſultant damna, cum perſpectiſſima eſſent Editori noſtro, ut iſtiusmodi vulneribus mederetur, primas præſertim editiones conquirendas eſſe putavit. Omnium primam excudit *Jo. Oporinus* Baſileæ A. 1545, 8. Hujus ut particeps fieret, omnem diu movit lapidem. Cum vero ex *Iſelii* tandem, qua Dialogos iſtos ornavit, Præfatione perſpiceret, ſe etiam nullam ex tribus prioribus editionibus, diligentiſſime quæſitis, invenire aut inveſtigare potuiſſe, fruſtra denique hunc laborem eſſe ſenſit, atque alia, eademque ſimiliter rariſſima, editione contentus fuit, quæ Medinæ apud *Adrianum Gemard* A. 1551 fuit impreſſa. Cum vero hæc Medinenſis adhuc argumentis, annotationibus, margini adjectis, ac ſententiis, ſit plane deſtituta, præterea multas diverſas lectiones ac formulas, aliamque verborum collationem, quam deinde ab anno 1559 ad 1565 editæ contineat, nullum *Bünemanno* eſſe dubium videtur, eam ex prima *Oporiniana* eſſe propagatam. Ut igitur pateret, qua cura atque

atque induſtria illud ipſum Opuſculum poliverit *Caſtellio*, variationes, ex hoc Medinenſi exemplo, ſuo Noſter ſubjecit. Præterea vero contulit quoque non minus raram editionem *Oporinianam*, Baſileæ A. 1559 in 8 vulgatam, quæ quidem ſatis accurata, etiam ſententias & argumenta exhibens, magno ipſi fuit uſui. Editionem Baſileenſem anni 1562 *Caſtellio* adhuc ſuperſtes annotationibus ad marginem locupletavit, cui, teſte *Iſelio*, Baſileenſis A. 1565 accuratiſſime reſpondet, cujus pariter auxilio Vir Clariſſ. ad ſingula verba quam potuit diligentiſſime collatæ, longe plurima in contextu, argumentis, annotationibus, ac ſententiis, correxit atque reſtituit. Neque idem ille Lipſienſes, Bremenſem, ac recentiſſimam Cel. *Iſelii* Baſileenſem, omnino neglexit. Iſtis igitur ſubſidiis abunde fultus, eas ſibi in ipſo libro publicando leges tulit, ut ad editiones, ſuperſtite Autore vulgatas, referret omnia; ut notas, ſemel jam atque iterum commemoratas, contextui, diverſis literarum formis, majoris commoditatis ergo, ſubjiciendas curaret; ut variarum lectionum tantum non omnes, cum inſignioribus recentiorum depravationibus, exhiberet; ut, indicatis *Terentii*, *Ciceronis*, *Livii*, quos, præter ceteros, expreſſerat Autor, aliorumque, locis, erroribus quorundam, ad rariores potiſſimum dictiones quod attinet, mederetur; ſimulque exquiſitiores loquendi formas ex præſtantiſſimo quoque Scriptore & Critico illuſtraret; ut ex Bremenſi editione primarias notas philologicas repeteret, quippe quas, conjectura nixus, ait a Cel. *Matthia Martinio* eſſe profectas; ac tandem, ut primus omnium Indicem Latinitatis locupletiſſimum ad Dialogos illos conſignaret. In hoc ipſo ſæpiuſcule ad *Indicem*, quem vulgavit, *Latinitatis ſelectæ* ex *Sebaſtiani Caſtellionis interpretatione S. Codicis* provocare ſolet, atque etiam, ubi nodus inciderit, vocabula Germanica, perſpicuitatis ergo, adjungere. Ex quibus omnibus facile cognoſcitur, non adoleſcentulis ſolum, ſed doctioribus pariter, inſervire hac nova editione, ſatis nitide, etiam quod ad externum ornatum attinet, excuſa, Doctiſſ. Editorem laudabiliter ſtuduiſſe.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio VIII.

CRONICHETTE ANTICHE DI VARII Scrittori del buon ſecolo della lingua Toſcana.

hoc eſt,

VARIORUM SCRIPTORUM SECULI Italicæ linguæ cultioris Chronica vetera minora.

Florentiæ, apud Dominicum Mariam Manni, 1733, 4. Alph. 1 plag. 17.

D*ominicus Maria Manni*, cui hanc Collectionem debemus, ſelegit Chronica, quæ dicendi genere nitent puro, & hiſtorias complectuntur varias, præſertim vero Florentinas. Præmiſſa eſt quinque Scriptorum, qui hoc *Volumine* continentur, notitia, in qua, ut & in ipſa Chronicorum ſerie, ordinem ducit *Amarettus Mannellus*, ex illuſtri apud Florentinos proſapia Seculo XIV natus, qui adoleſcens ex Italia Valentiam commigravit, &, mercaturæ quamvis ſtudioſus, Epitomen conſcripſit Hiſtoriæ, ab orbe condito usque ad tempora *Zenonis*, Imperatoris, deductæ. Quem fœtum ad res geſtas cognoſcendas nemo fortaſſis facile adhibebit. Redolet enim ætatem, cui major in verbis, quam in rebus, eſt autoritas, ſuamque commendationem ob linguæ uſum habet, non ex diligente Annalium compoſitione. Nam ne monentibus nobis quidem, nec ipſo Editore diffitente, unus-

Digitized by Google

quisque accuratam hiſtoriarum commemorationem, temporum ac locorum, & omnis Geographiæ ac Chronologiæ, curam, deſiderabit, fabellas & commenta communia inveniet. Quæ an ſatis utilitate, in linguæ culturam ex hoc Opuſculo redundatura, compenſentur, facilius iis, quorum hac in re autoritas aliqua eſſe poteſt, credimus, quam judicamus. Sequitur eum *Simon della Toſa*, Seculi XIV Autor, cujus vitam prolixe, qui notitiam Scriptorum præmiſit, expoſuit. Annales condidit ab A. 1115 usque ad A. 1346, præſertim ad res Florentinas ſpectantes, quibus præfixa eſt Conſulatuum ab A. 1196 ad A. 1278 ſeries. Excipit hos Autores alius, incertus tam nomine, quam ætate, Chronicorum conditor, quæ a primo Seculi XIV anno res apud Florentinos geſtas usque ad A. 1479 complectuntur. *Ginus Capponius* agmen collectum claudit binis libellis, *de Ciomporum ſeditione*, & *de captis Piſis*, quos Celeberrimus *Muratorius* in *Tomo XVIII Scriptorum rerum Italicarum* edidit, Collector vero noſter ex Codicibus hinc & inde pleniores recenſuit. De Autore, non eſt, cur addamus multa. *Capponiorum*, dudum Florentiæ dignitate ac rerum geſtarum gloria, *Ginum* vero præſertim meritis ſuis & maximis in republica muneribus, floruiſſe, & a *Muratorio* expoſitum, & ab eo, qui noſtræ Collectioni notitiam Scriptorum præmiſit, ulterius enarratum eſt. Quin & hoc unum ad *Gini* memoriam conſervandam ſufficeret, quod iſte Piſis Florentiam advexerit ingens illud JCtorum idolum, Codicem Pandectarum, quaqua patent Jurisprudentiæ Romanæ fines, celebratiſſimum. *Nerius*, *Gini* filius, *Capponius* patrem & virtutis laude æquavit, & ingenio ſcribendique induſtria & nitore ſuperavit, adeo, ut Collectori noſtro viſus ſit autor libelli *de Piſis captis*, cultiore, quam is, qui antecedit, dicendi genere conſcripti; ut taceamus cetera, quæ in medium attulit, argumenta, quibus *Gino* hunc fœtum abrogat, *Nerio* tribuit. Atque ex his conſtat Collectio noſtra, magis, ut titulus docere poteſt, ſermonem Italicum, quam hiſtorias, juvandi conſilio in hoc *Volumine* comprehenſa.

FASTI ISTORICI DI CREMA, &c.

id eſt,

FASTI

Digitized by Google

FASTI HISTORICI URBIS CREMÆ, verſibus deſcripti, & annotationibus locupletati, quæ inſerviunt hiſtoriæ eidem, Autore JOANNE BAPTISTA COGROSSI, *una cum acceſſionibus Poematum nonnullorum ejusdem, inſcripti Illuſtriſſimo Summeque Reverendo* LUDOVICO CALINI, *Cremæ Epiſcopo.*

Venetiis, typis Modeſti Fenſo, 1738, 8.
Plag. 21½.

Intercedit in limine ſtatim Autor, ſe de executione Decretorum *Urbani VIII*, A. 1625, 1631, & 1634, publici juris factorum, ita ſcripſiſſe, ut fidem habuerit humanam ſcriptis, eam ob cauſam evulgatis, teſtatus, ſeſe de reliquo Eccleſiæ Romanæ morem gerere, prouti deceat filium obedientiſſimum. Cremæ Pag. 2.
natalem collocat in anno æræ Chriſtianæ 570. Urbs ipſa ſecuritatem & pulchritudinem ſuam debet Reipublicæ Venetorum, in cujus tutela adhuc acquieſcit. Aer ibi ſalubris, ingenia hominum ſunt acuta, cives bene morati. Maximam hæc urbs eruditiſſimorum hominum omni tempore copiam edidit. Con- 4.
ditor urbis fertur exſtitiſſe *Magnus Cremeta*, dominus palatii Pignani, qui, florem nobilitatis vicinæ a barbarorum excurſionibus diligenter defenſurus, aſylum elegit inter ſtagna, lacus, fluviosque. Sic *Alemanus Finus* certe tradidit. *Petrus* vero *Gian-* 5.
nonius in *Libro quarto Hiſtoriæ civilis regni Neapolitani* ſecus ſenſit. Ducatum Cremæ adfixere Longobardorum Reges. *Agilolfi*, Regis, dux quidam, judice *Giannonio*, urbis poſuit initia. Excidium oppido pæne intulit *Fridericus Barbaroſſa.* Cum re- 10.
ædificaretur, ſurrexit amplior ac florentior. Factio Guelfica & Gibellinica nonnunquam urbem concuſſit. Cum locus reje- 16.
ciſſet Vicecomitum poteſtatem, parere cœpit illuſtri familiæ *Benzoniorum*, quibus *Franciſcus Soardus*, Bergami dominus, fuit infectus, Gibellinus ipſe. Tumultus tandem illos perosus, tradidit ſeſe Sereniſſimæ Reipublicæ Venetorum. Galliæ Rex, Italiam invadens, eam cepit reddiditque. Templum S. 21.

Digitized by Google

Pag. 24. *Benedicti* cœpit A. 1621 exſtrui, ac intra biennium ad coronidem
perductum fuit, autore *Serafino Verdellio*, Canonico Regulari.
30. Ædes S. *Auguſtini* ex magnitudine operiſque ſtructura fere prin-
cipem tenet locum. Initia ejus incidunt in annum 1642. Vene-
32 ſeq. rabilem *Georgium*, A. 1549 natum, Autor fuſius deſcribit, ejusque
vitam ita exponit, ut eum potiſſime videatur ſuſpexiſſe. Nec
36. omittit vitam P. *Lucretii Borſati*, Cremenſis, Theologi inſignis,
ac Monachi Auguſtiniani, qui *de excellentia Dominarum*
doctiſſime ſcripſit. Subjungit memoriam P. *Joannis Anto-
nii Meli*, Monachi Auguſtiniani, de quo haud dixerat *Ale-
manus Finus* in Opuſculo: *Scelta degli uomini di pregio uſciti
da Crema.* Edidit *Melius* A. 1611 Opus, cui inſcriptio: *Scala*
40. *del Paradiſo.* S. *Caroli* templum eſt exiguum, licet eximium.
— Templum S. *Jacobi* majoris eſt perantiquum, & nuper renova-
49. tum. Celeberrima eſt familia *Caſpari S. Joannis Toſſetti*, quem
generoſiſſimus divitiarum uſus effecit Venetiarum Patritium.
Et quid de reliquis viris magnis, religioſis, illuſtribusque, dicemus,
quorum memoriam gratiſſimus civis merito ab oblivione vindi-
cavit? Cremenſium & Italorum præcipue eſt, heroas ſuos noſ-
ſe. Noſtrum vero eſt, illos æque honoribus juſtis proſequi,
Autoriſque laborem celebrare, qui verſibus admodum politis pa-
triæ ſuæ conciliavit decus, verſibus vero inſignes adjecit illuſtra-
tiones. In numero Carminum, quæ ſubjecit, eminet *Templum*
275. *immortalitatis.* Titulus hic eſt Panegyrici, in *Proſperum Valma-
ranam* elegantiſſime dicti. Diligentiam peræque ſpirat *Ecloga*,
ſermone, partim Italico, partim agreſti Cremenſi, deſcripta, in
Academiæ cujusdam conſeſſu recitata, qua oſtenditur, cedere
id majorem in gloriam Virgini Deiparæ, quod conceptio ejus
immaculata ſit a Sede Apoſtolica tandem deciſa. Subdidit in
319. calce Latinum quoque hoc Epigramma:

Dum Superum ſummus Reginam ex ſede Sacerdos
Primævæ culpæ non ſine labe probat;
Virginis intactæ cauſam ſermone tuentur
Suggeſtus calamis, ingenioque ſcholæ.
Magnus honor, fateor; verum quam maximus eſſet,
Si Romæ intactam promeret ore Caput!

Ex-

Ergo iterum dicam: decor hic quam maximus eſſet!
Illum dant homines, hunc daret ipſe Deus.

Entwurff einer Hiſtorie der Pfaltz-Grafen zu Sachſen, &c.
hoc eſt,

CONSPECTUS HISTORIÆ DE COMITIBUS Saxoniæ Palatinis, inde ab eorum origine usque ad tempora Friderici Bellicoſi, in quo ſeries & expoſitio ipſorum ex Diplomatibus & probatiſſimis Scriptoribus affertur, ac præterea multi alii eventus hiſtorici Germanici Imperii, Saxonici, ac Thuringici, illuſtrantur, una cum Tabulis genealogicis, ac Figuris æri inciſis.

Erfurti, apud Caroli Frid. Jungnicoli hæredes, 1740, 4.
Alph. 1 plag. 10, Tabb. æn. 3.

Numos aliquot & Sigilla Operi præmiſit Autor, nondum compertus. Tractatio ipſa *Capitibus novem* conſtat. Comites Palatii a Comitibus Palatinis ſtatim in limine diſtinguit, utrosque autem in eo convenire dictitat Autor, quod ipſi fuerint tanquam Vicarii Imperatoris, ac ſummi judicis munere ſint functi. Imperatorum Saxonicorum ævo id muneris credit fuiſſe majoris autoritatis, quam habenas capeſſentibus tractantibusque Imperatoribus, e *Carolo Magno* ortis progenitisque. Ordina- Pag. 2.
tionem pervetuſtam de officio Comitum Palatinorum exhibuit *Goldaſtus Tomo III pag. 403*, ac poſtea *Thulemarius de Octoviratu Cap. XVIII §. 7*, quam vero Autor exiſtimat minus genuinam. *Carolus M.* permiſit, Saxones ut legibus patriis & libertatis honore gauderent, quo ex fundamento geminum in Germania jus vigere cœpit, Saxonicum & Francicum, ſiquidem terræ Germa- 3.
niæ in regiones juris Francici & Saxonici diſtribuebantur. Recentiores nonnulli habent *Albionem* pro Comite Palatino primo. At deſunt argumenta, ad fidem faciendam apta. Ipſe autem Autor *Trutmanno* hoc honoris tribuit, Vicariis & Scabinis quippe per Saxoniam præfecto. At Diploma, quod affert, labo- 4.

rat, ſiquidem ei æra incarnationis Chriſti eſt ſuffixa. Comites
Palatinos exſtitiſſe imperantibus Carolingis, arbitratur quidem,
Pag. 8. at exemplum nullum profert in medium. *Sigebertus Gembla-*
cenſis ad A. 934 tradit, *Arnoldum*, Comitem Palatinum, interfuiſſe
prælio, ab *Henrico Aucupe* cum Hunnis commiſſo. *Sigfridum*
pro primo Comite Palatino per Thuringiam orientalem & ſe-
ptentrionalem habet. Marchiam ſeptentrionalem opinatur ex-
9. ſtitiſſe Thuringiam borealem. Fuit *Sigfridus Henrici Aucupis*
gener per *Juttam*, ex *Hatheburga* natam. Id ſatis indicat *Witte-*
chindus Corbejenſis pag. 643 Tomo I Meibom. Juttæ nomen dilucet
10. ex Diplomate, quo fundatio Cœnobii Weſtergroningen perſcri-
pta fuit. *Sigfridum* hunc *Theodorici*, Comitis Ringelheimenſis,
11. exſtitiſſe filium, vulgo narrant. At veteres Scriptores illam Ge-
nealogiæ particulam neſciunt. *Sigfridus* adminiſtravit Saxo-
niam *tanquam legatus Regis*, teſte *Wittechindo l. c.* An autem
illa procuratio vicaria Saxoniæ ſit Comitatus Palatinus, dicere
non audemus. Comitatum ipſe *Sigfridus* in pago Hosgawe ad
12. Merſeburgum poſuit. Legatio Comitatus Saxoniæ, *Sigfrido* ex-
ſtincto, ceſſit Comiti *Geroni*, licet eam *Tancmarus* expetiiſſet.
Gero exſtitit Dux, & Marchio, circa Brandeburgum, ipſiusque
precibus novimus *Ottonem I*, Imperatorem, eſſe permotum, ut
13. inibi Epiſcopalem ſedem conſtitueret. Negat Autor, *Geronem*
fuiſſe Marchionem Luſatiæ, ſeu Orientalem. Dux fuit, at non
16. Brandeburgi, ſed Sorabici limitis & Thuringiæ. *Otto I* ei
hunc Ducatum commiſit. Succeſſit ei in Thuringia ad-
modum ſpectabilis ſeries, quam Autor ſeſe eſſe expoſiturum
17. promittit. Cum *Gero* & *Hermannus Billingicus* crearentur Du-
ces, Comites Palatini ab hiſce ſatis diverſi conſtituebantur.
Athalberoni Comitatus Palatinus Saxonicus ea ætate ceſſit. Id
pateſcit ex *Tancmaro* in *Vita Berwardi*. Ex filia *Athalberonis*
ac *Diterico* fuit *Berwardus*, Epiſcopus Hildeshemenſis, in lu-
cem editus. *Ditericum* illum, & filium *Tammonem*, exſtitiſſe Co-
mites *Sommerſeburgi*, nobis non fit veroſimile. Hildeneshemii
ipſos egiſſe vitam, nulli dubitamus. *Adelbertus*, Comes, A. 961
ex feudo Regis tenuit Comitatum in pago Northuringorum in
18. locis Cunnunſtedt, Flahtangen, Waſſeresdal, & Adinga, Magde-
burgo

Digitized by Google

burgo adjectis. *Adalwertus*, *Bernhardi* & *Helinburgis* filius, *Unwani* nepos atque *Giſelæ*, eam circiter ætatem fuit ſat notus. Ex eo Comites Aſcanienſes deſcenderunt. Autor ſuſpicatur, *Adelbertum* illum ab *Adalberone* haud diſcrepaſſe. *Bionem Athalberonis* exſtitiſſe filium & ſucceſſorem, arbitratur. Comitem ipſum fuiſſe Merſeburgenſem, omnino conſtat. Comitatum illum fuiſſe Comitatum Palatinum, Autor adjungit. *Bio* ſeu *Binizo* A. 986 in expeditione Bohemica occubuiſſe fertur. *Bioni* ſucceſſit in Comitatu Merſeburgenſi *Eſico*, quem Autor pro *Athalberonis* filio, ac *Bionis* fratre, habet, inductus *Ditmari* teſtimonio, qui *Eſiconem* vocavit *Lib. IV pag. 63 confratrem Theoderici*. *Burchardum*, Comitem Palatinum, norunt omnes. *Sigfridus* eum excepit, A. 1038 defunctus. Fuit ipſe frater Epiſcopi Mindenſium *Brunonis*. *Dedonem* A. 1040 utrumque Comitatum Palatinum fuiſſe nactum, credit Noſter. *Capite* hinc *tertio* expoſuit de Comitibus Palatinis Saxoniæ, intra occidentalem ac auſtralem Thuringiam verſatis. Eos enim, quos recenſuimus, Thuringiæ ſeptentrionali ac orientali adſcribendos opinatur. *Geronis* tempore, Merſeburgici Comitis Palatini, *Hermannum Billingum* per Saxoniam inferiorem Comitatui Palatino præfuiſſe, autumat idem. Ipſe *Hermannus* an fuerit *Billingi* filius, Noſter admodum ambigit. Id vero ex *Adamo Bremenſi* eſt certum *Lib. II Cap. 4*, ab *Ottone*, Imperatore, *Hermanno* vices præfecturæ fuiſſe commiſſas. Vicariam itaque Saxoniæ rectionem & ipſam procurationem Autor pro munere Comitis Palatini reputavit, inductus præcipue egregio teſtimonio *Conradi Bothonis Tomo III Leibn. pag. 22*, qui procurationem illam ita deſcripſit: *da begann ihn der Kœnig machen zum Schultheiſen über alle das Land.* In Saxonia inferiori præterea exſtitiſſe Comites Palatinos, Autor ſuſpicatur. Nec nobis ſit vero abſimile, Hildeneshemii quondam Palatium Comitivæ regium exſtitiſſe. *Bernwardus*, Epiſcopus, ibi fuit natus, teſte *Compendio vitæ ejus pag. 481 Tomo I Leibn.* & quidem ex filia *Athalberonis*, Palatini Comitis Saxoniæ. Patrem ejus *Tancmari* Teutonicus vetuſtus interpres vocavit *Thidericum*. Cel. *Harenbergius* ſuſpicatur in *Hiſt. Gandersh. pag. 173*, *Didericum* hunc exſtitiſſe *Immedi* tertii filium. Merito in illa

(Margin: Pag. 19. / 22. / 23. / 29. / 34. / 35. / 36. / 38.)

Pag.39. illa ſuſpicione aliquid incerti annotavit Autor, ſiquidem *Harenbergius* ipſe, re curatius perpenſa, *pag. 1545* ſententiam illam dereliquit. Convertimus nos ad Tabulam Genealogicam, quibus Autor genus *Wittechindi Magni* delineavit. Omiſit in ea *Theoderici*, Epiſcopi, fratrem, hujusque filium, *Eberhardum*. *Immedos* tres ſtatuit. *Athelam*, *Meinwerci*, Epiſcopi Paderbornenſis, ſororem, appellat Monialem Elbinenſem, quæ *Eltinenſis* fuerat dicenda. *Immado I* tribuit liberos *Sibethum*, *Einboldem*, Abbatiſſam Ringelheimenſem, *Immadum II*, & *Volckwardum*, ſecutus *Joannem Georgium Eccardum*, cujus fuiſſet, Diploma illud Ringelheimenſe prorſus repudiare, cui hæc innituntur. *Tammonem*, *Bernwardi*, Epiſcopi, fratrem, exſtitiſſe Comitem Palatinum *Sommerſeburgi*, ut credamus, non poſſumus a nobis impetrare. Comes enim Palatinus nuſpiam vocatur. Paternum ipſi fuiſſe caſtellum *in Sommerſeburc*, legimus in *Tancmaro*. At locus ille eſt corruptus, & indubie ſubſtituendæ ſunt voces *in Hildenesheim*. At nolebant olim Epiſcopi, in oppido hoc unquam Comites ſediſſe Regum; & nos nolumus jam ſingula ad vivum reſecare. Quendam *Theodericum* exſtitiſſe Comitem Palatinum, haud inficiamur, qui A. 995 obiit, fratrem *Sigeberti*. At, num hic fuerit pater *Bernwardi*, Epiſcopi, haud immerito quærimus.

47. Miramur, pagum *Lisgewe* ab Autore dici incerto eſſe ſitu, cum villæ hujus pagi inde a Stauffenburgo ad Poledam usque ad radices Hercinix auſtrales jaceant, & Ven. Abbas *Gothfredus* ſatis recte fuerit aſſecutus. Locum *Lieſchau*, Halis Venedorum vicinum, huc trahere formidamus. *Mundburgum*, caſtellum in ripa Aleræ fluminis ſitum, Autor habet pro Sommerſeburgo. At ripa Aleræ a Sommerſeburgo ſatis eſt dijuncta. Ipſe verba, in *Chronico Montis Sereni* legi ſolita: *Monarchiam Palatii promeruit*, exponit de poſſeſſione utriusque Comitatus Palatini. Non eſt, quod de Comitibus Palatinis Gozecenſibus ac Sommerſeburgicis, *Alberti de Seveke* poſteris, multa repetamus. *Capite quinto* Autor diſſeruit de Comitibus Palatinis, quibus *de Putelendorf* nomen adhæſit. Quod vero ipſe in ea fere eſt opinione,

88. *lendorf* nomen adhæſit. Quod vero ipſe in ea fere eſt opinione, *Sigfrido*, Comiti Bomeneburgico, poſtquam *Fridericus*, Sommerſeburgicus, A. 1120 defunctus, A. 1115 dignitate ſua fuerat a

103. merſeburgicus, A. 1120 defunctus, A. 1115 dignitate ſua fuerat a Cæſare

Cæſare exutus, obtigiſſe Comitatum Saxoniæ Palatinum, in eo fidem ejus & argumenta ſatis valida deſideramus. Diploma enim *Paſchalis*, Epiſcopi Romani, quod *pag. 104 ſeq.* attulit, notisque illuſtravit, eſt fictum & falſum, in quo quippe *Hermannus*, Archiepiſcopus Colonienſis, habetur pro *Henrici Pinguis* Northeimenſis filio, quod per Chronologiam ſtare haud poteſt, quemadmodum Cel. *Harenbergius* in *Hiſt. Gandersh. pag. 1467* oſtendit. *Sigfridus* inibi vocatur *ab Hetfelde*, more prorſus inaudito. *Cunigunda*, *Cunonis*, Comitis Beichlingenſis, uxor, ibidem appellatur *Duciſſa Sueviæ*, cum tamen eſſet filia *Ottonis*, Comitis Orlemundani. *Idam*, *Cunigundæ* filiam, exſtitiſſe *Marchioniſſam Bavariæ*, quemadmodum inibi legitur, eſt falſiſſimum. *Luchardin* ex Comite Winceburgico *Hermanno* ultimo tres genuiſſe filias, ipſe quidem perhibet Autor, at fide Autorum juſtæ ætatis deſtitutus. Quare *Fridericus II*, Comes Palatinus Sommerſeburgicus, debuerit uxorem *Ludchardem* dimittere ob arctiorem conſanguinitatis gradum, Autor quidem reperire haud potuit; at nobis id ſatis in expedito eſſe videtur. Pater enim *Friderici II*, *Fridericus I*, *Idam*, ſororem *Ludchardis*, in matrimonio habuit, ut adeo minus videretur legitimum, ſorores duas a patre & filio uxores fuiſſe ductas. *Alberto*, ultimo Comiti Palatino Sommerſeburgenſi, fuiſſe ſororem *Adelheidam*, Abbatiſſam Quedlinburgi & Gandershemii, novimus. Id vero nobis videtur incredibile, ipſam vendidiſſe Comitatum Sommerſeburgicum *Wigmanno*, Archiepiſcopo Magdeburgico, cui & *Henricus Leo* paullo poſt Sommerſeburgum tradiderit. Utrumque infra fidem eſt. *Adelheida* non niſi allodia potuit vendere. Sommerſeburgum vero nati ex *Henrico Leone* adhuc A. 1203 ſibi vindicarunt, ac ad poſteros ſuos partem Sommerſeburgici Comitatus, nempe oppidum ac præfecturam Scheningæ, transmiſerunt. Monendum nobis porro eſt aliquid ad *Henricum Leonem*. Autor de eo ſic differit: *Henricus Leo Comitatum Palatinum Saxoniæ uſurpavit, juſto titulo haud poſſedit.* Verum id nobis videtur minus firmum. *Ludovicus* enim, Landgravius Thuringiæ, loco *Adelberti de Sumerſinburc* Comitatum Palatinum obtinuit, teſtibus *Annalibus Boſovienſibus ad A. 1180 pag. 1020 Tomo I Ec-*

Marginal references: Pag. 105 (beside "Archiepiſcopus Colonienſis"); 106 (beside "quemadmodum Cel. Harenbergius"); 107 (beside "Idam, Cunigundæ filiam"); 111 (beside "Luchardin ex Comite"); 117 (beside "Palatino Sommerſeburgenſi"); 133 (beside "Autor de eo ſic differit").

cardi, *Monacho Pegavienſi pag. 264 ed. Maderi*, *Chronico montis ſereni pag. 45*, ac Diplomate *Friderici Barbaroſſæ*, quo *Henricus Leo* A. 1180 fuit proſcriptus. Anno autem 1181 ea dignitas in *Hermannum*, *Ludovici* fratrem, fuit translata, eique conſtanter inhæſit, teſte *Arnoldo Lubecenſi Chron. Slav. Lib. II Cap. 34 pag. 650, Cap. 36 pag. 652, Cap. 30 pag. 647, Tomo II Leibnitii*, ac Diplomate *Friderici*, Imperatoris, ad A. 1183, apud Illuſtrem *Joannem Petrum de Ludewig Tomo X Reliqu. pag. 153.* Conf. *Thuringia ſacra pag. 96 ſeq.* & *100.* Tantum abeſt, ut dignitas Comitatus Palatini Saxoniæ contineatur in Ducatu *Henrici Leonis*, ejusque ſucceſſorum. Id autem haud inficiamur, *Ludovicum*, Landgravium Thuringiæ, ab *Henrico Leone* anno adhuc 1180 fuiſſe captum, ac tunc videri eo adactum, ut Comitatui Palatino renuntiaret.

Pag. 137. Homines *miniſterialis conditionis* nec fuiſſe ingenuos, nec liberos, luculento Autor Diplomate demonſtravit.

151. Dignitatem Comitatus Saxoniæ Palatini fuiſſe feudum maſculum,

157. idem oſtendit. *Henricus Illuſtris*, Marchio Misniæ, eodem aſ-

161. ſerente, Comes Saxoniæ Palatinus fuit appellatus. Ipſe terras

164. ſuas diſtribuit bipartito inter filios *Albertum Degenerem* & *Theodericum*, quorum uterque ſeſe *Comitem Palatinum Saxoniæ* appellavit. Stetit in poſteris ipſorum dignitas hæc ad tempora ſatis diuturna. *Henricum Mirabilem*, Ducem Brunſuico-Luneburgicum, ſeſe vocaſſe Comitem Palatinum in Diplomate unico,

203. vulgo ajunt. Nemo autem illud recte expendit, vel vidit. Id tamen luce ſua radiat Diploma, quo *Henricus*, Dux, A. 1304 judicium inſtar Comitis Palatini ſe egiſſe ſignificavit, uti quidem dixit, *autoritate judiciaria a Rege Romanorum conceſſa.* At hoc eſt ineditum. Ne vero opinemur, *Altſtedium* Comitatui Palatino nunquam non innexum fuiſſe, obſtat varietas poſſeſſorum, qui Altſtedium tenuere. *Carolus IV*, Imperator, *Bernhardo*,

225. Principi Anhaltino, Marchiam conceſſit Landesbergenſem, Comitatum Saxoniæ Palatinum, Kyphauſen & Allſtedt, A. 1348 Vitebergæ in ſede *Rudolphi I* Electorali. *Rudolpho II*, in Electoratum ſuccedenti, idem *Carolus* A. 1357 in feudum dedit non ſolum Saxoniæ Ducatum, Comitatum Saxoniæ Palatinum, ſed

229. etiam Archimareſchallatum Imperii, & *omne jus devolutionis*

Ducatus

Digitized by Google

Ducatus Lunemburgenſis. Titulis hiſce uſam eſſe domum Saxoniæ Electoralem Anhaltinam, quoad ipſa A. 1422 in *Alberto III* fuit exſtincta, Autor operoſe docet. In Addendis numos bracteatos aliquot vindicat Comitibus vetuſtis Palatinis Saxoniæ, Pag. 243. quos *Jo. Georgius Eccardus* in *Erklærung eines Kleinodien-Kæſtleins* tribuere ſtuduerat Ducibus Brunſuico-Luneburgicis, eorumque majoribus. Vix inficiari audemus, ipſum majori probabilitate inſtruxiſſe expoſitionem, quam fecerat *Eccardus.* In præſens vero illud *Virgilii* acclamamus Autori:

Tu modo promiſſis maneas!

LETTRES MORALES ET CRITIQUES
ſur les differens etats & les diverſes occupations des hommes.

id eſt,

EPISTOLÆ MORALES ET CRITICÆ
de differentibus conditionibus diverſiſque occupationibus hominum, Autore Marchiſio D'ARGENS.

Amſtelodami, ſumtibus Michaelis Caroli le Cene, 1737, 8.

Plag. 16.

Solent noſtræ ætatis homines, excelſiori loco nati, libellis Gallicis legendis multum temporis conſecrare, quos eo diligentius verſant, quo longius a ſolida abſunt eruditione, ne quid ipſis deſit elegantiæ & judicii de rebus quibuscunque ferendi. Licet vero plerique ejusmodi libellorum architecti ſuarum partium eſſe ducant, de religionis Chriſtianæ capitibus levius ſentire, & Indifferentismum, ni Deismum, triumphali pompa introducere; Noſter tamen, libris aliis dudum famam haud mediocrem conſecutus, ſatis habet, nævos & vitia hominum diverſæ conditionis falſe & perſpicue oſtendiſſe. Id vero ei eſt ſingulare & eximium, quod Regem Galliarum *Ludovicum XV* & Purpuratum Romanæ curiæ Patrem, primarium ſtatus publici Gallorum adminiſtrum, *Fleurium*, elogiis utique multis ſuperiorem,

riorem, regnoque ſui Regis utiliſſimum, haud immerito prædi-
cat, laudibusque ad cœlum tollit, Jeſuitis eſt benignior, a Janſe-
niſtis averſus, diſſenſionibus Theologorum inimicus. *Epiſtolis*
XXVI abſolvitur Opuſculum univerſum, nobiliſſima libertate
plenum, in qua dominatur illa cautio, ut parcatur perſonis, de
vitiis vero candide exponatur. *Epiſtola prima* diſſerit de am-
bitionis mancipiis, ac de hominum nævis generatim. *Secunda*
enarrat miſeriam, quam rerum domini, iique, qui cum imperio
ſunt, ſibi facillime arceſſere ſolent, eorumque delineat felicita-
tem bracteatam. Regem, ſuo officio recte fungentem, credit
expoſitum eſſe audiendis dirimendisque querelarum turbis. Si
is vero cupiditatum minus moralium ſit ſervus, lernam malo-
rum ingruere docet. Viciſſitudines enim regnorum funeſtæ
originem trahunt ex deſpotismo & Principum credulitate. *Hen-*
Pag. 18. *rici IV*, Galliarum Regis, modum regnandi laudat. Oſtendit,
quanta calamitas naſcatur in regnis ex adminiſtrorum ſummo-
rum nævis. Adulatores a ſedibus Principum procul eſſe jubet,
19. fontes miſeriæ omnis. Longus eſt in exponendis ærumnis at-
que incommodis, quæ ex fœminis in regnum inductis, vel
clanculum accitis, naſci ſolent Regibus. Si enim Principes Ve-
neri minus legitimæ litant, miniſtri id vitæ genus imitantur, &
ſceptrum in manus amicarum Regis primorumque Conſiliario-
rum, libidinibus ſuis benignorum & indulgentium, transfertur.
22. Is, qui Regis eſt a confeſſionibus ſacris, haud æque metuendus eſt,
24. ac Regis amica una & altera, ſi Noſtro fidem habemus. Diffi-
cile eſt præterea, ut Princeps nec ſuperſtitioni nec irreligioni ſeſe
dedat. Superſtitio enim crudelitatem invehit, & clavum regni
Theologis tradit, ob diverſitatem ſyſtematum doctrinæ plerum-
que digladiantibus, ac opprimentibus partem infirmiorem. Sua-
26. det Autor Regibus, ut primas dent prudentiæ, juſtitiæ, & æqui-
tati, eaque via nomen ſuum maxima cum gloria ad omnes Se-
culorum decurſus venerabile transmittant. Ut evitetur immen-
27. ſa acquirendi gloria, proponit *Caroli XII* exemplum. Ut fe-
28. liciter tractetur regni moles, commendat exempli loco *Henri-*
cum IV & *Ludovicum XV*, Galliarum Reges. *Epiſtola tertia* ad-
miniſtrorum regni virtutes & vitia exponit. *Quarta* in notan-
dis

Digitized by Google

dis aulicorum Miniſtrorum nævis verſatur. *Quinta* ad vivum Pag. 39.
reſecat nævos magiſtratuum, ac ſalibus perſpergit venalitatem munerum publicorum, in Gallis, uti ipſe refert, frequentiſſimam. Comparat magiſtratus, pretio munia emercatos, cum 41.
medicis novitiis ac inexpertis. *Sexta* notat infortunatam ple- 48.
rorumque eruditorum conditionem, ſiquidem ipſi plerumque ſolent eſſe egentiores minusque nummati. Exempli loco commemorat famoſum Gallum, quem *Patru* vocant, de quo, ni bene *Nicolaus Boilavius* meruiſſet de ipſo, penitus fuiſſet actum. Miratur, haud exſtare martyrologia literatorum infeli- 51.
cium, e. g. *Crebillonii, Corneliorum, Raciniorum. Midæ* ſucceſſores onerantur opibus, *Sophocles* & *Homerus* contra egent æris cum Rege Cappadocum *Horatiano.* Vix fere ferendum videtur, eis, qui ægre penſionem annuam a Mecænate obtinent, adu- 54.
lationibus ſtudendum eſſe, ne vetentur alienas lambere quadras.
Septima Epiſtola delineat ſemieruditorum characterem, qui in- 57.
vidia laborant, litibus turgent, & ob auri ſacram famem libellos extrudunt venales. *Octava* exaggerat mulierum vitia; *nona* in eis palliandis & refellendis eſt multa. In utraque dominantur loci topici. Evnuchos, ſua ipſorum crudelitate factos, repudiat, *Origenem*que in numero eorum ponit, famæ plus litans, quam demonſtrationi hiſtoricæ. Doctores umbraticos, quos 83.
Galli vocant *Petits-Maitres*, molliculum imitatorum pecus, perſtringit *decima Epiſtola.* Perplacuit *undecima*, vanitati homi- 89.
num, qui novellis fingendis ſunt dediti, resque totius terrarum orbis compertas ſibi habere videntur, inſerviens caſtigandæ. Comicas artifices ſcenarum irridet *decima tertia* tam facete, ut ſtultitia & futilitas earum haud videatur expoſita, ſed vivis coloribus depicta. *Decima quarta* diſſerit de morte heroum hominumque 113.
magnorum, at minori, opinamur, gloria, ſiquidem *Scipionis*, qui ferro ſeſe transverberavit, ne in hoſtium veniret poteſtatem, fortitudo & conſtantia celebratur cum Stoico *Seneca.* Cum vero 114.
genus modusque mortis animusque morientium ſæpius ſit extra decedentis poſitus poteſtatem; utique haud eſt neceſſum, ut ex eo de meritis ſummorum virorum feratur judicium. *Benedicti Spinozæ* mortem tranquillam, vitamque jucundam, admiratur. 120.

Digitized by Google

Joannis Lockii exitus placet magis. *Decima quinta* nævos Philoſophorum egregie fricat. Theologis objectat crudelitatem & ſtudium vitilitigandi, Oratoribus ſeditiones, Hiſtoricis fictiones Pag. 140. & falſa, Monachis ſuperſtitionem, Criticis ſudores de nihilo, Poetis mendacia & adulationes. Et quis eſt, quem virgula cenſoria hic non tangat?

STEPHANI BLANCARDI LEXICON medicum renovatum, in quo totius artis medicæ vocabula uſitata breviter & dilucide explicantur. Recenſuit, aliquibus locis auxit, pluribus emendavit, JO. HENRICUS SCHULZE, D. Medicinæ, Eloquentiæ, & Antiquitatum, Profeſſor in Regia Fridericiana. Editio tertia.

Halæ Magdeburgicæ, ex officina Fritſchiana, 1739, 8.
Alph. 1 plag. 9.

Fuit huc usque *Blancardianum* Lexicon in tironum fere omnium manibus, & noviſſime apud Batavos A. 1735 aliquantum auctius prodiit. Recentiſſimam hanc inprimis editionem Cel. *Schulzius* tractavit, liberrimeque cum ea egit, cum in augendo limandoque Opuſculo, iteratis librarii precibus expugnatus, aliquam operam collocaret. Omnem itaque curam eo convertit, ut mutaret alia, alia reſecaret, plurima novis acceſſionibus augeret. Quo ſtudio libellus novam veluti formam induit, & ultra alteram partem amplificatus, in manus hominum redit. Ubique tamen, pro ſuo ingenii acumine, Cel. *Schulzius* finem ſuum reſpexit. Is vero fuit, non ut earum rerum, quæ ad Medicinam pertinent, omne argumentum excuteret, ſed ut vocum tantum notiones breviter diſtincteque enuclearet, quoad illam expoſitionem uſus tum tironum Medicinæ, tum illorum etiam, qui aliis ſtudiis dediti, ſubinde in medicæ doctrinæ proprios terminos incidunt, eorumque vim cognoſcere cupiunt, poſtulare videbatur. Quæ igitur is in refingendo libello præ-

Digitized by Google

præſtiterit, paucis commemorabimus. Primo interpretationes vocabulorum Gallicas omiſit, ratus ſcilicet, ſatis eſſe, ſi libello huic, fines Germaniæ non facile tranſituro, vernaculæ denominationes adjicerentur. Deinde etiam expunxit, ſi qua res, ut ſæpius accidit, bis vel ter ſub diverſis nominibus, quæ eandem rem denotant, eſſet repetita. Cum multa etiam fuſius, quam in Lexico conveniebat, planeque διεξοδικῶς, præcipue quæ ad Anatomiam, Phyſiologiam, & Therapiam, pertinent, explicata inveniret, ut in libris potius, omnem cujusvis diſciplinæ ambitum complexis, quam in libello, vocum explicationem promittente, quærenda eſſent, de iis contrahendis cogitavit. Rerum præcipue Botanicarum ampliſſimas reperit deſcriptiones, quæ ex prælectionibus *Bærhaavenii* videntur eſſe deſumtæ, quibus, cum non facile ſuccurreret, quid eſſet demendum, ſtatuit, pleraque relinquenda eſſe integra, niſi de rebus vulgatiſſimis, ut quercu, piro, pomo, &c. ageretur, in quibus commode quædam poſſe tolli judicabat. Aliqua etiam, quæ in officinis medicis non habent locum, exterminanda putavit. Imo, ſi vel maxime quædam in deſcriptionibus iſtis viderentur ſuſpecta, tamen, cum deſtitutum ſe apparatu Botanico fuiſſe fateatur, pleraque ita relinquere, quam, de quibus non exactiſſime ſibi conſtaret, mutare, maluit. Aberrationes in ſcriptione vocum, præcipue Græcarum, diligenter emendavit, providitque, ut omnia recte exprimerentur. Singula vocabula ad analogiam artis Grammaticæ revocaturus, prorſus vitioſa ſuſtulit, & rectiora ſubſtituit, aut, ſi nimis ea uſitata & recepta eſſent, non ſine animadverſione retinuit. Ut certum eſſet, quæ ſyllabæ in pronuntiando elevari, quæ deprimi, debeant, Græca inprimis adjecit. Ceterum inſertos hic videas complures integros Articulos, ut Arcanum duplicatum, Caſcarilla, Pareira brava, Cajeput, Cochia, Arnica, aliaque plura. Pleraque vero acceſſerunt Articulis, qui jam in Lexico, ſed manci admodum & imperfecti, exſtiterunt, quod augmentum comparatis diverſis editionibus facile patebit. Interim ipſe conſpectus ſatis oſtendit, Articulos, qui ad materiam medicam, & præcipue ad Botanicam, referuntur, reliquis omnibus pal-

mam

Digitized by Google

mam præripere; quanquam in iis utplurimum externus tantum habitus, & alia, quæ naturalis Hiſtoria ſuggerit, rarius elementa, per analyſin chemicam, vel alio modo, eruta, enarrentur, rariſſime virtutes medicæ attingantur. In morborum deſcriptione eorum definitiones atque diviſiones, & ſigna præcipua, proponuntur, rarius ſimul cauſæ aut eventus notantur, nunquam medendi methodus ſubnectitur, quam nemo etiam in Lexico ejus generis requirat. Quod ſupereſt, Celeberrimum & de omni Medicina meritiſſimum Autorem enixe precamur, ut, quam in Præfatione pollicetur, *Olai Borrichii Linguam Pharmacopæorum*, multo auctiorem, & ad omnem Grammatices legem magis exactam, ac, quam eidem ſubjungere decrevit, Linguam Anatomicorum, & forte etiam Chirurgorum, proxime revocet ad prelum, cum & noſtra tempora ejusmodi Indicem antibarbarum poſtulent, literatiſſimumque Virum labori huic præ multis aliis parem eſſe, ex permultis præclarisque documentis jam ſatis intelligatur.

ENCHIRIDION ALCHYMICO-PHYSIcum, ſive Disquiſitio de Menſtruis univerſalibus, vel Liquoribus Alcaheſtinis Philoſophorum, illorumque æque ac tincturæ Lapidis Philoſophorum, nec non viarum, ad tincturam metallorum ducentium, diſtinctam cognitionem generatim ſuppeditans, &c. adornatum atque editum a RUD. JO. FRID. SCHMIDIO, Med. D. & Practico.

Jenæ, ex officina Buchiana, 1739, 8.

Plag. 11.

Amor Chemiæ ſecretioris, quanquam noſtro tempore nimium neglectæ contemtæque, Doctiſſ. Autorem incitavit, ut in gratiam tironum componendi hujus libelli conſilium ſuſciperet. Quamvis enim ingenue fateatur, ne ſibi quidem ipſi perfectam Alchemiæ cognitionem, adeoque nec ejus aliis tradendæ facultatem & vires, eſſe; nefas tamen putavit, quæ intelligit, & memoria comprehendit, aliis invidere, omnia

ea

Digitized by Google

ea ſilentio præteriturus, quorum recenſionem ſua, ut ipſe ait, ignorantia, aliæque rationes, prohibuerunt. Hiſtoricam igitur tantum & generalem Alchemiæ notitiam tironibus pollicetur, ſine qua, ipſe ſuo damno expertus eſt, multum temporis, ſumtuum, & laborum, præter alia incommoda & pericula, in cultura hujus artis fruſtra conſumi. Neque is male ſcopo ſuo ſatisfeciſſe, &, quæ in Chemicorum libris obſcure, ut vulgo notum eſt, & confuſe disjecta reperiuntur, bono ſatis ordine, & explicate, ad faciliorem intelligentiam, ediſſeruiſſe nobis videtur, quando in præſenti ex vaſto artis ambitu menſtrua, ut vocant, univerſalia, ſibi exponenda delegit, ea tamen ipſa occaſione nonnulla alia, quæ huc pertinent, momenta ὡς ἐν παρόδῳ attigit, ut ſaltem qualemcunque hiſtoricam laborum Alchemicorum notitiam exinde a tironibus hauriri poſſe exiſtimemus. Conſtat libellus *ſedecim Capitibus*. Initio Autor etymologiam, ſynonymiam, & diviſiones, itemque definitionem, menſtruorum univerſalium exponit, quarum hæc poſtrema, quoniam ſummam præcipuorum momentorum, quæ toto volumine fuſius atque enucleatius explanantur, continet, ipſis Autoris verbis hic a nobis excerpetur. Ait vero ille, *menſtruum univerſale eſſe liquorem, arte chemica productum, ſalino-ſulphureum, concentratiſſimum, nitroſæ indolis, omnibus trium naturæ regnorum ſubjectis homogeneum, conſiſtentiæ quodammodo viſcoſioris, ſeu oleoſæ, volatilem tamen atque non corroſivum, corpora ſolidiora apta ſeu aptata ſub artificioſis enchiriſibus rite applicatis non ſolum radicaliter ſolvere valentem, ſed etiam ex iiſdem omnibus quintam eſſentiam, ſub legitima artificis adminiſtratione, ſalvam atque incolumem ſequeſtrare potentem, propria ſua virtute, ſeu radicaliter ſolvendi potentia, integra & immutata manente.* Omnia hæc latius deinde, ut jam diximus, ſingularibus Capitibus deducit, atque hinc in originem ejusmodi menſtrui univerſalis inquirens, illam ad veteres Ægyptiorum Sacerdotes refert, nixus autoritate Codicum, ab iſtis relictorum, & in Bibliotheca Vaticana adhuc aſſervatorum. *Paracelſo* autem *Helmontio*que primam iſtius publicationem adſcribit; tum ejusdem eſſentiam, immutabilitatem, homogeneitatem abſolutam & reſpectivam, ſaporem,

Digitized by Google

porem, conſiſtentiam, virtutem, efficaciam, cum rationibus, cur medicina univerſalis ex auro quæratur, objecto, modoque agendi, item menſtrua univerſalia, & reſpective talia, menſtruorumque univerſalium uſum, explicat, neque minus, varias vias eſſe, quibus ad Tincturæ præparationem perveniri queat, aſſerit, quas tamen vario reſpectu in certas claſſes diſtribuere liceat, ut hinc via blanda vel violenta, longa, brevis, vel breviſſima, humida vel ſicca, univerſalis, vel particularis, dicatur. De Tincturis & Lapide Philoſophorum, eorumque diſcrimine, quædam commentatus, ubi ad præparationem & applicationem menſtruorum univerſalium procedit, coram Deo affirmat, præparationes, ſeu proceſſus, menſtruorum univerſalium cujuscunque generis dudum typis mandatos, atque in lucem editos eſſe, ſummum vero Numen plurimos lectores tanquam indignos excœcare, ut oculati non videant, atque ſe ipſum etiam, ſi omnia Chemiæ ſublimioris myſteria cognita haberet, ea tamen ſoli Deo revelanda relicturum, adeoque hic prætermiſſurum potius ſilentio, quam in artis dedecus propalaturum eſſe. Unde potius ad extremum nonnulla de menſtruis ſiccis & vulgaribus diſputat, & Appendicis loco Epiſtolam quandam *Joannis Trithemii*, Abbatis, ad *Germanum de Gany* datam, ſubnectit.

Kurtze Einleitung zur Geometrie, ꝛc.
id eſt,
BREVIS INTRODUCTIO AD GEOmetriam theoreticam, in uſum ſtudioſæ juventutis in Gymnaſio Petropolitano.

Petropoli, ex officina Academiæ Scientiarum, 1740, 8.
Plag. $17\frac{1}{2}$, cum 14 Tabb. æn.

Vir Clariſſimus, *Georg. Wolffgang Krafft*, Academiæ Scient. Imp. Membrum, & Profeſſor Phyſices, Gymnaſii Academici Inſpector, hujus Compendii Geometrici Autor eſt; qui in Præfatione ſingulare Imperatricis, noviſſime defunctæ, *Annæ*, Edictum laudat, univerſis civibus ſuis Geometriæ ſtudium ſerio commendantis, nec

nec præmia ſolum iis clementiſſime proponentis, qui in hanc ſcientiam ſeduli incubuerint, ſed & graves negligentibus pœnas minitantis. Ipſe libellus, non aliter, quam in Paragraphos, diſtributus, qui ſatis ampla Scholia adjuncta habent, ita curate & luculenter elementa Geometriæ theoreticæ exponit, ut neutiquam dubitare liceat, quin & Gymnaſii Petropolitani alumnis, quibus eum Autor potiſſimum deſtinavit, & multis aliis, inſigni uſui ſit futurus. De cetero, ne plane nihil afferamus, quod exempli loco eſſe poſſit, ex Scholio Paragraphi tertii annotandum arbitramur, in Ruſſia gradibus ſingulis Æquatoris $104\frac{1}{2}$ Verſtas, ſingulis Verſtis 500 Saſchinas, & ſingulis Saſchinis 3 Arſchinas, tribui, quæ 7 pedibus Londinenſibus reſpondent, ita, ut Arſchina $2\frac{1}{3}$, Saſchina 7, & Verſta 3500, pedes Londinenſes complectatur.

EXPERIMENTORUM PHYSICORUM præcipuorum brevis Deſcriptio, in uſum Auditorum ſuorum edita a GEORG. WOLFFG. KRAFFT, Acad. Scient. Imp. Membro, & Profeſſore Phyſ.

Petropoli, typis Academiæ, 1738, 8.
Plag. $17\frac{1}{2}$.

Cum experimenta phyſica, quæ in ſic appellatis Curſibus experimentalibus oculis ſpectatorum ſubjici ſolent, in magnum hodie numerum accreverint, præcipua eorum colligenda Autor Clariſſimus, in uſum ſtudioſæ juventutis Ruſſicæ, exiſtimavit, ut non ſolum in lectionibus ipſis melius intelligerentur, ſed etiam, accedente repetitione, commodius revocari in memoriam, poſſent. Ordinem autem & methodum ſecutus eſt hujusmodi, ut primo loco experimenta mechanica, deinde hydroſtatica, aerometrica, hydraulica, porro ea, quæ ad ignem, lumen, calorem, & frigus, ſpectant, deinde magnetica, porro acuſtica, & poſtremo miſcellanea quædam, ſeu varia, ſuccinctis poſitionibus tradat, Scholiisque luculentis illuſtret. Schematiſmis utitur nullis, quippe in ipſis lectionibus ſupplendis. De cetero

ex optimis eum fontibus hauſiſſe, & laborem ſuum ad tyronum captum ſtudioſe accommodaſſe, fatendum eſt.

LA CONSTITUTION UNIGENITUS AVÈC des Remarques, &c.

id eſt,

CONSTITUTIO UNIGENITUS CUM Animadverſionibus, in quibus oſtenditur diſcrimen, quod intercedit inter Jeſuitarum doctrinas & inter doctrinas Sanctorum Patrum, quæ continentur in propoſitionibus Patris Quesnellii.

Trajecti ad Rhenum, ſumtibus Societatis, 1737, 8.

Plag. II.

Libellus complectitur Admonitionem procemialem, Præfationem, ac poſthæc Conſtitutionem ipſam *Unigenitus*, cui e regione additæ fuerunt propoſitiones *Quesnellii*, ut appareat, quo jure eæ ſint damnatæ. Singulis propoſitionibus ſubjunguntur annotationes, e ſacro Codice & vetuſtiſſimis Eccleſiæ Chriſtianæ Patribus contextæ, ad propoſitiones *Quesnellianas* defendendas ac corroborandas. In Admonitione demonſtrantur tria, 1) libellum, *la Conſtitution avec des Remarques*, perplacuiſſe fidelibus inter omnia illa ſcripta, quæ adverſus Conſtitutionem Unigenitus in lucem fuerint emiſſa, id quod ex multitudine editionum perſpiciatur; 2) Conſtitutionem *Unigenitus* fuiſſe concinnatam ad errores Jeſuitarum autoritate roborandos; 3) & eapropter in hac editione additos fuiſſe locos celeberrimorum Jeſuitarum collatos cum doctrinis S. S. Patrum, quibuscum fecerit *Quesnellius* & Eccleſia Romana genuina. Ex hisce indiciis per ſeſe patet, Autorem novæ editionis ex ſchola *Janſenii* prodiiſſe, qui in Præfatione fatetur, quamplurimas eſſe Diœceſes, in quibus
Pag. 5. *abſolutio a peccatis* denegetur eis, qui Conſtitutionem *Unigenitus* haud amplectantur, eique ſubſcribant. Quo animo ipſe in
6. Jeſuitas ſit affectus, intelligitur ex verbis ejus, quæ dabimus Latine: *Jeſuitæ, quorum potentia limites reſpuit, & qui ſunt Autores*

Digitized by Google

*tores Conſtitutionis Bullatæ, propugnant haſce duas impias doctri-
nas: primam, quod Deus non ſit omnipotens ad convertendum
hominis animum, quando & quomodo ipſi placuerit, ſed quod po-
tius in hominis viribus ſit poſitum, ad frugem bonam redire, red-
dere ſe bonum, juſtum, ſanctum, quandocunque vult. Eamque
ob cauſam contendunt, horribili hac regula adducti, abſolutionem
quibuscunque eſſe impertiendam, rati, peccatores immutare ani-
mos ſuos pro arbitratu. - - Jeſuitæ contendunt ſecundo, neminem
oportere Deum amare ad ineundam cum ipſo reconciliationem in* Pag. 7.
*Sacramento pœnitentiæ, nec, ad ipſum referendas eſſe actiones o-
mnes, putant, rati, ſatis eſſe, ſi Deo ſerviatur ob metum in-
fernalium pœnarum, peccatoresque, qui aliam animi conforma-
tionem haud afferunt ac metum prolabendi in illas pœnas, licet
ipſos criminum ſuorum haud pœniteat, eſſe nihilo minus in eo ſta-
tu poſitos, ut recipere abſolutionem, & admitti ad ſacram cœnam,
poſſint.* Hanc doctrinam Autor vocat *execrabilem*, additque,
propoſitiones Conſtitutionis *eſſe inflexas, quibus amor Dei com-
mendetur, & quibus ſignificetur, metum illum ad mentem mutan-
dam haud ſufficere. Janſeniſtæ* e contrario putant, ſeſe e ſacris
literis & doctrinis per manus traditis eſſe convictos de eo, quod
pietas ſit integra reformatio cupiditatum noſtrarum, & renova-
tio, cujus fons & principium ſit amor erga Deum ſuper omnia.
Ipſi a peccatoribus hunc amorem exigunt, ut gratiam reconci-
liationis illius queant eis impertiri. Eo fine tempus explora-
tionis ſumunt, quo certiores reddantur de vitæ emendatione,
& ut ſenſio impotentiæ ſpiritualis eos adigat ad confugiendum
ad Deum, ut ab ipſo per Jeſum Chriſtum vires gratiæ, natura 8.
ſuperiores, recipiant. Autor largitur, gratiam juſtificationis
quidem amitti poſſe, eſſe tamen ſtabiliorem & conſtantiorem
opinione magiſtrorum Theologiæ moralis admodum laxæ. De
Jeſuitis ipſe ſic pronuntiat: *Ipſi abſolutiones ſacrilegas imper-
tiunt peccatoribus, qui callum obduxerunt, fovent illorum falſam
& damnabilem ſecuritatem, & impediunt illos, quo minus ad ſo-
lidam converſionem & genuinam juſtitiam perveniant.* Docet
idem, jam illud adeſſe tempus, quo & ipſi electi fere ad aber-
rationes a veritate prolabantur. Ipſe de definitivis Pontificum 9.

Romanorum ita ſentit: *Papa & plurimi Epiſcoporum non ſemper loquuntur nomine Eccleſiæ, præcipue quando ipſi in definiendo non obſervant regulas ab Eccleſia perſcriptas.* *Papa* Liberius *cum Conciliis duobus numeroſis & fere omnibus orbis Epiſcopis ſubſcri-*
Pag. 10. *pſit condemnationi Athanaſii & ὁμοουσίας Verbi.* *Papa* Honorius *cum duobus Conciliis & omnibus Orientis Patriarchis deciſionem formavit, hæreſi Monotheletarum faventem, excepto unico refragante* Sophronio *Monacho.* Addit, *Sfondratam* & Jeſuitas exſtitiſſe Conſtitutionis controverſæ autores; *Benedictum XIII* multos errores in ea obvios deteſtatum eſſe, Conſtitutionis affectatores
12. inter ſeſe diſſidere de momento ejus ſuſceptæ, & de ſenſu Conſtitutionis ipſo; per arcanas artes Bullam Romæ fuiſſe extortam, & Galliis obtruſam, Conſtitutionem eſſe *myſterium iniquitatis, textum per factionem Jeſuitarum, ad imponendum Eccleſiæ;* mira-
14. cula Abbatis *Paris* Diaconi, ad S. Medardum humati, eſſe vera;
17. per Conſtitutionis ſenſum naturalem ſubverti omnem religionem; doceri in Conſtitutione, fidem in Jeſum Chriſtum haud eſſe ad ſalutem obtinendam neceſſariam, gratiam ex lege impe-
18. trari; Anticonſtitutioniſtas tractari ab adverſariis eadem ratione, qua Chriſtus & Apoſtoli ejus a Sacerdotibus primariis fuerint excepti; a *Paulo V* in congregationibus *de Auxiliis* errores *Molinæ* de gratia & prædeſtinatione gratuita eſſe condemnatos, qui
21. tamen in Conſtitutione triumphent; Jeſuitas addere ſua dogmata plebi, excepto Pelagianiſmo, quem inſtar articuli dogmatici
22. audacter proferant. Autor paſſim, ubi doctrinas Jeſuitarum produxit, eis adjungit errores Pelagianorum, ut conſenſio pa-
25. teat ubique. Jeſuitas, *Caſnedium, Francolinum*, & *Sfondratum*, acriter reprehendit, tanquam doctrinarum Eccleſiæ corruptores, *pag. 4.* Errorem *facti* in Conſtitutione notat *pag. 8.* Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ per Epiſcopos inibi & Conſtitutionem eſſe violatam credit *pag. 8, 13.* Cardinales duos, Conſtitutionis approbatores primos, *Fabronium* & *Tolemejum*, fuiſſe Jeſuitarum baculos, illum vero Cardinali *Noallio* jam olim iratum, docet *pag. 14.* Addit, propoſitiones 29, 59, 100, eſſe mala fide *Noallio*
5. ſuppoſitas, truncatas quippe & mutilatas. Parallelismum inter doctrinas Jeſuitarum & Pelagianorum videmus fuiſſe inſtitutum *pag.*

Digitized by Google

pag. 18, 24, 34, 50, 89, &c. Autor *pag.* 72 hanc interjicit interrogationem: *Non poſſumus, quin quæramus, cur Jeſuitæ tam benigne ſalvari poſſe credunt hæreticos*, *Turcos*, & *Deiſtas ipſos*, & *tam implacabiliter condemnant Appellantes.* Jam noſti, Lector, ex ungue Leonem. Excommunicationem Pontificis Romani Pag. 171
diſtinguit in juſtam & injuſtam, &, ob hanc eccleſiæ neminem ſeq.
eſſe exſortem, docet. Paſtores Eccleſiæ debent ex ipſius opinione eſſe disjuncti a dominatu in conſcientias. Veritatum præ- 177.
dicationem factam fere eſſe incognitam, contendit cum *Queſnellio.* Fideles intèrdum tractari velut ſeparatos ab eccleſia, ne- 179.
gat *Conſtitutio Prop.* 97, Autor autem comprobat ex *Act. IV*, 11, 181.
Jo. XVI, 2, 4, & ex Concilio Aquisgranenſi, A. 816 celebrato, *Lib. II Cap.* 37. Conſtitutio paſſim pernegat, confeſſores veritatis 184.
cœleſtis exagitari perſecutionibus. Autor vero putat, id corroborari poſſe Jeſuitarum exemplis. Ad evitanda perjuria *Au-* 187 ſeq.
guſtinus ſuadet, ut abſtineamus prorſus ab omni jurejurando. Docuerat *Queſnellius*, ad ea fugienda opus eſſe, ne juramenta 192.
in eccleſiis reddantur communia. Verum nihilo minus hanc *Queſnellii* ſententiam videmus condemnatam *Prop.* 111. Autor tandem disquirit indolem condemnationis quinque Articulorum *Janſenii*, eamque putat injuſte fuiſſe peractam. Totus tandem in 195 ſeq.
eo eſt, ut vindicet miracula *Pariſii* & *Ruſſii* adverſus innumeras 217 ſeq.
objectiones ac contradictiones, ſeſe hinc inde præmuniens judiciis Phariſæorum de miraculorum Chriſti & Apoſtolorum ſplendore. Fuimus ſatis longi, nec poſſumus in præſens de Autoris nomine communicare quidquam. Ipſum vero Ultrajecti, quod Janſeniſtis eſt refertum, vivere & florere, ſuſpicamur. Judicium noſtrum haud interponimus, ne Lectorum ullus de nobis conquerendi anſam ſibi datam fuiſſe arbitretur.

TRAITE' DE LA DISSOLUTION DU MARIAGE pour cauſe d'impuiſſance, avec quelques Pieces curieuſes ſur le meme ſujet, &c.

hoc eſt,

TRACTATIO DE DISSOLUTIONE matri-

matrimonii ob impotentiam, cum diverſis Opuſculis curioſis de eodem argumento.

Luxemburgi, apud Joannem Mariam van der Kragt, 1735, 8.

Plag. 15 ½.

Libellus conſtat Præmonendis, Præfatione, argumenti tractatione, exemplis controverſiarum & deciſionum in hac cauſa illuſtrium, & Indice. Quantum per verecundiam fieri poteſt, delibabimus ex omni tractatione potiora. Tractatio ipſa attribuitur calamo viri, Jus Civile & Canonicum callentis, magiſtratus, & Parlamento Galliarum cuidam aſſidentis coryphæi; effert vero modum procedendi in curiis eccleſiaſticis Galliæ, in quibus mulieres diſſolutionem matrimonii ſui ob impotentiam maritorum expetendam declarant. In Præfatione Autor conatur defendere fœminas illas, quæ ſeſe deprehendunt obſtrictas ad actionem eam intendendam maritis ſuis, totusque in eo eſt, ut removeat *Petri Bælii* aliorumque objectiones, credentium, accuſationes ejusmodi cum pudore fœmineo in concordiam ire haud
Pag. 3. poſſe. Ipſe præcipue oſtendit, matrimonium cum impotente contractum ipſo jure eſſe & nullum & invalidum. Conſentit *Novella Leonis 98*, Jus Canonicum, & Doctorum Juris univerſitatis omnis. Obſcuritatem, quam doctrinæ huic offundere tentavit Autor *Bibliothecæ Canonicæ Tomo II pag. 81*, diſcuſſit ac diſ-
4. ſipavit Autor libri: *les conferences eccleſiaſtiques de Paris ſur le mariage, Tomo III Lib. III Conſ. I* §. *4*, ne quid dicamus de *Joanne Georgio Simone*, cujus libellus *de Impotentia conjugali* in omnium fere manibus verſatur. Stare quidem poſſunt conjugia inter impotentes, ſi uterque conjugum veneream rem haud appetat, & commercio utatur mutuo, quale ſolet eſſe inter ſoro-
5. res, *Cap. 4, 5, Extr. de Frigid.* Noſtri vocant conjugium ejusmodi *Kappaunen-Hochzeit.* Si qua vero contrectatio venerea acciderit inter eosdem ſine ullo matrimonii uſu naturali, illa ipſa peccati loco eſt habenda. Dominus *de S. Beuve* id copioſe demonſtravit in *Caſ. conſc. Tomo II pag. 349, 538.* Conf. Autorem libri *les Conferences Tomo II Lib. I Conſ. 5* §. *2.* Conjugia certe
6. frigidorum haud facile permittuntur, vel ſi mas eſt ſpado vel

evnu-

Digitized by Google

evnuchus, præcipue quando fœmina eſt juvenis, nec jurejurando interpoſito omnem libidinis venereæ appetentiam a ſeſe removere valet. Extra hoſce caſus matrimonia ejusmodi minus legitima, minusque valida, exiſtimantur, ſiquidem evnuchi ſunt maximi mulierum amatores, & uxoris ſi quam ducunt, accendunt libidines venereas, quibus haud ſufficiunt exſtinguendis. Ejus generis conjugia ediſſeruit *Ant. Gomez* in *Leg. Tauri 80 n. 34.* Simile quoddam conjugium eſt obvium in hiſtoria do- Pag. 8.
minæ *de Argenton*, *Henrico IV* in Galliis regnante, florentis. Et quem fugit illud, quod *Alphonſus VI*, Rex Portugalliæ, iniit, & A. 1668 diſſolutum vidit, matrimonium? Confer *Siracidem XX, 3.*
Injuſtum ſane eſt, fœminam hujus commatis conjugio adſtringere, injuſtius vero, eam in eo retinere, ſiquidem ipſa in vetitum nitetur, cupietque negata. Addit Autor hanc quoque rationem, quam vulgo laudant, ſcilicet *propagationem prolis eſſe* 9.
primam & naturalem & legitimam cauſam nuptiarum, quæ jam 10.
Auguſtini fuit opinio *de Conjugiis adulterin. Lib. II n. 12.* Romani jam formulæ nuptialis contractus hanc clauſulam inſeruerant, *liberorum procreandorum cauſa.* Ceſſat hic finis in matrimonio cum viro impotente conciliato. Præterea matrimonia per tolerantiam Dei ſunt omnino remedia adverſus incontinentiam. At hic quoque finis in matrimonio ejusmodi nequit ob- 11.
tineri. Ecquis ignorat, contractum eſſe invalidum, qui cum minimo dolo perſonali eſt conjunctus? Illi igitur, qui diſſolutiones ejusmodi matrimoniorum diſſuadent, non poſſunt, quin hiſce argumentis robur ſuum ineſſe fateantur, licet reantur modeſtiam fœmineam oportere id tegere ſilentio perpetique, quod ex legibus ipſis reddit matrimonia & irrita & invalida. Docet 12.
Autor e contrario, haud ſuppetere hujus modeſtiæ ullas rationes, ſiquidem fœminas haud dedeceat nuptias iterum tertiumque contrahere, maritis defunctis. *Tageravius* & *Bælius*, ille in *Diſcours de l' impuiſſance Cap. 4*, hic in *Diction.* ſub voce *Quellenec*, modeſtiam illam propugnant, rati, fœminam, quæ queratur de impotentia mariti, publice id confiteri, quod continentiam ſervare haud poſſit. At ea ratio plus juſto evincit, 13.
ſi quid probat. Fatentur enim peræque mulieres viduæ, quæ

Digitized by Google

matrimonia ineunt nova, ſibi cum continentia haud penitus
convenire. At nulla hinc profluit ignominia, nulla leviſſimæ
notæ macula. Quidni virginibus nupturis eadem confeſſio
obeſt? Quidni eam ob confeſſionem abſtinent a nuptiis fœminæ,
quotquot exiſtunt, univerſæ? Ea, quæ viro eſt nuptura, con-
tinentiæ illi nuntium remittit; illa contra, quæ marito intendit
Pag. 14. actionem impotentiæ, vinculo conjugali cupit liberari ita, ut
incertum ſit, an nuptiis novis ſit locum datura. Virtutis pro-
prium eſt, occaſionem periculi peccatique evitare, immo tolle-
lere. Objectionem deinde Autor aliam examinat & diſſolvit.
Eam putat *Bælius* perfrictæ frontis eſſe, quæ ſeſe diverſis exa-
minibus offerat, quæ id exigant, ut interrogationes iterentur,
perſonæ in anguſtiis naturæ perluſtrentur, & nonnunquam ad
congreſſum Hymenæo ſacrum condemnentur celebrandum. Au-
16. tor ex adverſo repetit illa *Ambroſii: Omni neceſſitate major ne-
ceſſitas eſt ſalutis.* Præſtat, ſemel in vita videri minus verecun-
dum, quam æternum damnari. Præſtat, ſequi libertatem, a Deo
& Canonibus eccleſiaſticis indultam, quam exulceratæ conſcien-
18. tiæ ſpiculis eſſe obnoxium. Itane Patres doctoresque eccleſiæ
rationem pudoris fœminei, ejusque juſti & decentis, plane abje-
cerunt, largiti, eam matrimoniorum diſſolutionem non ſolum
eſſe permiſſam, ſed juſtam quoque & divinam? Id, quod ad in-
ſpiciendum ventrem pertinet, impudentiæ notam haud com-
prehendit, ſiquidem *Clemens Alexandrinus Strom. VII, 16*, & *Sui-
das* in voce *Jeſus*, tradunt, ipſam *Mariam* Θεοτόκον huic inſpe-
ctioni haud repugnaſſe. Et quis neſcit, Canonem, e *Cypriano*
decerptum, & decreta Juris Canonici permittere ejusmodi inſpe-
ctionem, ſi fœmina nuptura, antequam nuptiæ effectui dantur,
19. vitæ ſeſe addixerit religioſæ? Vide *Can. Quodſi pœnitentiam 5
Cauſ. 27 Quæſt. 1 & Cap. 2 Extr. de Converſ. conjugat.* Nonne
mulieres oſtendere ſolent partes, quas verecundia nominari pro-
hibet, obſtetricibus, medicis, & chirurgis, ne corpus pereat?
Quanto magis inſpiciendam præbere poterunt corporis partem
quandam, ne anima perpetuo flagret ignibus illicitis, vel ſalutis
ſempiternæ damnum faciat? Fac, mulieres nonnullas ad abuſum
traxiſſe illum inſpectionis ritum, maritisque nondum impotenti-
bus

Digitized by Google

bus litem intendiſſe doloſam, nonne nihilo ſecius uſus ſtabit in-
violatus? Fruſtra ſunt, qui rationibus & Autorum ſententiis cu- Pag. 20.
mulatis docent, pudorem eſſe maximam mulierum virtutem. 21.
Et cur pudeat quemquam, eas corporis partes, urgente neceſ-
ſitate, oſtendere, quas nemo, ſex annos natus, ignorat? Sua-
dendum potius eſt fœminis ejusmodi, ut ipſæ perito ac ſapienti
directore utantur, qui ipſas doceat, an inviolata conſcientia 23.
in matrimonio permanere poſſint, nec ne. Canoniſtæ peritiores
docuerunt, fœminam, quæ impotente utitur & frigido marito,
oportere, ſi uratur Hymenæi cœco igne, cauſam ſuam ad magi-
ſtratus deferre, tantum abeſt, ut credant, eam pudore fœmineo 24.
ab hac actione prohiberi. Conſenſit ipſe *Bælius* ſub voce *Por-
tugal Obſ. 1*, licet alibi ſecus ſenſerit. Hæc ſunt ea, quæ expo- 26.
nuntur in Præfatione, & quæ compendioſe repetenda eſſe duxi-
mus de re magni momenti, & cujus in utramque partem ex-
ſtant philoſophicæ diſputationes. Excipit Præfationem tracta-
tio ipſa, quæ, quid in Galliis uſu receptum ſit ratione actionis
illius, de qua dicimus, exponit. Erimus hic breviores. Ju-
dices eam diſceptant eccleſiaſtici, deciſionem conformantes
Conſtitutionibus Canonicis. Judicis eſt, in hac cauſa nullam non 28.
adhibere circumſpectionem, nihilque omittere, quod explo-
randæ veritati conſentaneum videtur. Haud quidem exigitur 30.
a judice, ut exploratiſſima & veriſſima tantum ſequatur. Suffi-
ciunt ſæpius legitimæ præſumtiones *Extr. de Frigid. Cap. 5, 6.* Si
rationes præſumtionesque in utramque partem ſint æque proba- 33.
biles, id eſt, *in dubio*, tum *pro matrimonio* haud diſſolvendo *eſt
ſtandum.* Diſſolutio autem hiſce fit modis. Officiolatus (Con-
ſiſtorii eccleſiaſtici) Aſſeſſores, ni Præſes, interrogant maritum &
fœminam; poſtulant, ut hæc de impotentia mariti nuncupet jus- 34.
jurandum. Mariti contra eſt, ſi jurejurando velit intercedere,
ut ſuam probet Aſſeſſoribus virilitatem, ſecundum *Juſtiniani* 35.
Nuvell. 22 Cap. 6, ac ſeſe præbeat inſpiciendum. Quo facto, in-
ſpiciunt adyta Hymenæi fœminea, qui huic officio vacant. Prior
inſpectio convincet Officiales, maritum 1) aut eſſe impotentem,
2) aut ſigna fuiſſe virilitatis deprehenſa, 3) eaque vel dubia, vel 36.
certa. In caſu primo locus datur conjugio diſſolvendo. Ex-

ceptionem vero interponere poteſt maritus tum contra eos, qui
Pag. 37. de impotentia judicant, tum contra ea, quæ pro ſignis impo-
tentiæ habentur, & nihilo ſecius in Medicorum ſcholis adhuc ſunt
controverſa. Quantum ad evnuchos attinet, ipſis haud permit-
38. titur ulla hujus ſpeciei exceptio. Impotentiæ ſigna hæc ſolent
conſtitui, 1) ſi nulli teſtes appareant, nec de reliquo fœcunditas
ſeſe exſerat, vel ejus ſignum, 2) ſi penis exiſtat ſine motu ad
45. copulam. Solent Pariſiis inprimis conſulere *Pauli Zacchiæ*
Quæſtiones Medico-legales. Si ſigna ſint ambigua, maritus nec
condemnatur, nec abſolvitur. Canones ſuppeditant viam du-
plicem, quæ pleniorem notitiam exhibeat. Præcipiunt, ut con-
47. juges triennium in matrimonio transegerint. Poſtulant iidem,
ut fœmina inſpiciatur, & quidem, ſi nupſerit viro tanquam vir-
go vel quaſi, virginitatis indicia explorentur. *Antonius Hotto-*
mannus, Vincentius Tageravius, & *Hericurtius*, huic inſpectioni tol-
48. lendæ diligentiam calami adhibuerunt omnem. Autor contra
it demonſtratum, inſpectionem illam eſſe nec illicitam, nec inu-
tilem. Exſtat Epiſtola *Cypriani*, in qua ſic docetur: *Inſpician-*
50. *tur virgines ab obſtetricibus diligenter.* *Ambroſius* non diſſentit
55. *Epiſt. 46,* ſeu *Lib. VI Epiſt. 1,* nec *Cujacius* in *Cap. Propoſuiſti 4*
Extr. de Frigid. Quæri ſolet, an inſpectio debeat præcedere
62. cohabitationem. Autor, caſibus tribus bene expenſis, contro-
74. verſiam enodat. Si poſt cohabitationem novam, a judicio Offi-
cialium imperatam, uxor manſerit virgo, matrimonium eſt diſ-
ſolvendum, ita tamen, ut fœmina juret, ſeſe nihil impedimenti
78. poſuiſſe marito, rem cum ipſa habituro. Impotentiæ datur ſpe-
cies haud una. Nonnunquam uſu venit, ut virga laboret craſſi-
tie turgida nimis. Poteſt etiam quis eſſe potens reſpectu hujus
fœminæ, qui cum altera quadam coire haud poteſt, verbi cauſa,
85. nimis arcta. Si fœmina manſerit virgo, divortio eſt locus. *An-*
tonii Hottomanni liber *de la diſſolution du mariage par l'impuiſ-*
90. *ſance & froideur de l'homme ou de la femme* paradoxis laborat,
ideoque hic ſub examen vocatur. *Vincentius Tageravius* A. 1611
edidit Pariſiis librum: *Diſcours ſur l'impuiſſance de l'homme &*
93. *de la femme*, anno ſequenti auctum ac recuſum. Uterque com-
mercium conjugale, ab Officiolatu præſcriptum, rejecit, eoque
nomine

Digitized by Google

nomine hic refutatur. *Balius* erravit, cum *Tageravio* digni- Pag. 93.
tatem Advocati Parlamenti Pariſienſis adſcripſit. Congreſſum venereum, ab Officiolatu injunctum marito, Noſter copioſe adverſus utrumque ſcriptorem vindicat. *Joannes Andreas* medio 97 ſeq.
Seculo XIV illum jam ſtabilitum ivit & approbavit, licet *Hottomanno* aliter fuerit viſum. Ipſe congreſſus in conſuetudinem tranſiit per Italiam, Belgium, Angliam, aliasque terras, nec dici poteſt plane inutilis. Sunt tamen abuſus ab eo disjungendi, qui hic ſummatim recenſentur. Negat tandem Autor, Regem Galliarum hunc congreſſum poſſe regia ſua autoritate tollere, cauſatus, ea, quæ ad Sacramentum matrimonii ſpectant, ſpirituali jurisdictioni eſſe innexa. Ex exemplis nonnullis, ad calcem li- 130.
bri rejectis, nihil decerpemus in præſens, tum quod ea ſint ſpecialiſſima, tum quod epitome noſtra fere e carceribus ſuis procurrerit. Id vero diſſimulare haud licet, Autorem eo ordine & perſpicuitatis candore ſatisfeciſſe argumento ſuo, ut nec ſoliditas brevitati, nec brevitas officiat perſpicuitati. Adeo omnia ex ſubacto judicio & peritia recte digeſta profluxerunt.

SIGISM. JAC. BAUMGARTEN, THEOL. Doct. & Prof. Ord. Programmata, cum Appendice Epiſtolarum. Collegit & digeſſit GOTTHILF CHRISTOPH. BAKIUS, Pædag. Reg. Collega.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Jo. Andr. Baueri, 1740, 8.
Alph. 1 plag. 1.

In Præfatione Editor ſignificat uſus maximos, quos eruditi & alii homines ex cultura Latinæ linguæ capiunt, præcipue Academiam Halenſem prædicans, eo quod ipſa ſemper viris venuſtioris ac terſioris Latini ſtili ſtudioſioribus abundaverit, quorum ex numero in cenſum veniant *Chriſtophorus Cellarius*, *Schulzius*, *Heineccius*. In S. Rev. *Baumgartenio* id laudat vehementer, quod hic de rebus divinis atque theologicis pure, perſpicue, ornate, & Latine, diſſerere ita inſtituit, ut quiddam ſane portenti ſimile id eſſe videatur. Nec inficiari

Digitized by Google

audemus, in Programmatibus & Epiſtolis, hic in lucem emiſſis, ubique in ſenſus incurrere atque ſeſe commendare inſignem ſuavitatem, numero oratorio junctam, terſumque & caſtum Latinitatis genus. Opuſculum ipſum tripartitum procedit. Primam partem Programmata Academica, funebria, ceteraque, ad feſtorum dierum ſolennitatem celebrandam conſcripta, ſibi vindicant. Partem ſecundam occupant Programmata ſcholaſtica, argumentorum ſelectu, verborum nitore, ac elegantia, maxime jucunda, omnibusque numeris abſoluta. Præfuit enim Vir S. Rev. olim maxima cum cura ſummaque fide numeroſæ Orphanotrophei juventuti. Tertia Pars conſtat literis, quæ ad Diſputationum ſolennia fuerunt conſcriptæ. Hæc libri eſt ſumma. Scenam aperit Programma, quo mors ac funus Ven. *Joach. Juſti Breithaupti* indicitur. Elogiis affluit id ſcriptum, ac Ven. *Breithauptum* in comparationem cum *Auguſtino* adducit. Habes hic ſimul, Lector, curriculum vitæ, quam ille *Breithauptus* quondam transegit, deſumtum maximam partem ex biographia, quam Ven. *Breithauptus* conſcriptam a ſeſe ediderat.

Pag. 18. Cauſam, cur ille dimiſerit ludi literarii Wolferbüttelenſis Conrectoratum, novimus eſſe ſpecialiorem ea, quam Cel. Programmatis Autor adduxit. Memoratu digna ſunt ſane hæc verba *pag. 44:* Breithauptus *fidem non interruptam Deo, cum ſacro Baptismatis ritu luſtraretur, datam, ſancte præſtitit, omnemque vitam in piiſſimis ſanctæ religionis exercitiis transegit.* Programma hoc ſi dixerimus eloquentiæ Latinæ decus, animique bene conformati opus, haud quidem a vero diſcedemus latum unguem. Programmate altero indicta fuit ſolennitas funebris Pro-

57. feſſoris Theologiæ Halenſis, *Joannis Liborii Zimmermanni*, quem Wernigeroda A. 1702, 3 Nov. protulit, Halberſtadium erudivit, Jena formavit, Hala evexit, & A. 1734 exſtinctum deploravit. Programma tertium eſt Paſchale, ſuccinctam Commentationem

79. complectens *de veterum temporibus memoriæ Chriſti, vitæ reſtituti, ſacris.* *Paulus* jam videtur Chriſti redivivi in honorem ferias peragi juſſiſſe *1 Cor. V, 7. 8.* Memoriam Chriſti, in vitam reverſi, quotidianus ſacræ coenæ uſus in eccleſia primi ævi omnino animis infixit. Singuli dies Dominici eandem renovarunt.

runt. Hiſce enim cœtus Chriſto collecti convenerunt, ſacris operati, *Act. XX, 6, 7*, *1 Cor. XVI*, 2. Conf. *Ignatii* Epiſtolam ad *Magneſianos* §. 9 ex *Clementis Alex. Stromat. VII*, nec non *Juſtinum Martyrem* in *Apol. II*. Tempus ante & poſt Paſcha proxime exactum Chriſtianis primis creditum fuit Chriſto redivivo eſſe ſacrum. Inter Paſcha & Pentecoſten ob memoriam Chriſti redivivi pie celebrandam jejuniis haud fuit locus, triſtitiæ abſuerunt, candidi & læti ierunt dies. Inſtitutioni ſolennium iſtorum graviſſimas ſubfuiſſe rationes, Noſter egregie oſtendit. Succedit Programma aliud, quo illuſtratur tempus ſpiritus Dei, in primos Chriſti diſcipulos effuſi, omnium opportuniſſimum. Plurimus enim undique populus Hieroſolymam confluxerat. Tempore illo quondam lex promulgata. Cerimoniæ Leviticæ, ſolenniter ſancitæ, publice debebant luce ſuccedente abrogari. Hora matutina tertia, tanto miraculo deſtinata, impedivit, ne ulla ebrietatis, vel turbati animi, ſuſpicio oriri poſſet. Omittimus ſtudio alia, vere & eleganter dicta, quæ excipit *Commentatio hiſtorico-theologica de Solennium Chriſto nato ſacrorum originibus*. Haſce in medio Seculo quarto eſſe figendas, rejectis ſpuriis aliorum opinionibus, Autor Summe Reverendus ſolide demonſtrat. Sequitur Programma Paſchale, quo verba *Pauli* difficiliora *Rom. I, 4*, enodantur, & adverſus *Samuelem Crellium* vindicantur. Demorſos ungues & fidem genuinam ſpirat hæc tractatio. Succedunt hiſce dapatilibus ſacris Programmata ſcholaſtica & Epiſtolæ, in quibus pietas & elegantia ſororio vinculo triumphant. Niſi aliunde ingenium optimi hujus eccleſiæ Lutheranæ moderatoris comtum, ſolidum, & ſtili concinnitate præſtantiſſimum, ſatis ſuperque effulgeret, hinc ejus certa experimenta capere & haurire, atque in orbis terrarum lucem amœniſſimam diffundere, liceret.

Pag. 83. 89. 92. 103. 113. 131. 147. 175.

SIGISMUNDI FRIDERICI DRESIGII, A. M. & Schol. Thom. Conr. Animadverſionum in FABRI Theſaurum, iterum continuatarum, Pars altera.

Conf. *Supplementorum ad Nova Acta Erud. Tom. IV Sect. VII pag. 259.*

ADDEN-

ADDENDA.

ADSCRIBO. Notatu dignam judico, & Lexico noſtro adjiciendam adhuc, ſignificationem hujus verbi, qua uſus eſt *Cicero in Verr. II, 43: Cognitorem adſcribit Sthenio*, hoc eſt, ut in ſequentibus ipſe *Cicero* exponit, *in tabulis ſcribit & dat cognitorem.*

ÆSTUS. *N. 4* dicitur hoc verbum transferri ad animum iratum & tumidum, cupiditate aliqua accenſum, amore correptum, & denique confuſum atque ſollicitum. Quæ prout recte affirmari non nego; ſic addo, quartum de animo hujus nominis uſum, quo ad *timidos* etiam transfertur. *Silius II, 360:*

- - - - *ponat formidinis æſtus.*

Quid? quod *æſtus* de animo uſurpatus eandem vim apud ſcriptores mihi videtur habere, quam habet furor, ita quidem, ut quemcunque nimium motum animi ſonet ac declaret.

AFFLO. Duplex hujus verbi uſus non immerito addendus videtur, quando & de ſideribus, & fulminibus, collocatur. *Petronius Cap. 2: Nuper ventoſa iſthæc & enormis loquacitas Athenas ex Aſia commigravit, animosque juvenum ad magna ſurgentes veluti peſtilenti quodam ſidere afflavit. Suetonius* in *Tiberio Cap. 69: Tonitrua tamen præter modum expaveſcebat, & turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream capite geſtabat, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.*

ALIGER. Ubi a Poetis de ſagittis poni conſuevit, non annotatum legimus. Habet ita *Silius II, 92:*

Dirigit aligero letalia vulnera ferro.

APOLLINEUS. Admodum notabilis, nec minus elegans, eſt hujus nominis ſignificatus apud *Ovidium Metam. IX, 454:*

Byblis Apollinei correpta cupidine fratris.

Hic *Apollineus* idem valet, quod *Gemellus*, uti ipſe Poeta *verſ. 452* exponit:

Byblida cum Cauno prolem eſt enixa gemellam.

Quem ſignificatum, quo rarius invenimus in ſcriptoribus, nam Lexica, quod ſciam, penitus ignorant, eo diligentius obſervandum puto.

AR-

Digitized by Google

ARGEUS. Quando pro *Argivo* ponitur, fruſtra non in *Fabro* ſolum, ſed & in *Stephano*, quæſiveris. Habet tamen *Horatius Od. II, 6, 5:*

Tibur Argeo poſitum colono
Sit meæ ſedes utinam ſenectæ.

Ubi vetus Scholiaſtes: *Argeo pro Argivo antique dicitur.*

ASSEVERATIO. Vel maxime augeri meretur Lexicon notione hujus nominis, de corpore uſurpati a *Seneca Controverſ. II Proœm.: Vultus dicentis lenis, & pro tranquillitate morum remiſſus, vocis nulla contentio, nulla corporis aſſeveratio, cum verba velut injuſſa fluerent.* Quem ſignificatum, haud ſcio, an primarium eſſe hujus vocis aſſeverem.

ASSIGNO. Rara non magis, quam elegans, hujus verbi ſignificatio, in *Fabro* non obvia, eſt apud *Silium XIV, 498:*

- - - *Intento volucrem de more ſagittam*
Aſſignat nervo.

ASSUMO. Dicitur etiam de iis, qui comites ſibi itineris aſſumunt, quod Græcis καταλαμβάνειν vel παραλαμβάνειν. Vid. *Freinshemius* ad *Curtium IV, 3, 11*, & ipſe *Curtius VII, 5, 21*, alibi. Quod nec *Faber* annotavit, nec *Stephanus.*

AVERTO. De ſiti hoc verbum legimus in *Silio VIII, 574:*

Hos venatus alit, luſtra incoluere, ſitimque
Avertunt fluvio, ſomnique labore parantur.

BICORNIS. Quamvis hoc nomen minime ſit rarum in Poetis de fluviis, quibus cornua vulgo adſcribuntur, tamen in Lexico noſtro plane eſt ſilentio prætermiſſum. Ne longus ſim, unum adducam *Ovidium Metam. XI, 763:*

Fertur Alexirhoe Granico nata bicorni.

CALCO. Et ſignificatio hujus verbi & conſtructio adjicienda eſt, ubi *contemnere*, *negligere*, notat, & quando cum præpoſitione *ſuper* adhibetur. Utrumque habet *Apulejus Metam. Lib. V pag. 72: Vehementer iterum & ſæpius beatos illos, qui ſuper gemmas & monilia calcant.* Ibidem *pag. 88: Ut primum quidem tuæ parentis, immo dominæ, præcepta calcares.*

Digitized by Google

CANTATUS. Duplici hujus vocis uſui, a *Fabro* tradito, ſuo jure additur tertius ex *Silio XI, 448:*

Juſſit in immenſum cantatas ſurgere turres.

Ubi *turres cantatæ* dicuntur lyræ cantu exſtructæ.

CANTUS. De buccinis poſuit *Cicero pro Muren. Cap. 9: Te gallorum, illum buccinarum, cantus exſuſcitat.*

CERA. Poetis hoc nomen non raro in more poſitum eſt adhibere de materia, qua navium rimæ oblinuntur, ne aquam recipiant ac defluant. In præſenti ſufficiet *Ovidius Metam. XI, 514:*

Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis,
Jamque labant cunei, ſpoliataque tegmine ceræ
Rima patet, præbetque viam letalibus undis.

Vid. idem *Metam. XIV, 532.*

CLIVOSUS. Metaphorica huic nomini apponenda inſuper eſt ſignificatio ex *Silio VI, 120:*

Talis lege Deum clivoſo tramite vitæ
Per varios præceps caſus rota volvitur ævi.

Ubi vide Cel. *Drakenborch*, qui per *difficilis, laborioſus, multis moleſtiis præpeditus*, explicat.

CONSTANS. De inſula quaſi firmis radicibus mari impoſita reperitur in Fragmentis *Petronii pag. 688:*

Mox illam geminis Deus catenis
Hac alto Gyaro ligavit, illac
Conſtanti Mycono dedit tenendam.

Ubi Cel. *Burmannus* in ſubjecta annotatione, *rarior*, inquit, *hæc ſignificatio.*

CONTENTIO. Miror profecto, eam hujus vocis notionem doctiſſimis Viris animadverſam non eſſe, qua paria facit cum nomine *comparatio*, cum tamen ſic locata inveniatur ab ipſo *Cicerone de Offic. I, 17: Sed, ſi contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, principes ſunt, patria & parentes.*

CORNIGER. Nec hoc nomen de fluviis annotatum reperio, quo tamen ſenſu Poetis eſt perquam familiare. *Ovidius Metam. XIV, 602:*

Cor-

Digitized by Google

Corniger exequitur Veneris mandata, &c.

id eſt, Numicius, Latii fluvius. Vid. Interpretes ad *Ovidium* eundem *Metam. IX, 80.*

CORNU. In hac voce mihi videtur non indignum, quod addatur, *n. 5 cornua* pariter dici de claſſe navium, ac de exercitu pedeſtri. *Silius XIV, 367:*

Ac jam diffuſus vacua bellator in unda
Cornibus ambierat patulos ad prælia fluctus,
Navali claudens humentem indagine campum.

CORTEX. De cellulis apum cereis hoc nomen uſurpavit idem *Silius II, 219:*

Ad dulces ceras & odori corticis antra
Mellis apes gravidæ properant.

CUNEUS. Et de navi reperitur apud *Ovidium Metam. XI, 514:*

Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei.

Ubi videantur interpretes.

DEDUCO. Deſideratur elegans ac pæne dixerim propria in hoc verbo ſignificatio, quæ eſt apud *Silium XIII, 223:*

Atque obliqua trucis deducere cornua tauri
Aſſuerat.

Nam, quando hoc verbum motum e loco ad locum denotat, tunc non tam a præpoſitione *de*, quam a particula *deorſum*, genuinam ſuam vim accipit. Certe plerumque utraque tenenda eſt compoſitionis pars, ſi a vera ſignificatione aberrare nolueris.

DEFICIO. Navis etiam deficere dicitur apud *Hirtium Alexand. 13: Cæſar Rhodias naves IX habebat. Nam X miſſis una in curſu littore Ægyptio defecerat.*

DEPONO. Singulari ratione hoc verbum poſuiſſe videtur *Cæſar Civil. III, 10, 9: Depoſitis armis auxiliisque, quibus nunc confiderent, neceſſario populi ſenatusque judicio fore utrumque contentum.* Ubi locutio *deponere auxilia* idem notat, quod *dimittere copias auxiliares.*

DESTRINGO. Non omittenda fuiſſet Lexicis, & eorum collectoribus, illa verbi vis, qua ſignificat *leviter vulnerare.* Sic

Digitized by Google

uſurpavit *Ovidius XII, 101:*

Nec tertia cuſpis apertum
Et ſe præbentem valuit deſtringere Cygnum.

Vid. idem *Metam. VIII, 382,* & *X, 526.* Comparentur, quæ paullo ſupra in *Emendandis* voce *Indeſtrictus* ſcripſi.

EFFRENO. Dici vix poteſt, quanto opere miratus ſim, quod nec *Fabri,* nec *Stephani,* Theſauris hoc verbum repoſitum vidi, cum id tamen in ſcriptore notiſſimo habeatur. Eſt ille *Silius*, qui *IX, 496:*

Cum ventis poſitus cuſtos, cui flamina carcer
Imperio compreſſa tenet, cœlumque ruentes
Eurique & Boreæ parent, Corique Notique
Junonis precibus, promiſſa haud parva ferentis,
Regnantem. Ætolis Vulturnum in prælia campis
Effrenat. Placet hic iræ exitiabilis ultor.

Quem quidem locum ideo viſum eſt integrum adſcribere, ut cuique integrum eſſet de ſignificatione verbi *effreno* ſtatuere.

EGERO. Huic verbo & ille ſignificatus eſt reddendus, quo de tempore collocatur, & *conſumere* valet. *Flaccus VIII, 454:*

Hoc viſu contenta mori. Tunc tota querelis
Egeritur queſtuque dies.

EVINCO. Duplex uſus in hoc verbo adjiciendus eſt, quorum eſt alter de navibus apud *Ovidium Metam. XIV, 76:*

Hanc ubi Trojanæ remis avidamque Charybdin
Evicere rates, &c.

alter autem de ſole apud eundem *Ovidium d. l. verſ. 769:*

Qualis ubi oppoſitas nitidiſſima ſolis imago
Evicit nubes, nullaque obſtante reluxit.

EXTORQUEO. Aſſerenda & verbo notio, quæ in *Lexico* voc. *Extortus* commemoratur de luxatione membrorum. *Seneca Epiſt. 104: Fregit aliquis crus & extorſit articulum.* Vid. *Burmannus* ad *Petronium pag. 70.*

EXTREMUS. Idem hoc nomen nonnunquam ſonat, quod *minimus. Cicero pro Flacco Cap. II: Salutem noſtram, quæ*

ſpe

Digitized by Google

ſpe exigua extremaque pendet, tenuerimus. Vid. *Burmannus* ad *Petronium Cap. 22 pag. 73 ſeq.*

FLATUS. Equis tribuit hoc nomen *Silius V, 433:*

- - - *Tumulique & concava ſaxa*
Armorum ſonitus flatusque imitantur equorum.

FREMO. Ad metaphoricum hujus verbi ſignificatum inprimis annotandæ mihi videntur locutiones, quæ non indignationem tantum, quod *Faber* præcipit, ſed quemcunque ſtrepitum, cumprimis lætum, præ ſe ferunt. Sic habet *Silius XVI, 337:*

Conclamant, plauſuque fremunt, votique peractam
Majorem credunt præcepto limite partem.

Virgilius Æneid. IV, 146:

Inſtauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrſi.

De fama quoque uſurpavit *Ovidius Metam. XII, 47:*

Nocte dieque patent. Tota eſt ex aure ſonanti,
Tota fremit, vocesque refert, iteratque, quod audit.

FULGURO. Geminus hujus verbi ſenſus, isque metaphoricus, repetendus mihi videtur. De oratione habet *Plinius Epiſt. I, 20, 19: Non enim amputata oratio & abſciſſa, ſed lata & magnifica & excelſa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat & miſcet.* Tum de oculis ſerpentis idem verbum adhibuit *Silius VI, 220:*

Percitus hinnitu ſerpens evolvitur antro,
Et Stygios æſtus fumanti exſibilat ore,
Terribilis gemino de lumine fulgurat ignis.

FULMEN. Fruſtra quis quæſiverit in *Fabro*, improprie uſurpatum hoc nomen de apris ſævis & cuncta proſternentibus, Supplementum hac in parte dabit *Ovidius Metam. VIII, 289*, de Apro Calydonio:

Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent.

Ibidem *X, 550:*

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.

Ibidem *I, 305:*

Unda vehit tigres, nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato proſunt velocia cervo.

FULMINEUS. Idem, quod in voce antecedente monuimus, huic nomini addendum judico. De apro teſtis eſt *Martialis XI Epiſt. 70:*

Fulmineo ſpumantis apri ſum dente petita.

Vid. *Silius I, 421.* Præter aprum etiam lupo adſcribit *Ovidius Metam. XI, 368:*

Bellua vaſta lupus, ſilvisque paluſtribus exit,
Oblitus & ſpumis & ſpiſſo ſanguine rictus
Fulmineos.

Gladio adjunxit *Flaccus VI, 230:*

Fulmineumque viris proturbans ingerit enſem.

GEMENS. De apro ſimiliter furibundo legitur apud *Silium I, 425:*

Jamque gemens geminum contra venabula torquet.

Ad quem locum evolvatur *Drakenborch*, qui, *Sæpe*, inquit, *animalia irata & valida gemere dicuntur.*

GEMITUS. Eodem ſenſu gemitus beſtiis trucibus tribuitur ab antiquis. *Virgilius Æneid. VII, 15:*

Hinc exaudiri gemitus iræque leonum
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum.

Lucanus VI, 688:

Latratus habet illa canum, gemitusque luporum.

Plura dabit laudatus modo *Drakenborch.* Atque hæc quidem eo ſtudioſius annotanda duco, quod ne *Stephani* quidem Theſaurus, noviſſime editus, ullam fecit hujus ſignificationis mentionem.

GLOBUS. Sanguinis globos vomere dixit *Ovidius Metam. XII, 238:*

Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque merumque
Vulnere & ore vomens.

HAMATUS. Unguibus aquilæ dicavit *Ovidius Metam. XII, 563:*

Hamatisque viri laniaverit unguibus ora.

HAMUS. In ſimili re hoc nomen uſurpavit *Ovidius Metam. XI, 342:*

Fecit

Digitized by Google

Fecit avem, & ſubitis prudentem ſuſtulit alis,
Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos.

HUMIDUS. Improprium ſub hac voce non legimus ſignificatum. Habet tamen *humida verba Gellius I, 15: Qui ſunt leves & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi verbis humidis & lapſantibus diffluunt.*

IMMORTUUS. Non tantum ſignificat *in aliqua re mortuus*, ſed *ſuper aliquam rem*, & quidem cum Dativo, quam conſtruendi formam non legimus in *Fabro. Silius XIV, 403:*

Affixit plectro dextram, nec deinde regenda
Puppe manus valuit, flectenti immortua clavo.

Ibidem *verſ. 484:*

- - - *Pars ſubnatat unda*
Membrorum, pars extat aquis, totumque per æquor
Portatur, rigido, miſerandum, immortua roſtro.

IMPEDIO. Conjungendi ratio illa vel maxime annotari meretur, quam nobis exhibet *Cicero pro Muren. Cap. 19: Sed, ſi nosmet ipſi, qui & ab delectatione omni negotiis impedimur, & in ipſa occupatione delectationes alias multas habere poſſumus, ludis tamen oblectamur & ducimur.* Nam ex hoc loco diſcimus, ad veram vim verbi *impedio* conſtituendam duo requiri, & impedimentum in aliqua re ſeu occupationem, & avocamentum ab aliqua re.

IMPERIOSUS. *N. 3* adjici poteſt conſtructio hujus nominis cum Dativo ex *Horatio Serm. II, 7, 83:*

- - - *ſapiens ſibique imperioſus.*

IMPERTIOR. Singularis hujus verbi ratio apud *Senecam Conſol. ad Polyb. Cap. 26: Cæſare orbem terrarum poſſidente, impertiri te nec voluptati, nec dolori, nec ulli rei, potes, totum te Cæſari debes.*

INCIDO. Improprius huic verbo vindicandus eſt ſenſus, quo *abrumpere* ſonat. *Silius III, 78:*

Si quis forte Deum tantos inciderit actus,
Ut noſtro abrumpat leto primordia rerum.

Ad quem locum Cl. *Drakenborch* ex *Livio* & *Seneca* alios ſuppeditabit locos.

IN-

Digitized by Google

INCOCTUS. De Mauris calore ſolis nigris uſurpavit *Silius XVII, 633:*

Et Macerum primi, atque incocti corpora Mauri.

Ubi incocti corpora *Dan. Heinſio* ſunt μελανόχροες, & *Barthio* nigri, quaſi colore tincti poſtmodum incocto.

INCREPITO. Cum Genitivo rei hoc verbum reperitur apud *Silium VIII, 265:*

Ergo alacer, Fabiumque moræ increpitare profeſſus,
Ad vulgum in Patres & ovantia verba ferebat.

In ultimo verſu Interpretes deſudarunt, & ejus veram ſententiam ac lectionem eruere contenderunt. In MSto, teſte *Barthio*, eſt *ut ovantia.* Quod minima mutatione corrigendum putat *Nic. Heinſius petulantia verba.* Cujus veſtigiis preſſius inſiſtit Cl. *Drakenborch*, ita quidem, ut Poeta his verbis maledicta *Varronis* in Senatum indicaſſe cenſeatur. Sed, quoniam non tam de maledictis, quam minis, *Varronis* ſententia *Silii* explicanda, & apud *Livium XXII, 38*, conciones hujus ipſius *Varronis feroces ac denuntiantes* fuiſſe dicuntur, mallem, ſi conjecturæ locus eſt, pro *ut ovantia* legere *minitantia verba*, propterea quod hæc ſcriptura propius accedit ad MStorum fidem, & ipſum verbum *minitans* de *Varrone* poſuit *Silius IX, 267:*

Tum minitans propere deſcribit munera pugnæ.

Sed forſitan & lectio MStorum ferri poſſet, ſi *ut ovantia verba* ita caperemus, ut *Varro* triumphum ante victoriam in Senatu cecinerit, ſeque jactaverit. Nam, hoc ſenſu *ovare* Poetis maxime celebrari, notius puto, quam quod quemquam fugiat.

INCUMBO. Eleganter hoc verbum uſurpavit *Seneca Troad. verſ. 14: Exciſa ferro eſt Pergamum. Incubuit ſibi.*

Hic enim *incumbere ſibi* eſt *in ſe ruere*, aut *in cinerem verti.* De aqua in mare influente idem hoc verbum poſuit *Seneca Hippolyt. 716:*

Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis undis Pontico incumbens mari?

IN-

Digitized by Google

INGEMISCO. Cum quarto caſu compoſitum hoc verbum habet *Apulejus Metam. Lib. IX pag. 152: Ut hercules ejus vicem ego quoque tacitus frequenter ingemiſcerem.*

INSIDO. Elegantiſſimus verbi uſus occurrit apud *Ovidium Metam. X, 257:*

Oſcula dat, reddique putat, loquiturque tenetque,
Et credit tactis digitos inſidere membris,
Et metuit, preſſos veniat ne livor in artus.

INSPICIO. De judicibus hoc verbum adhiberi, ex *Fabro* nemo cognoſcet. Docet id *Petronius Cap. 15: Flagitabant, uti apud ſe utraque deponerentur, ac poſtero die judex querelam inſpiceret.* Ubi Cel. *Burmannus pag. 53, proprium,* ſcribit, *de judicibus verbum*, quem vide.

INTERMORIOR. Igni hoc verbum tribuit *Curtius VI, 6, 31: Barbari ſuppliciorum ultimum, ſi qua intermoreretur ignis, effugere tentabant.*

INTRO. De eo etiam dicitur, quem Deus numine ſuo replet & afflat ſacerdotem. *Statius Achill. I, 513:*

Jam dudum trepido circumfert lumina motu,
Intrantemque Deum primo pallore fatetur.

INTRATUS. De eadem re uſurpatur, quam modo dixi. *Silius XII, 323:*

Addunt ſpem miſeris dulcem Parnaſſia Cirrha
Portantes reſponſa viri, nam læta ferebant
Exaudiſſe adytis, ſacra cum voce teneret
Antrum, & mugiret Phœbo jam intrata ſacerdos.

LABORO. Digna mihi videtur, quæ addatur, hujus verbi notio, quam præter alios ipſi ſubjecit *Silius VIII, 116:*

Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant.

LEGITIMUS. Idem valet, quod *ordinarius, uſitatus. Petronius Cap. 21: Intravere palæſtricæ quamplures, & nos legitimo perfuſos oleo refecerunt.* Ubi Cel. *Burmannus* alia dabit hujus notionis teſtimonia.

LIBO. Addenda merito eſt ſignificatio, qua *leviter tangere* de pedibus uſus eſt *Ovidius Metam. X, 653:*

Signa tubæ dederant, cum carcere pronus uterque
Emicat, et ſummam celeri pede libat arenam.

Digitized by Google

LITTERA. Quemadmodum hoc nomen a Poetis etiam in ſingulari ponitur pro epiſtola, ſic & epitaphium, ſeu titulum ſepulcralem, notat apud *Ovidium Metam. XI, 706:*

Sed neque pugnabo, nec te, miſerande, relinquam,
Et tibi nnnc ſaltem veniam comes inque ſepulcro,
Si non urna, tamen junget nos littera, ſi non
Oſſibus oſſa meis, at nomen nomine, tangam.

LIVEO. De prunis legitur in *Ovidio Metam. XIII, 817:*

Prunaque non ſolum nigro liventia ſucco,
Verum etiam generoſa, novasque imitantia ceras.

MERCES. Uſuræ notio huic nomini ſubjicitur ab *Horatio Sermon. I, 3, 88:*

Qui niſi cum triſtes miſero venere Calendæ,
Mercedem aut numos unde unde extricat amaras
Porrecto jugulo hiſtorias, captivus ut, audit.

Ubi vetus Scholiaſtes: *Mercedem aut numos, uſuras aut ſortem.*

MEREO. Plane ſingularis vis ineſt huic verbo apud *Flaccum VIII, 431:*

Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?

Hic enim notat, *merito ſuo avertere;* quia *Medeæ Jaſon* & comites ſuam omnino vitam debebant.

MILICHUS. Hanc vocem a Latinis civitate donatam plane ignoraremus, ſi fide Lexici noſtri ſtandum eſſet. Nam, quis Græcis de Diis Μείλιχος dicatur, nemini opinor non conſtare. In Latium vero traductum hoc nomen diſcimus ex *Silio III, 104:*

Milichus indigenis late regnaret in oris,
Cornigeram attollens genitoris imagine frontem.

MODUS. Per quam uſitata eſt Poetis hujus nominis ſignificatio, qua *finem* denotat, quæ Lexico deeſt. *Horatius Od. II, 6, 7:*

Sit modus laſſo maris & viarum
Militiæque.

Ad quem locum vetus Scholiaſtes: *Modus nunc pro fine dixit. Virgilius Æneid. IV, 98:*

Sed

Digitized by Google

Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?

Vid. idem *Æneid. VII, 129*, & *Ovidius Metam. VI, 102. Silius XVI, 91:*

Nam quis erit tandem campis telluris Hiberæ
Bellandi modus?

MOROR. Conſtructum cum præpoſitione *ab* hoc verbum videre licet apud *Cæſarem Civil. II, 39, 6: Ne hæc quide res Curionem ab ſpe morabatur.*

NEQUAM. Paria facit cum *abjectus, deſpectus*, apud *Horatium Serm. II, 3, 94:*

\- - - *Quoad vixit, credidit ingens*
Pauperiem vitium, & *cavit nil acrius, ut, ſi*
Forte minus locuples uno quadrante periſſet,
Ipſe videretur ſibi nequior.

Hic vetus Scholiaſtes: *nequior, id eſt, abjectior.*

OBNUBO. Valet etiam *obnubilo, tenebris involvo. Flaccus VII, 584*, de tauris ignivomis, quibus *Jaſon* ſulcos duxit:

\- - - *Bis fulmineis ſe flatibus infert,*
Obnubitque virum, ſed non incendia Colchis
Adſpirare ſinit, clypeoque illiditur ignis
Frigidus, & viſo palleſcit flamma veneno.

OBVERSOR. Vim *oberrandi* habet in *Hirtio Alex. 36, 4: Magnam autem multitudinem pecoris intra eas fauces diſſipari juſſit, paganosque & oppidanos in iis locis obverſari, ut, ſi amicus Domitius has anguſtias tranſiret, nihil de inſidiis ſuſpicaretur.*

OCCIDO. De lucernis improprie ſumitur hoc verbum apud *Petronium Cap. 22: Jam & triclinarches experrectus lucernis occidentibus oleum infuderat.*

OVANS. Variis, quæ in *Fabro* adducuntur, exemplis ſubjici poteſt illud, quando *flammas ovantes*, hoc eſt, ſurgentes & omnia vincentes, dixit *Silius XIV, 448:*

\- - - *Inevitabilis error*
Corruptam flammis involvit ovantibus alnum.

PERLECTO. Hoc verbum ſolummodo *Ciceronis* loco dubio probatur. Certior eſt locus *Apuleji Metam. Lib. V*

pag. 73: Mox, perlectante ſtudio pulcherrimæ viſionis, miratur ſingula. Quod verbum apud eundum Autorem aliis paſſim locis, jam non afferendis, obſervare licet.

PRONUS. Currentibus, qui ſe protendunt, convenire hoc nomen, docet *Ovidius Metam. X, 652:*

Signa tubæ dederant, cum carcere pronus uterque
Emicat.

Qua de cauſa & eidem *Ovidio proni lepores* appellantur *Metam. X, 538.*

PULSO. Notandus & ille verbi uſus, qui perſpicitur ex *Silio VI, 436:*

Affixi clypei, curruſque & ſpicula nota,
Ædibus in parvis, magni monumenta triumphi,
Pulſabant oculos &c.

RECONDO. Eſt etiam *rurſus pono* caput in ſtrato. *Ovidius Metam. XI, 649:*

Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit, & rurſus molli languore ſolutum
Depoſuitque caput ſtratoque recondidit alto.

RECUMBO. Non ineleganter occurrit poſitum hoc verbum apud *Silium VI, 594:*

Maxima curarum, rectorem ponere caſtris,
Cui Latium & moles rerum quaſſata recumbat.

REDUCO. Menti quoque jungitur hoc verbum, & *mente reducere*, idem eſt, quod *animo repetere*, apud *Silium VIII, 136:*

Poſtquam illum infelix hauſit, quo munera primum
Sunt conſpecta, diem, & convivia mente reduxit.

REFERO. *Referre labores Silio III, 165*, notat, iterum efficere labores & reducere:

Tum pater omnipotens gentem exercere periclis
Dardaniam, &, fama ſævorum tollere ad aſtra
Bellorum meditans, priſcoſque referre labores.

REFICIO. Sanationem vulneratorum hoc verbum inter alia quoque denotat. *Ovidius Metam. XIII, 172:*

Ergo

Ergo opera illius mea ſunt. Ego Telephon haſta
Pugnantem domui, victum orantemque refeci.

RENIDENS. Non tantum de læto vultu & hilari reperitur, ſed & de torvo. *Silius XIII, 375:*

Haut unquam hoc vobis dederit Deus. Inde minaci
Obtutu torvum contra & furiale renidens
Bellatorem alacer per pectora tranſigit enſem.

RENIDEO. Hoc ipſum etiam verbum obſervandum puto ex *Horatio Od. III, 6,12:*

Jam bis Monoeſes & Pacori manus
Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros, & adjeciſſe prædam
Torquibus exiguis renidet.

REPETO. Non negligendam cenſeo verbi hujus ſignificationem, quam legimus apud *Ovidium Metam. IX, 615:*

Vincetur, repetendus erit, nec tædia capti
Ulla mei capiam, dum ſpiritus iſte manebit.

Ubi *repetere* ſonat *iterum precibus aliquem adire.*

RESALUTO. Non ſolum de eo dicitur, qui, a quo prius ſalutatus eſt, viciſſim ſalutat, quod *Faber* annotavit, ſed &, qui iterum eundem ſalutat. *Martialis V, 22,3:*

Nunc utrumque ſuo reſalutat nomine. Quantum
Cura laborque poteſt. Scripſit & edidicit.

RESONO. Valet etiam *reſonare facio.* *Virgilius Æneid. VII, 12:*

Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu, tectisque ſuperbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Ad quem locum evolvatur *Servius.*

RETRACTO. De ædificiis poſitum idem eſt, quod *reficio.* *Silius IV, 22:*

Nec vero muris, quibus eſt luctata vetuſtas,
Ferre morantur opem, ſubvectant ſaxa cavasque
Retractant turres, edit quas longior ætas.

SENIUM. De ædificio adhibitum idem valet, quod *vitium,* ſive *ruina.* *Silius III, 20:*

 Vul-

Vulgatum, nec caſſa fides ab origine fani
Impoſitas durare trabes, ſolasque per ævum
Condentum noviſſe manus, hinc credere gaudent
Conſediſſe Deum, ſeniumque repellere templis.

SINCERUS. Quando de corpore uſurpat *Ovidius Metam. XII, 100*, ſignificat *illæſum, nec vulneratum:*

Tela manu torſit, rurſus ſine vulnere corpus
Sincerumque fuit.

SINUS. De intimis terræ receſſibus hoc nomen reperitur. *Seneca Troad. verſ. 172:*

Cum ſubito cæco terra mugitu fremens
Concuſſa, totos traxit ex imo ſinus.

Ad quem locum plura hujus notionis dabit exempla *Gronovius.*

SONO. Hoc verbum idem valere, quod *clamare*, ſeu *magna voce loqui*, de hominibus nos dubitare non ſinit *Silius XV, 745:*

Ductor Agenoreus ſubit, intorquensque lacertis
Tela, ſonat, cohibete fugam, cui cedimus hoſti?

STELLATUS. Raræ notionis nomen hoc occurrit apud *Silium XIII, 109:*

His latera intextus ſtellatis axibus agger,
His gravida armato ſurgebat vinea dorſo.

STUPEO. Cum Accuſativo hoc verbum, ut pleraque Neutra, per præpoſitionem explicanda, junctum Lexicon noſtrum ignorat. Dabit exempla *Flaccus I, 149:*

Hæc quanquam miranda viris ſtupet Æſone natus.

Idem *II, 620:*

\- - - *Stupuitque fragorem*
Canus & occiduis regnator montibus Atlas.

SUBDUCO. Quæ ſuperius V. *Deduco* jam monuimus, ea & hic teneri etiam atque etiam velim. Nam hoc verbum vim nonnunquam ſuſtinet illam, quæ non tam a præpoſitione *ſub*, quam ab adverbio *ſurſum*, ſeu *in locum altiorem, ducere.* Quod, quamvis Lexicon non habeat, habet tamen *Cæſar Gall. I, 22, 3: Cæſar ſuas copias in proximum collem ſubduxit.*

SUB-

Digitized by Google

SUBMISSUS. Eadem compoſitionis ratio in hoc nomine & ejusdem originis verbo habenda, quam præcedenti vocabulo commendavimus. Nam ignorat Lexicon noſtrum eam *ſubmiſſus* notionem, qua de precantium manibus in cœlum ſublatis collocatur. *Silius IV, 411:*

Credite ſubmiſſas Romam nunc tendere palmas.

Ubi Cl. *Drakenborch* ita: *Cum ſupplicantium conſuetudo fuerit manus tollere, ſubmiſſus hic capiendum pro ſurſum emiſſus.* Idem *Silius XII, 640:*

Submiſſas tendunt alta ad Capitolia dextras.

Ubi pariter legi meretur laudatus *Drakenborch.*

SUBMITTO. Pari ſenſu hoc verbum reperitur, & *ſurſum mittere* manus ſignificat. *Seneca Oedip. 226:*

Ut ſacrata templa Phœbi ſupplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite ſubmiſi manus.

Idem *Troad. 708:*

\- - - *Submitte manus*
Dominique pedes ſupplice dextra
Stratus adora.

Hunc ſignificatum & *ſubmiſſus* & *ſubmitto* eo diligentius obſervandum arbitror, quod, licet Cel. *Geſnerus* in Specimine novi linguæ latinæ Theſauri has duas voces, pro vaſtiſſima lectionis copia, exemplis & numero & delectu reliquorum induſtriam ſuperantibus illuſtratas nobis exhibuerit, tamen hunc, quem modo tradidi, ſignificatum plane omiſit. Ex quo ſane intelligitur, nihil eſſe difficilius, quam Lexicon conſcribere. In quo tamen negotio, quantum ego intelligo, id cumprimis ſpectandum eſt, & elaborandum, ut vocum prima ſignificatio conſtituatur ea, ex qua, tanquam ex fonte, dimanant reliquæ, & origo maxime compoſitorum verborum etiam atque etiam attendatur, ne ſignificatus ex diverſa compoſitione orti inter ſe confundantur. Quæ vitia in *Fabri Theſauro* ſunt frequentiſſima.

SUBSIDO. Eleganter hoc verbo uſus eſt *Ovidius Metam. X, 283*, pro *prementi cedere:*

Ten-

Tentatum molleſcit ebur, poſitoque rigore
Subſidit digitis ceditque &c.

SUPERINSTREPO. Fruſtra hoc verbum in tantæ molis Theſauro, & tot virorum induſtria congeſto, quæſiveris, cum ejus patronum habeamus *Silium II, 186:*

- - - Superinſtrepit ater,
Et ſervat curſum perfractis oſſibus axis.

SUPPRIMO. Eodem, quo *ſubmitto*, ſenſu occurrit apud *Senecam Troad. verſ. 261:*

- - - Quoque fortuna altius
Evexit ac laudavit humanas opes,
Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet.

TONO. Obſervanda quoque mihi videtur verbi conſtructio, quam habet *Seneca Hippolyt. 682:*

In me tona, me fige, me velox cremet
Transactus ignis.

TRABEATUS. Fuit & apud Romanos genus comœdiarum trabeatarum, quarum autor extitit *Cajus Meliſſus*, qui ſub *Auguſto* curam ordinandarum Bibliothecarum in *Octaviæ* porticu ſuſcepit. Teſtatur id *Suetonius de Grammat. illuſtr. Cap. 21*, in quo de hoc ipſo *Meliſſo* inter alia refert: *Fecit & novum genus Togatarum, inſcripſitque Trabeatas.*

VERSUS. Eleganti ſenſu hoc nomen invenitur in *Silio VII, 658:*

At Brutus, diro caſu turbatus amici,
Auſum multa virum, & ſpargentem in vulnera ſævos
Fraude fugæ calamos, jam nullis curſibus inſtat
Prendere cornipedis, ſed totam pectoris iram
Mandat atrox haſtæ, telumque volatile nodo
Excutit, ac ſummum, qua laxa monilia crebro
Nudabant verſu, transmittit cuſpide pectus.

Ubi *Nic. Heinſius: Verſus eleganter catenulas vocat, quod quoquo verſum inflecti poſſunt.*

VITIATUS. Idem etiam ſonat, quod *infectus. Silius XV, 116:*

Hinc tibi non Tyrio vitiatas murice veſtes.

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio IX.

A GENERAL HISTORY OF PRINTING, &c.
hoc eſt,
HISTORIA TYPOGRAPHIÆ GENERALIS, ab inventione ejus prima ad annum 1520 & 1550, Autore S. PALMERO, Typographo.

Londini, apud A. Betteſworth, C. Hitch, & C. Davis, 1733, 4.
Alph. 2 plag. 4.

Cum huc usque nemo unus typographicæ artis hiſtoriam ſermone Anglicano perſecutus ſit; Cl. Autor operæ pretium eſſe duxit, ſingulari ſolertia ea colligere, atque in unum volumen referre, quæ *Mallincrotius*, *de la Caille*, *Chevilierius*, *Endterſius*, *Paulus Pater*, *Orlandus*, & *Maittairius*, de hoc argumento notatu digna obſervarunt. Quorum quidem obſervationes novis additis auxit. Neque enim ſolum præſtantiſſimas Bibliothecas Londinenſes, Oxonienſes, & Cantabrigienſes, eo conſilio perluſtravit, ut typographicæ artis illuminaret hiſtoriam, verum etiam Illuſtriſſimi Comites *de Pembroke* atque *de Oxford* diligentiſſimi *Palmeri* inſtitutum quovis modo promoverunt, atque ſingulares obſervationes, ad hoc argumentum facientes, cum eo communicarunt. *Tribus* autem *Libris* hic Commentarius abſolvitur. *Primo* de inventoribus artis typographicæ Autor diſputat, & libros recenſet, qui primum prela exercuerunt.

cuerunt. *Secundo* de arte typographica, per omnia propemodum Europæ regna divulgata, diſſerit, primos uniuscujusque civitatis typographos nominat, & libros, ab iis ad annum usque 1520 typis exſcriptos, enumerat. *Tertio Libro* ſigillatim fata artis typographicæ in Anglia ad annum usque 1550 deſcribit; qui quidem *tertius Liber* cum imprimeretur, Cl. *Palmerus* vi-
Pag. 310. tam cum morte commutavit. Ut ne ſpecimen ex hoc Opere deſit, ex *primo Libro* ſingulares aliquot obſervationes commemorabimus. Germanis jure meritoque Cl. *Palmerus* inventæ artis typographicæ gloriam tribuit, & ſuum facit *Laurentii Vallæ*
8. Epigramma:

Abſtulerat Latio multos Germania libros;
Nunc multo plures reddidit ingenio;
Et, quod vix toto quisquam perſcriberet anno,
Munere Germanico conficit una dies.

Joannem Fauſtum, civem Moguntinum, primum inventorem nominat, cujus gener, *Petrus Schæfferus*, artem typographicam novis inventis perfecerit. *Joannem Guttenbergium* autem, qui deinceps Argentoratum conceſſit, eo tantum nomine ad typographicæ artis inventores referri poſſe cenſet, quod *Fauſto* numis repræſentatis adjumento fuerit. Neque enim ullum exſtare librum, qui *Guttenbergii* nomen præ ſe ferat, cum numero multi etiamnunc reperiantur, qui a *Joanne Fauſto* typis ex-
9. cuſi ſunt. Eam in rem ad *Jo. Tritbemium* præcipue provocat, qui in *Chronico Spanhemienſi ad annum 1450* de hoc argumento agit, quod in *Chronico Hirſaugienſi* latius perſequitur. Teſtes etiam appellat *Jo. Nauclerum, Sebaſt. Münſterum*, & *Jo. Aventinum*, quibuscum ipſe etiam Imperator *Maximilianus* conſpirat. *Joanni* enim *Schæffero*, *Joannis Fauſti* nepoti, qui A. 1499 *Livii* Opera typis exſcribi curavit, privilegium is conceſſit, quo reliquis typographis interdicitur libros recudi curare, a
28. *Schæffero* impreſſos, propterea quod ejus avus primus ſit artis typographicæ inventor. In Bibliotheca Vindobonenſi *Codex Pſalmorum* exſtat, A. 1457 impreſſus, in cujus fine de origine artis typographicæ hoc legitur teſtimonium: *Præſens Pſalmorum Codex, venuſtate Capitalium decoratus, rubricationibusque*

ſuffi-

Digitized by Google

*ſufficienter diſtinctus, ac inventione artificioſa imprimendi ac cha-
racteriſandi, absque calami exaratione, ſic effigiatus, ad Euſebiam
Dei induſtrie eſt conſummatus per* Joannem Fuſt, *civem Mo-
guntinum, &* Petrum Schœffer de Gernsheim, *anno Domini mil-
leſimo CCCCLVII, in vigilia Aſſumptionis.* Conf. *Petri Lambecii
Bibliotheca Vindobon. pag. 989.* Eadem verba ſub finem *Ratio-
nalis divinorum Guilielmi Durandi*, Moguntiæ A. 1459 in fol.
editi, reperias. Neque minus memoratu digna inſcriptio eſt,
quæ Vocabulario Latino, cujus index *Catholicon*, Moguntiæ A.
1460 edito, addita eſt: *Altiſſimi præſidio, cujus nutu infantium* Pag. 30.
*linguæ fiunt diſertæ, quique nimio ſæpe parvulis revelat, quod
ſapientes celat, hic liber egregius,* Catholicon, *Dominicæ incar-
nationis anno MCCCCLX alma in urbe* Moguntina, *nationis in-
clytæ* Germanicæ, (*quam Dei clementia tam alto ingenii lumine,
donoque gratuito, ceteris nationibus præferre illuſtrareque digna-
tus eſt,*) *non calami, ſtili, aut pennæ, ſuffragio, ſed mira patro-
narum atque formarum concordia, proportione, & modulo, impreſſus
atque confectus eſt.*

Hinc tibi, ſancte Pater, Nato, cum Flamine ſacro,
Laus & honor, Domino trino tribuatur & uno,
Eccleſiæ laude libro hoc, Catholice, plaude;
Qui laudare piam ſemper non linque Mariam.

Deo gratias.

Et in Bibliotheca Comitis de *Pembroke*, & in ſupellectile libraria
D. *Richardi Meadii*, *Catholicon* exſtat, cujus modo fecimus
mentionem. In exquiſitiſſimo librorum apparatu D. *Meadii* 34.
etiam ſunt *Biblia Latina* in *folio*, quibus hæc verba addita ſunt:
*Præſens hoc Opus finitum ac completum & ad Euſebiam Dei in-
duſtrie in civitate* Moguntina *per* Joannem Fuſt, *civem, &* Pe-
trum Schœffer de Gernsheim, *Clericum Diœceſis ejusdem, eſt con-
ſummatum anno incarnationis Dominicæ 1462, in vigilia aſſum-
ptionis glorioſæ virginis Mariæ.* Cl. Autor propugnat, ante hæc
Biblia aliam *Bibliorum* editionem anno circiter 1450, nulla facta
loci, typographi, aut anni, mentione, prodiiſſe, quorum exem-
pla pro totidem MStis *Fauſtus* venditarit, & *Trithemii* autorita-
te tuetur, hæc ipſa *Biblia* primum Opus perfectum eſſe, quod

 prela

prela exercere deſiit. In Bibliotheca Comitis *de Oxford Officia Ciceronis*, A. 1465 impreſſa, exſtant, ſub quorum finem legas: *Præſens* Marci Tullii *clariſſimum Opus* Joannes Fuſt, Moguntinus *civis*, *non atramento plumali*, *canna*, *neque ærea*, *ſed arte quadam perpulchra*, *manu* Petri de Gernsheim, *pueri mei*, *feliciter effeci*, *finitum an. MCCCCLXV*, *die IV Februarii*. De reliquo non negligendum videtur, Cl. Autorem *Joanni Regiomontano*, Ma-
Pag. 200. thematico excellentiſſimo, inter præcipuos typographos locum vindicare; cujus ſub auſpiciis ars typographica procul dubio ad majorem perfectionem pervenerit. In Bibliotheca enim Illuſtriſſ. Comitis *de Pembroke* exſtat *Manilius* in 4, cujus ſub finem hæc verba ſubjecta ſunt: *Ex officina Johannis de Regiomonte in Nuremberg*. Licet annus, quo prodiit, nominatus non ſit; antiquiſſimis tamen characteribus exſcriptum eſſe, Cl. *Palmerus* judicat.

MEMOIRS OF THE LIFE AND CHARACTER OF THE late Earl of Orrery, &c.

hoc eſt,

COMMENTARIUS DE VITA ET CHARACTERE Comitis de Orrery, & de familia Boyliorum, Autore EUSTATIO BUDGELLIO.

Londini, apud Guil. Mears, 1732, 8 maj.

Plag. 18.

Ab eo tempore, quo *Boyliorum* familia illuſtris eſſe cœpit, nunquam in ea defuere, qui generis nobilitatem meritis ſuis ſumma cum gloria tuerentur. Neque enim ſolum reipublicæ ſalus iis curæ fuit cordique, cui & conſiliis & armis prudenter fortiterque profuere, verum etiam de literarum ſtudiis optime ſunt meriti. Cl. *Budgellius* igitur operæ fecit pretium, quod illa cum cura collegit, quæ ad gloriam gentis *Boylianæ* pertinere videbantur, præſertim cum ei licuerit eſſe tam felici, ut Comite *de Orrery*, A. 1731, ætatis 57, vita defuncto, gentis *Boylianæ* ornamento præcipuo, familiariter uteretur, atque monumenta fide digniſſima ei fuerint ad manus, unde gentis hujus hiſto-

Digitized by Google

hiſtoriam repeteret. Ut ne ſpecimen ex hoc Commentario in *Actis* noſtris deſit, tres tantum *Boylios* nominabimus, qui eruditionis laude præ reliquis eminent. Primus eſt *Rogerius*, filius Pag. 2.
natu tertius *Richardi*, qui ſub finem Seculi ſexti atque decimi inter præcipuæ dignationis viros, quos *Lords* appellare conſueverunt, primus e gente *Boylia* numeratus eſt. Is, poſt varias 89.
res in republica geſtas, ad ſcribendas *Comœdias* & *Poemata* animum appulit, quæ tum temporis omnium tulere plauſus. Ex iis Cl. Autor illud Poema ſpeciminis loco exhibet, quod morti *Abrahami Cowley* dicavit. In quo quidem non ſine af- 94.
fectu conqueritur, eruditionem viri docti cum ipſo perire. Notari etiam meretur Poema ejus politicum, quod ſub indice *a Dream*, id eſt, *Somnium*, prodiit. In eo genium Gallicum loquentem introducit, qui *Carolo II* autor eſt, ut ſecundum Regis Galliæ principia commodis ſuis conſulat. Genius autem parentis ejus, *Caroli I*, Gallici genii argumenta refellit, &, ſe ſuo cum damno didiciſſe, profitetur, præcipuum Regis theſaurum amorem populi eſſe. *De arte bellandi* itidem commentatus eſt, 101.
ſeque in Græcis & Romanis antiquitatibus egregie verſatum eſſe, hoc ipſo argumento docuit. Præ ceteris autem ejus ſcriptis Cl. *Budgellius* Epiſtolam laudat ad *Petrum Welch*, qua de 102.
Pontificiis in Hibernia ex inſtituto diſputat. Sub finem vitæ, qui A. 1679 d. 16 Octob. contigit, Poematibus ſacris omnem 105.
dicavit operam, & feſtos dies tantum non omnes carmine celebravit. *Richardi Boylii* filius natu ſeptimus, & frater *Rogerii*, 118.
Robertus eſt, in omni Europa celeberrimus. Is, Limmerici in Hibernia A. 1626 d. 26 Jan. natus, Lugduni in Belgio literarum ſtudiis operam navavit, & deinceps, itinere in Galliam atque Italiam ſuſcepto, eruditionem auxit, obſervationesque numero multas inſtituit. In Angliam redux, ad annum usque 1691, ætatis 64, quo diem obiit, in indagandis naturæ arcanis, ſi quis alius, ſolertem ſe præſtitit, & inſigni in literatos liberalitate, atque erga exteros eruditos humanitate, omnium plauſus promeruit. Tot in re naturali experimenta feciſſe dicitur, quot ante eum vix ullus Philoſophiæ naturalis conſultus, &, quod præ ceteris commemorabile eſt, nullum eo conſilio experimentum

 inſti-

Digitized by Google

inſtituit; quo ſingulare aliquod ſyſtema firmaret, ſed ut veritatem indagaret & erueret. Summo illi cedit honori, quod
Pag. 122. & *Iſaacus Newtonus* & *Herm. Bœrhaavius* ejus veſtigiis inſiſtant, ejusque inventa in rem Philoſophiæ naturalis in ſcriptis ſuis vertant. Quemadmodum vero Opera ejus philoſophica in omnium verſantur manibus; ſic e ſcriptis ejus theologicis præ aliis laudari meretur Diſſertatio *de ſumma veneratione, quam intellectus humanus ſummo Numini debet*, qua illorum temeri-
126. tatem graviter reprehendit, qui ſibi perſuadere audent, ſe ſummi Numinis perfectionum veram rationem atque indolem penitus perſpexiſſe. *Carolus*, Comes *ab Orrery*, *Rogerii* nepos, A.
156. 1676 natus, tertius e gente *Boyliorum* eſt, qui literarum ſtudiis gloriam debet. Cujus quidem meritis recenſendis Cl. *Budgellii* Commentarius præcipue dicatus eſt. Is, cum in Academia Oxonienſi in Collegio Ædis Chriſti literis operam navaret, interpretationem vitæ *Lyſandri*, quam *Plutarchus* deſcripſit, con-
158 ſeq. texuit, & non multo poſt, ſuaſu D. *Alduricbii*, Græcas *Phalaridis* Epiſtolas recudi curavit, Latinamque verſionem, eamque elegantiſſimam, addidit. In Præfatione autem, huic editioni præmiſſa, hiſce verbis utitur: *Collatas etiam* (Epiſtolas) *curavi usque ad Epiſtolam 40 cum MSto in Bibliotheca Regia, cujus mihi copiam ulteriorem Bibliothecarius, pro ſingulari ſua humanitate, negavit.* Quæ quidem verba ferebat ægerrime Celeb. *Richardus Bentlejus*, Regis Bibliothecarius. Diſſertatione enim *de Epiſtolis Phalaridis* edita non ſolum negat, ſe illi uſum MSti Codicis diutius concedere noluiſſe, verum etiam *Boylii* interpretationem reprehendit, &, *Phalaridis* Epiſtolas ſpurias eſſe, atque a Sophiſta quodam ſuppoſitas, tuetur. *Boylius* contra *Bentleji* Diſſertationem ſingulari, eaque eximia, commendatione ſub examen vocat, cauſamque ſuam ſtrenue agit. Epiſtolarum enim *Phalaridis* γνησιότητα veterum autoritate tuetur, atque, illas ætati genioque ejus optime exacteque convenire, declarat. De qua quidem controverſia ut eo melius judicium ferri queat, Clar. *Budgellius* aliquot *Phalaridis* Epiſtolas
173-188. Anglico ſermone interpretatus eſt, & Commentario ſuo attexuit.

AURE-

AURELII MACROBII AMBROSII THEODOSII, Viri clariſſimi & illuſtris, quæ exſtant, omnia, diligentiſſime emendata, & cum optimis editionibus collata, ut ex Præfatione manifeſtum.

Patavii, excudebat Joſephus Cominus, 1736, 8.
Alph. 2 plag. 6 ½.

Macrobius non aureo, quod dicitur, Latinæ linguæ ſeculo, ſed quinto demum poſt adventum Chriſti, floruit; præterea non Romæ, neque in Latio, ſed in Græcia potius, natus eſſe videtur. Ætas ipſius vel inde patet, quod *Servii* ac *Symmachi* fuerit æqualis, id quod ipſe dicit *Saturn. Lib. I Cap. 2, Lib. VI Cap. 6, 7,* & *Lib. V Cap. 1.* Neque abnuit idem ille, alienigenam ſe eſſe, *Lib. I Saturn. Cap. 1.* Quod autem ſigillatim Græcus fuerit, ex nomine ipſius, quemque *Euſtathium* ſæpe vocat, filii potiſſimum, conjicitur. Quanquam vero, rebus ita ſe habentibus, oratio *Macrobii* nonnihil peregrinitatis olet, atque etiam ex vitio ſeculi ſordes quasdam contraxit; nihilo minus tamen tanta rerum copia, tanta reconditæ doctrinæ ubertate, abundat, tantam optimo cuique ſcriptori, *Homero* potiſſimum, *Ciceroni, Virgilio,* lucem accendit, ut, ab iis, qui rerum pulcherrimarum cognitionem magni faciunt, magni pariter illum æſtimari, oporteat. Utilitatem nimirum confert *Macrobius* non ſolum Grammaticis, Criticis, eloquentiæ tam liberæ, quam ligatæ, hiſtoriarum item atque antiquitatum, amatoribus, ſed Mathematicis etiam, Muſicis, Phyſicis, ac ceteris Philoſophis. Habuit itaque Cl. Editor cauſam non unam, quare utilem pariter ac rarum paſſim Scriptorem iterum publicaret, ejusque contextum accuratius exhiberet. Optaſſent forte nonnulli, notas adjeciſſet; ſed, dum moli forte atque emtorum ſumtibus parcere voluit, dumque alii jam bene multas adſcripſerunt, ſuo etiam in genere eximiam hic liber laudem meretur. Editiones, quibus uſus eſt Editor, ſunt Veneta, ab *Hieronymo Scoto,* typographo, A. 1570 in octava folii parte curata, quam quadriennio poſt in eadem urbe & eadem forma recudit *Joannes Gryphius.* Miratur Vir doctiſſimus, repetitam illam editionem *Joannis Alberti Fabricii,* cele-

celeberrimi & laborioſiſſimi Viri, qua Beatum laude jure quodam mactat, diligentiam effugiſſe. Ex hujus ipſius *Bibliotheca Latina*, quæ ad *Macrobium* pertinent, in hanc editionem Noſter transtulit, & poſt brevem ſtatim Præfationem collocavit. Sed, ut eo, unde deflexiraus, redeamus, *Jacobi Gronovii* editionem, quæ prodiit Lugduni Batavorum A. 1670, cum plurium doctorum virorum annotationibus, quod attinet ad ipſa *Macrobii* verba, potiſſimum exprimendam curavit Editor, atque, ubi vel obſcuritatis vel ambiguitatis vitandæ ſtudium id ipſum ſuadere viſum eſt, ſignorum, quibus inciſa & membra orationis diſtingui ſcribendo ſolent, mutationem paſſim ſuſcepit, neque minus haud raro Pariſienſem *Henrici Stephani*, anni 1585, & *Aldinam*, anni 1528, conſuluit, a quibus aliquot lectiones mutuari ipſi placuit, minime contemnendas. Opuſculum *de differentiis Græci Latinique verbi*, quod hac ſimul editione exhibetur, nunquam ante apud Italos reliquis *Macrobii* ſcriptis additum fuerat; neque ad illud annotationes *Joannis Iſaaci Pontani* & *Joannis Opſopæi* omittendas eſſe cenſuit Noſter, cum ad Autoris verba intelligenda ſæpius neceſſariæ omnino videantur.

DE ELIGENDA INTER DISSENTIENTES Chriſtianos ſententia, ſeu de vera inter Chriſtianos religione eligenda Liber, adverſus JOANNEM CLERICUM, Reformatæ, ut ajunt, religionis hominem, Autore VINCENTIO LUDOVICO GOTTI, Ord. Prædic. in Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Profeſſore, nunc S. R. Eccleſiæ Cardinali.

Romæ, typis Rochi Bernabo, 1734, 8.

Alph. 1 plag. 2 ½.

Exſtant quædam in orbe literato ingenia, quæ magnum in eo quærunt honorem, ſi liberius ſentiendo multos eruditos in campum adverſarios elicere poſſunt. Horum ex numero *Jo. Clericus* unus eſt, quippe qui, dum in erudita viguit civitate, novas

novas ſemper & inuſitatas ſparſit opiniones. Ex quo argumentum ducere fas eſt, eum perpetuarum diſſenſionum ſeſe objeciſſe periculo, cum omnium in ſe odia conſulto concitaverit ac molitiones. Atque is ſane, quod voluit, conſecutus eſt. Non eſt enim ullus facile in toto, quam latiſſime patet, cultiore orbe locus, ubi non *Clerici* nomen inauditum, & ut nigrum abjectum fuerit. Præbuit ipſe novam identidem occaſionem ſecum certamina ineundi, dum tot majoris minorisque formæ in lucem emiſit volumina, ſingulares ejus ſententias nuntiantia. Evulgavit idem, novisque formis deſcribendum curavit *Hugonis Grotii* Tractatum *de veritate religionis Chriſtianæ* Amſtelodami A. 1709, huicque editioni adjecit libellum, quaſi appendicem, qui *de eligenda inter diſſentientes Chriſtianos ſententia* inſcribitur. In hoc primum ac præcipuum, quod toties inculcat, hoc eſt, in eligenda de religione ſententia ſacros Novi Teſtamenti libros unice conſulendos eſſe. Deinde vult, ut ei ſe Chriſtianorum cœtui quilibet aſſociet, quem viderit credere, quæ ipſe credit, & damnare, quæ ipſe damnat. Tertio contendit, nihil eſſe neceſſario credendum, niſi quod in libris Novi Teſtamenti diſerte habeatur, vel neceſſaria ex ipſis conſecutione ducatur; reliqua vero additamenta eſſe, quæ profiteri nemo ulla teneatur lege. Quarto fons purus ac minime ſuſpectus, ex *Clerici* ſententia, non ſunt ſymbola aut doctrina Eccleſiæ, ſed privatum cujusque judicium, qui religioſa mente ſacras volvat paginas. Quintum, quod aſſumit, hoc eſt, ſpeciali Dei providentia factum eſſe, ut libri divinitus traditi illibati ſerventur, quibus, Seculis proxime elapſis, errores, in quos inciderat Eccleſia, per Reformatores detegerentur. Tandem jure affirmat, mutatam fuiſſe antiqui regiminis formam in quibusdam regionibus, ne per Epiſcopos eorum amplius Eccleſia gubernaretur. Tam diu jam hæc *Clerici* innotuerunt ſcita, & nemo Romæ fuit, qui eis ſeſe opponeret. Tum autem, cum Vir Clariſſimus, ſenio confectus, & rude donatus, domi ſederet, tam eximio affectus eſt honore, ut Eminentiſſ. S. R. E. Cardinalis *Gotti* in pugnam eum eliceret, num palmam, in medio adhuc, ut cenſet, poſitam, ſibi ſuæque Eccleſiæ vindicare poſſet, experturus.

Digitized by Google

Quod *Clericum Reformatæ religionis hominem* in indice vocat, id quidem de *Arminianorum* ſive *Remonſtrantium* intelligendum ſecta, cui addictus eſt ille. At is tamen non in omnia *Jac. Arminii* juravit verba, ſed in eorum *Remonſtrantium* haberi meretur numero, qui *Sociniani* ab iis dicuntur, qui lites, in quas orbis Chriſtianus ſciſſus eſt, tractant. Huic igitur, cui nomen dedit, ſectæ quavis occaſione, ut ſit, patrocinatur & advocationem præſtat *Clericus*. Hinc in excitato libello a ſtudio cavit partium; id quod ex ipſa lectione nemini perſpicuum non evadet. Nec vero Reverendiſſimus *Clerici* adverſarius neutrius partis eſſe ſtuduit; quod tamen ad officia pertinet eorum, qui aliorum errores convellere ac diluere conantur. Namque in eo multus, atque adeo totus eſt, ut, hodiernam Eccleſiam Romanam, in cujus ſcilicet Patrum Purpuratorum hodie concilio ſedet, unicam veritatis ſacræ cuſtodem eſſe, contendat. Ex quo conſequi putat, de eo, quod, Deo autore, credendum ſit, extra Romana pomœria certum eſſe poſſe neminem. Hac mente iis militat autoritatibus, quarum nervos illi, qui *Proteſtantes* appellantur, dudum jam incidere moliti ſunt. Easdem repetit rationes, ad quas ſexcenties ad nauſeam usque reſponſum fuit. In hac literarum luce aliis armis indutos eſſe oportet, qui cum eruditis adverſariis congredi animos ſumunt. Non antiquitate, non autoritate, non ambiguis Patrum explicationibus, pugnatur hodie, ſed recta ratione & ſacris oraculis. Cum his ſi veteres, iidemque orthodoxi, civitatis Chriſtianæ antiſtites amice conſpirent, de hujusmodi concentu nobis gratulamur omnino & gaudemus. Is vero hoc nobis arridet magis, quo propius reverendi Præſules, qui a nobis, vel, ſi mavis, a veritate, ſtant, ad ſeculum accedunt Apoſtolicum. A priſca illa Roma, in qua purior Servatoris doctrina olim obtinuit, multum deſcivit hodierna, & toto disjuncta eſt cœlo. In doctrinas ſacroſanctas, quæ diſertiſſimis interdum verbis in Codice leguntur, anathematis fulmen patres vibrarunt Tridentini. Ergo aut divinitus acti eruditique homines, aut hi verſati ſunt in errore. Hoc nobis *dilemma* ſolvat Reverendiſſ. *Gotti*, aut, ſi nolit, nos audiat, hanc in ſententiam no-

Digitized by Google

nodum iſtum explicantes: Non divini errarunt viri; namque, Deo inſpirante, ſcripſerunt, & rectæ rationis pariter, ac divinæ *ἀξιοπιστίας*, ubivis, quoquo nos convertimus, veſtigia in eorum perſpiciuntur libris. Itaque relinquitur, ut Tridentini Patres a regia cœleſtis veritatis via aberraverint. Fanatismi etenim character, isque haud temere inficiandus, ille eſt, ſi qua eccleſia doctrinas, veræ ac certiſſimis divinæ originis indiciis dudum corroboratæ patefactioni prorſus contrarias, tuetur ac defendit. A Deo alienum eſt, inter ſe repugnantia decernere, atque id, quod ſemel verum eſſe ſcivit, alio loco velut retractare. Noſtrum hoc, quod Eminentiſſ. Cardinali objecimus, *dilemma* difficilius ei ſolutu eſt, quam illud jam diu antiquatum & a Pro- Pag. 357. teſtantibus proſcriptum, quod nunc denuo urgetur, quodque ita ſe habet: *Romana Eccleſia aut vera aut falſa fuit Eccleſia*, &c. Nil facilius hac eſt ſolutione: Servator in promiſſis dedit, Eccleſiam *univerſalem* nullo unquam tempore ceſſaturam, ipſasque inferorum portas, quicquid demum moliantur, nihil adverſus eam valituras eſſe. Atque hoc modo vera *univerſalis* Chriſti Eccleſia ſemper fuit, eſt, erit, tamque ſtabilis manebit, quam Marpeſia cautes. Ita ſuis ſtetit ſtabitque promiſſis Dominus, a quo prorſus alienum eſt mentiri. Hodierna vero *Romana* Eccleſia *particularis* aliqua eſt Eccleſia, quæ omnino a priſca fidei deſcivit munditie, adeoque pro vera haberi nequit. Verum a re propoſita noſtra ſejunctum eſt, huic nos immiſcere controverſiæ, ut qui bene recordamur, nil, præter recenſendi partes, nobis hic imperatum eſſe. Nec nos pœnitet tamen, iſta præmiſiſſe, quo judicium ferri a prudente queat lectore, nec cum *Clerico*, nec cum Rev. *Gotti*, ſeſe conjungere poſſe, qui, abjecto partium ſtudio, unicæ litat veritati. Clarius hoc noſtra edocebit relatio, cui nunc demum vacabimus. Ex hac nimirum apparebit, ea a Rev. Autore fuiſſe propoſita, quæ ſive *Clerico*, ſive omnibus in univerſum Proteſtantibus, quos *Reformatos* & *Acatholicos* vocat, non ſint adeo formidanda.

Abſolvitur liber *XIV Capitibus*, in quorum compendiis enarrandis copioſius, quam uſu apud nos receptum eſt, non verſabimur. In *primo* quæritur, *an in dicenda de religione ſenten-* 1.

tia unice ſint Nov. Teſt. libri conſulendi; & negando reſpondetur. Cur? Quoniam *Vincentius Lirinenſis* Eccleſiæ vult addi
Pag. 5. traditionem. Hinc *Clerici* rejicitur regula, cum verum ac genuinum ſenſum definire, atque a falſo ſecernere, Eccleſiam oporteat. In *ſecundo Capite* hæc proponitur quæſtio: *an aliquid ſit neceſſario credendum, præter id, quod in libris Novi Teſt. diſerte habeatur.* Ubi prima *Clerici* poſitio, *nihil eſſe credendum,*
10. *niſi quod in libris Novi Teſtamenti diſerte habeatur*, ita refellitur: hos ipſos libros veros ac puros eſſe, inde conſtat unice, quod ut tales per ſucceſſiones Eccleſiarum quaſi per manus traditi ad nos pervenerunt. Ac proinde neceſſario credendum eſt aliquid, quod ſacris Novi Teſtamenti libris non continetur.
16. Deinde altera *Clerici* poſitio, *id etiam credendum eſſe, quod neceſſaria conſequentia ex iisdem ſolis ducitur*, ita reſtringitur, ut planum fieri debeat, incertas illas eſſe conſecutiones, quæ ex privato cujusque ingenio manent: certiſſimas contra easdem fore, ſi antiquo Eccleſiæ nitantur conſenſu. Quod *Clericus* porro
20. cenſet, *de dogmatibus, quæ per traditionem propagata a quibusdam dicantur, & eorum origine, non liquere apud omnes Chriſtianos*, id quidem negatur, eo quod traditiones certo tenendas eſſe *Paulus* docuerit, atque hæ ipſæ Apoſtolicæ traditiones ad Eccleſiam hodiernam Romanam traductæ fuerint. Certum igitur ſumitur, quod multa tamen indiget demonſtratione. *Caput*
27. *III, quis ſit fons purus doctrinæ Chriſti*, declarat. Hunc *Clericus* negat eſſe ullius particularis Eccleſiæ ſymbolum, aut confesſionem, ſed ſolos Novi Teſtamenti libros. Ex quo concluditur, Romanam Eccleſiam, quæ univerſalis ſit, hunc unicum fon-
36. tem eſſe. Judicium Eccleſiæ de doctrina fidei fontem ſuſpectum vocat *Clericus.* Falſo. Quare? Quoniam omnia in Conciliis decreta hoc modo eluduntur. Certe Romani Antiſtitis valere debet autoritas, cui ſcilicet ſemper in Oriente ac
44. Occidente primæ partes delatæ ſunt. Tutius, ex *Clerici* ſententia, eſt, ſi certam ſacrorum librorum intelligentiam quisque privatus religioſus & veritatis ſtudioſus lector a Spiritu S. impetret. Verum unde hoc ſcitur, ſpiritum Dei conſequi aliquem pro recta & pura intelligentia, niſi ex judicio Eccleſiæ, cui, in Conciliis

ciliis, invocato Dei nomine, congregatæ, S. Spiritus aſſiſtentia
haud deneganda? Neque ſatis tutum iſtud *Clerici* conſilium
cenſetur eſſe, quo id, in quo omnes conſentiant Chriſtiani, cre-
dendum ſuaſit. In *IV Capite* exploratur, *an nihil aliud imponi* Pag. 50.
debeat Chriſtianis, præter id, quod ex Novo Teſtamento haurire
poſſint. Huc quidem *Clerici* valet opinio. Verum notatur,
quod verbum omiſerit traditum. Tum vero ejus ſententia
pluribus verbis examinatur, &, cum ex conceſſo libero cuique de 55.
ſententia Novi Fœderis judicio tot exorituræ ſint religiones, quot 58.
capita, una Eccleſiæ ſtandum autoritate, concluditur. *Caput V* 67.
de divina providentia in conſervanda Chriſtiana doctrina agit.
Conceditur hæc quidem, nec tamen in ſola librorum ſacrorum,
ſed etiam traditionis continuatæ, conſervatione, elucere urgetur.
Eadem in Eccleſiæ unius ſpecialis, cujus ſit perpetua diſſidia fi-
nire, conſtitutione, nec non unius inter Apoſtolos *Petri* ad Ec-
cleſiæ unitatem ſervandam electione, poſita eſſe judicatur. Quo 71.
etiam loco divina indignum providentia eſſe dicitur, permittere
errores in Eccleſia. *Capite VI autores & cauſæ prætenſæ Re-*
formationis indicantur. Ex autoribus, quos, ut inſignes Seculi
XVII viros, laudaverat *Clericus*, nominantur *Lutherus, Zuinglius,* 97.
Calvinus, Melanchthon, Oecolampadius, Caroloſtadius, aliique. Hi
omnes aut ut mere laici, aut a profeſſione, ſive ordinibus, quos
aſſumſerunt, apoſtatæ, hic traducuntur. Atque hinc ducitur
conſectarium, hos nec ordinaria, nec extraordinaria, miſſione
a Deo legatos eſſe poſſe, ut cui ſolenne ſit, ſolos Præſides ac
Epiſcopos ad ejusmodi opus delectos emittere. Nec Eccleſiam
ulla indiguiſſe, maxime quantum ad doctrinam attinet, Refor-
matione, antiquatis dudum argumentis efficitur. Cur? Nam,
quæ iſti reformare tentarunt, illa ipſa ſunt dogmata, quæ per
Apoſtolos tradita, ſemper cuſtodita, & obſervata fuerunt. Ve-
rum hoc ipſum illud eſt, quod in lite vertitur. In toto hocce
libro ille regnat paralogiſmus, quo petuntur principia. Hinc,
quæ inde ducuntur, concluſiones non niſi apud eum, qui Ro-
manis addictus eſt ſacris, valere poterunt. Jam ad *cauſas* ac
modum Reformationis, præeunte Eminentiſſ. Cardinale, accedi- 89.
mus. Ex his nimirum cogere vult ille, non a Deo profectam

illam eſſe, ſed a dæmone, ad ſcindendam Eccleſiæ unitatem,
promotam. *Luthero*, ait, cauſas fuiſſe, non telum, non pieta-
tem, non religionis amorem, ſed invidiam, ſuperbiam, odium,
& avaritiam. At, ſi exploratum habuerunt veſtrates, his car-
dinalibus vitiis indulſiſſe *Lutherum*, quidni Cardinalitium Mona-
cho pileum obtulit Pontifex Maximus, quo eum, ut ab orſis
deſiſteret, commoveret? Verum prævidit ille fortaſſis, apud
tantæ fidei ac ſanctitatis heroem ad irritum hoc caſurum
experimentum. Hiſtoricam fidem e medio tollit, qui huic ta-
lia objectat vitia. *Lutherus* Scripturarum autoritate oppreſſit
Romanos. Sed hic ad ſuum proprium privatumque ſenſum ſa-
cras expoſuit literas, qui & veterum & recentiorum hæreticorum
Pag. 103. character a Reverendiſſimo *Clerici* dicitur adverſario. *Caput VII*
prætenſæ Reformationis finem exponit. Iſque non *doctrinæ mun-*
dities, quippe quam ante *Lutherum* nemo in dubium vocavit,
114. nec *morum integritas*, ut hic docetur, fuit. *Fructus ac proven-*
tus prætenſæ Reformationis Cap. VIII indicantur: nempe *cæli-*
124. *batus everſio*, qua occaſione multæ fabulæ narrantur; *abſtinen-*
132. *tiæ* item ac *jejuniorum obligatio penitus ſublata*; quin etiam
144. *Miſſæ* pariter ac *ſacerdotii oblatio*. Quorſum &, præter
alios effectus, *abrogatio Papatus* inprimis pertinere cenſetur.
150. *Capitis IX*, quod ſequitur, argumentum hoc eſt: *Refor-*
151. *mati Eccleſiam Chriſti exſtinxerunt*. Ubi accuſantur hi,
quod nec, quænam Eccleſia Chriſti ſit, nec, quænam
174. Eccleſia ſit inviſibilis, deſignare valeant. *Caput X* docet,
195. quemadmodum *Reformatio Eccleſiæ diſciplinam everterit*. Ubi,
202. Epiſcopatu in Eccleſia aſſerto, ac Reformatorum de Epiſcopatu
216. opinione expoſita rejectaque, cauſa, quare Reformati hunc
235. e ſuis Eccleſiis proſcripſerint, examinatur. In *Capite XI*, *Exa-*
men concordiæ, quam proponit Clericus, inſcripto, *Clerici* paræ-
neſis ad diſſentientes Chriſtianos recitatur, cum vero propoſi-
tum ejus pro concordia medium rejicitur. *Capite XII*, in
quo *de vera ineundæ concordiæ via* diſſeritur, iſtud cumma-
260. xime negatur, veram concordiam haberi poſſe, niſi per reditum
ad Eccleſiam Romanam; præſertim cum hæc antiqua fidei cu-
272. ſtos, non novæ inventrix, ſit. *Caput XIII verum ac legitimum*
S. Scri-

Digitized by Google

S. Scripturæ uſum exponit. Hic bina proponuntur momenta. Pag. 292.
Unum eſt, Patrum & Eccleſiæ Catholicæ eſſe, quinam ſint libri 302.
ſacri, ſtatuere. *Alterum*, ab eadem veram ſacrorum librorum intelligentiam deſumendam. Reſtat *Caput XIV*, in quo, *Eccleſiam veram a Chriſto fundatam ſub uno capite regi debere*, docetur. 314.
Atque hoc argumentum ex forma regiminis Eccleſiæ a Chriſto inſtituta primum probatur, deinde, hoc unum Eccleſiæ caput 331.
neminem, præter Romanum Pontificem, eſſe, inde concluditur. 356-363.
Tandem, ſerio ſe cauſam hic Dei & Servatoris agere, declarat Rev. Autor, ipſumque Deum hanc in rem teſtem citat, omnesque Reformatos, quos vocat, majorem orat in modum, ut in ovile Romanum revertantur. Librum claudit Index rerum notabiliorum.

DELLA PREFERENZA NELLE VENDITE, &c.
hoc eſt,
DE PRÆLATIONE IN VENDITIONIBUS, ſive de Jure retractus ex capite conſanguinitatis, communionis, & vicinitatis, Tractatus D. DOMINICI MICHELI, Advocati Veronenſis.

Veronæ, typis Dionyſii Ramanzini, 1736, 4.
Plag. 12.

Librarius hunc libellum inſcripſit *Julio Campagnæ*, Legum Doctori & Nobili Veronenſi, hujusque gentis in patriam merita celebravit. Pauca de ſui inſtituti ratione præfatus, in *ſeptem Capita* totam tractationem Autor diſcindit. *Primum* ſiſtit ideam totius Opuſculi, atque docet, iſtiusmodi prælationem ipſa niti æquitate naturali, &, ratione conſanguineorum, ad regulas ſucceſſionis ab inteſtato, ex Statutis municipalibus, compoſitam eſſe. In *Capite ſecundo* monſtrantur perſonæ, quæ præferantur, & in quibus contractibus. Illis etiam annumerantur naſcituri, dummodo vivi naſcantur. Neque vero idem jus poſſunt exercere monaſteria, loca pia, eccleſiæ, extranei, prohibiti a lege Veneta anni 1602, & Veronenſi anni 1695. Omnino tamen bona debitoris autoritate judicis vendita actioni prælationis ſubſunt, ſi ſcilicet

Pag. 11. licet bona ſint immobilia. Non autem pertinet ad donationes,
legata, permutationes, niſi res ſimulate geratur; neque ad ſolu-
tionem dotis, ſi vidua cum prole relicta fuerit. *Caput tertium,*
17. actionem prælationis, in judicio inſtitutam, ad hæredes transmitti,
confirmat; quemadmodum illa etiam filio datur, vivo patre,
ideo, quod his communis poſſeſſio eſſe cenſetur; hinc & mor-
tuo patre non acquirit poſſeſſionem filius, ſed eam continuat.
Si jure ſuo proximi uti nolint, id ad remotiores devolvitur;
haudquaquam vero transmitti poteſt per contractum, neque per
24. ultimam voluntatem. In *Capite quarto* ſpeciatim disquiritur,
quomodo jus retractus propinquis & ſociis competat; ac leges
Veronenſes, &, in ſubſidium, Venetæ, reſpici jubentur, ubi ſuc-
cedendi rationem ab inteſtato tradunt. Quamobrem iſtud pri-
mum datur deſcendentibus maſculis, poſt filiabus, ac denique
adſcendentibus & collateralibus. Si fœminæ alienaverint, ſine
diſcrimine & mares & fœminæ hoc jure gaudent. Ratione vici-
27. nitatis notetur, jus retractus non dari, ſi prædium viis regiis aut
fluminibus ſit circumdatum. Si plures vicinitate jungantur,
omnibus competit retractus, pro ſua ſcilicet cujusque portione.
Si res immobilis pluribus partibus conſtet, is, qui præferri cu-
pit, aut totum fundum emat, aut jure ſuo cedat, nec alter, qui
32. ante acquiſivit, in damnum incurrat. Ex *Capite quinto* anim-
advertimus, hujusmodi juri prælationis triginta annis præſcribi;
at novus emtor iſtud ſpatium ad 30 dies poteſt reducere, ſi,
quorum intereſt, autoritate judicis excitantur. Hi, de vendi-
tione certiores facti, edant fundamentum juris ſui, aut depo-
nant pretium rei & expenſarum, ad conſequendam rem im-
45. mobilem. *Caput ſextum* monet, ne fraudes admittantur vel in
emtionibus contrahendis, vel in actione prælationis inſtituenda;
quæ ſi fuerit ſuſcepta, omnia commoda & pericula prædii retra-
hendi in actorem transferuntur, qui omnes etiam emtoris prio-
ris conditiones præſtare debet. In *Capite ſeptimo*, eoque ulti-
mo, aliæ ſpecies prælationum, in contractibus & ultimis voluntati-
bus conceſſæ, ex Jure communi commemorantur, ac inprimis
de pacto retrovenditionis latius diſſeritur; at, cum iſta ſatis no-
ta ſint, nihil huc transſcribendum ducimus.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATION SUR LES MALADIES VENEriennes, &c.
hoc eſt,
DISSERTATIO DE MORBIS VENEREIS, METHOdum, eos ſine ſalivatione, ſine periculo, magniſque ſumtibus, curandi; complexa, cum duabus Diſſertationibus, altera de Rabie, altera de Phthiſi, & methodo radicitus eas exſtirpandi, Autore PETRO DESAULTO, Doctore Medicinæ, & Collegii medici Burdigalenſis Socio.

Burdigalæ, apud de la Cour, 1733, 12.
Alph. 1 plag. 12 ½.

DISSERTATIONS DE MEDECINE, &c.
hoc eſt,
DISSERTATIONUM MEDICARUM TOMUS ſecundus, Diſſertationem de Podagra, methodumque illi radicitus medendi, cum ſylloga Obſervationum de morbis ex defectu perſpirationis oriundis, complexus, Autore PETRO DESAULTO, &c.

Pariſiis, apud Guerinum, 12.
Alph. 1 plag. 11.

DISSERTATIONS DE MEDECINE, &c.
hoc eſt,
DISSERTATIONUM MEDICARUM TOMUS TERtius, Diſſertationem de Renum & veſicæ calculo, cum methodo ſimplici facilique, illum ſine læſione vaſorum urinariorum ſolvendi, itemque Reſponſione ad nonnullas notationes criticas, quæ adverſus Diſſertationem de malis venereis in libro Domini ASTRUCI de morbis venereis exſtant, complexus, Autore PETRO DESAULTO, &c.

Pariſiis, apud Guerinum, 1736, 12.

Alph. 1 plag. 3.

Digitized by Google

Cel. Autor, quamvis in *tribus* hisce *Voluminibus* non veterum ubique placitis inſiſtat, ſed multa ſubinde nova afferat, quæ cum ad naturam indolemque abſtruſorum & difficilium morborum accuratius cognoſcendam, tum ad curationem eorundem felicius perficiendam, pertinent; tantum tamen abeſt, ut ſolis ingenii commentis delectetur, ut potius aſſidue rationes ſuas expromat, ratiociniumque cum experientia non infelici connubio copulaſſe nobis videatur. Cum in Medicina etiam temporis progreſſu procedere longius conveniat, veniam ab iis, qui artis ſalutaris incrementis bene cupiunt, Autor ſibi pollicetur, quod loco ſalivationis mercurialis, huc usque utplurimum receptæ, aliam methodum curandi morbos venereos, eamque doloris & periculi expertem, proponat. Quæ ſicut praxi obſervationibusque complurium annorum nititur; ita has candide recitat, nec, quod nos ingenui animi eſſe exiſtimamus, ſuos errores, antea identidem admiſſos, ſilet. Orditur a theoria morborum venereorum, eorumque initio hiſtoriam perſequitur, & ſymptomata enarrat, non ſuis tamen, ſed *Sydenhamii*, verbis, cujus nimirum deſcriptione non accuratiorem datum iri unquam profitetur. Ad cauſam eorum eruendam progreſſus, verminoſam eam eſſe, & omne, quod hic obſervetur, fermentum in vermiculis conſiſtere, ſibi perſuadet, qui adeo ſint exiles, ut nullis ſenſibus cognoſcantur, & ab uno corpore cum altero communicati, poſtquam recepti ſemel fuiſſent pro inſigni ſua ſe multiplicandi vi, totum corpus pervagarentur. Rationes autem has adducit: 1) Quamvis hi vermiculi oculis etiam acutiſſimis ſe ſubducant; perinde tamen ſalia non patent viſui, a quibus alias horum morborum origo derivatur, & nihilo ſecius aliunde probabilius evadit, & exiſtere hos vermiculos, & morborum venereorum autores eſſe. 2) Varia inſecta exigua, ut pulices, aliaque, ſuis pariter inſectis infeſtari compertum fuit, quæ poſteriora facile adeo exigua eſſe credideris, ut magnitudinem vermiculorum venereorum non ſuperent. 3) In ulceribus ſæpius microſcopio vermiculos venereos conſpexerunt. Remedia quoque, ad eorum curationem adhiberi ſolita, ſimul ad necandos vermes egregie valent. Quodſi itaque exulce-

Tom. I Pars I Cap. I.

exulcerationes ab iis proficiſcuntur; quare non omnia ſymptomata inde fieri credibile foret? 4) Veriſimile eſt, omnes morbos contagioſos, ut hydrophobiam, ſcorbutum, variolas, peſtem, &c. oriri a vermiculis. 5) In America reperitur vermiculi genus, quod *la Chique* vocant, a Patre *Labat* in Itinerario ſuo deſcriptum, quod, intra epidermidem cutemque ſe recipiens, facultatem ſe multiplicandi, tumoresque & ulcera efficiendi, habet. Unde per analogiam concluditur, & hoc a vermiculis venereis fieri. 6) Ex ſyſtemate verminoſo longe accuratius omnia, quæ ad theoriam praxinque morborum venereorum pertinent, ſymptomata, & ſine hæſitatione, derivantur, quam ex reliquis ſyſtematibus cunctis, quod hic Noſter ſingulis ſymptomatibus ex ſua hypotheſi explicatis comprobat. Poſthæc in originem & epocham horum morborum inquirens, cum iis non conſentit, qui iſtas vel ex America, vel ex Neapolitana obſeſſione, repetunt, ſed eosdem perinde antiquos ac fœminarum proſtitutionem publicam eſſe contendit, a qua ſcilicet ortum habeant, dum multiplex, idque diverſum, & varie temperatum, complurium maſculorum ſemen in unum uterum receptum promte admodum & facile, in fermentationem & corruptionem abeat, hincque occaſionem ſubminiſtret, ut varia inde animalcula generentur. Neque pauca ejus luis veſtigia in veterum Scriptorum monumentis reperiuntur, quanquam initio rarior fuit, & temporis demum progreſſu latius proceſſit. Ad tollendos hos morbos eam init methodum, ut Mercurium ex cinnabari revificatum in unguentum redigat, eodemque in gonorrhœa, item bubonibus, phimoſi, & paraphimoſi, penem præcipue, canalem urethræ, anum, vicinasque partes, fricet, tum ſequenti die alvum beneficio Jalappæ expurget, ſingulis vero diebus uſum Ptiſanæ ex aqua fontana, cum Mercurio vivificato decocta, injungat, eodemque ordine medicationi huic per aliquod tempus inſiſtat. Malo autem venereo per totum corpus diffuſo, ad fluiditatem humoribus conciliandam, ſi morbus jam antiquus & inveteratus fuerit, per balnea & ſerum lactis præparationem inſtituit, quam in recenti non æque neceſſariam eſſe putat. Poſthæc antiquam frictionum mercurialium

Cap. 3.

Pars II Cap. 1.

 retinet

Digitized by Google

retinet methodum, imo frictiones & copioſiores & fortiores ſuſcipit, ita tamen, ut loco excitandæ ſalivationis doloroſæ, fœdæ, vehementis, propter eventum periculoſæ, atque ob ſuſpectum ſeceſſum fere propudioſæ, alvi fluxum proritet, cum minori virium detrimento conjunctum, dolorisque & periculi expertem, facilem quoque & ſecurum, & qui promtius contineri vel ſiſti pro arbitrio queat, ceterum vero omnia luis venereæ ſymptomata, ipſamque luem, longe tutius, quam ſalivatio, exſtirpet. Omnis vero arcanæ medicationis ſumma eo redit, ut poſt adminiſtratam frictionem alvus per clyſterem ex foliis Sennæ & pulpa Caſſiæ ſubducatur, atque ita, relaxatis inteſtinorum glandulis, alvoque aperta, ob imminutum reſiſtendi nixum, Mercurius per has vias quærat exitum & nanciſcatur. Quando autem fluxus alvi numero frictionum aut copiæ Mercurii adhibiti non reſpondet, confeſtim alvi purgationes per pulverem Jalappæ inſtituantur, os autem a ſalivatione immune conſerve-
Cap. 2. tur. Quemadmodum vero Cel. Autor methodum hanc tollendo malo magis idoneam atque ſecuriorem eſſe veteri methodo probat, objectionesque contra eam factas refellit; ita ſingulares
3. etiam morborum venereorum proponit obſervationes, quibus tum occaſio effectum Mercurii ad alvi fluxum determinandi data fuit, tum felix curatio per methodum modo dictam confirmatur, tum medicatio, antiquiori adhuc methodo peracta, cum nonnulla ejus exempla non indigna notatu viderentur, illuſtratur, tum denique ſucceſſus novæ hujus methodi in aliorum quoque, quam venereorum, morborum curationibus exponuntur. Ha-
Diſſ. II. ctenus de morbis venereis. In ea, quæ de rabie, a morſu canis rabidi communicata, agit, tractatione, cum experientia cognitum ſatis habeat Autor exploratumque, immerſionem in aquam non ſemper opem ferre exoptatam, atque hinc de aliis remediis cogitandum eſſe, morbi indolem, methodumque eum & præſervandi & ſanandi, explanat. Quamobrem hiſtoriam illius enarrat, obſervationesque anatomicas hominum eo malo exſtin-
Art. 1. ctorum, ex variis Autoribus collectas, expromit. Quæ cum inter alia referant; ſemper vermiculos in capite & cerebro ejus-
2. modi hominum reperiri; hinc Noſter concludit, veram morbi rationem

rationem contineri in ejusmodi animalculis exiguis, cum ſaliva animalis rabidi per vulnus intra ſanguinem receptis, qui ſe facile multiplicent, tandemque ad cerebrum delati, turbas adeo enormes moveant, quarum omnium ex hac cauſa origo copioſius explicatur, atque, præter alia, aquæ metus exinde deducitur, quod a deglutito liquido ejusmodi vermiculi ſimul in ſtomachum detrudantur, qui deinceps amplius progreſſi, tantorum incommodorum autores evadant, ut proinde mens a liquidorum uſu tantopere abhorreſcat. Analogia etiam, quæ ubique in Art. 3.
rerum natura obtinet, facile cuiquam perſuaſerit, ſicut in omnibus morbis contagioſis, ita in hoc quoque, vermes in culpa eſſe. Quando igitur Noſter proſperos infauſtosque remediorum huc usque conſuetorum ſucceſſus retulit, & parum ea ad ſuperandum morbum valere oſtendit, ut in laudatiſſimo etiam Palmarii pulvere anthelmintica utramque paginam facere videantur; aliud, idque probatius, remedium proponit, unguentum ſcilicet Neapolitanum, ex tertia parte Mercuri reviſicati, tertia parte pinguedinis humanæ, & tertia parte pinguedinis porcinæ, confectum, quo ad drachmam 1 vel 2 pars demorſa & vicinia ejus per intervalla inungatur. Methodum autem, qua in averruncanda rabie utitur, & quam putat admodum quoque congruentem eſſe, ſi illa jam emerſit, hanc tenet, ut primo immerſionem in mare, poſthæc uſum pulveris Palmarii, addita Corallina, hinc frictionem cum unguento jam indicato, non neglectis quibuscunque remediis aliis, quæ adverſus hoc malum laudari vulgo ſolent, & accurato regimine, commendet. Pleniorem vero hujus ſuæ methodi deſcriptionem & ſucceſſum in adjectis obſervationibus exponit, quas & ſcholiis quibusdam illuſtrat. Diſſertatio demum de Phthiſi ſummam tantum & Diſſ. III.
epitomen amplioris operis ſiſtit. Æquum eſſet, ut, propter infelicem medicationum ſuarum in phthiſi ſucceſſum, Medici ad aliud, idque præſtantius, morbi ſyſtema deducerentur. Vulgo eſſentiam ejus in ulcere pulmonali poſitam eſſe ajunt, adeoque effectum pro cauſa, ſymptoma pro ipſo morbo, habent. Secus Noſtro videtur. Idcirco primum morbi tres diverſos gradus accurate deſcribit, atque in primo gradu illud ſigilla-

Digitized by Google

tim notat, ſe perpetuo infarctum quendam, & obſtructionem, ſcirrhumque hepatis, poſt mortem reperiſſe, qui etiam duritie ſua, atque interdum dolore, indicetur. Ipſe cauſam mali collocat in tuberculis & concretionibus grandinoſis diverſæ magnitudinis, in ſubſtantia pulmonum genitis, quæ, temporis progreſſu in exulcerationem converſæ, phthiſin conclamatam efficiant, qualia tubercula tum alii, tum ipſemet Autor poſt fata phthiſicorum detexit. Ulcerationem non eſſe cauſam, inde probatur, quod phthiſis & conſumtio inchoetur, imo longe admodum procedat, antequam adeſt ulcus. Quid? quod ſæpius curſum ſuum abſolvat, ægrotusque moriatur, nec tamen poſt mortem ulceris veſtigium exſtet, pluresque jam cum *Hippocrate* phthiſin ſine exulceratione fuiſſe obſervarint. Ex cauſa autem ſuperius indicata omnium ſymptomatum ratio ab Autore derivatur. Oriuntur vero illa tubercula non a ſuccis acribus & cauſticis, ut vulgo credunt, ſed acidis, auſteris, & coagulantibus, quod ex indole cauſarum antecedentium declaratur. Quemadmodum igitur vulgares medicationes huc usque ſine ſucceſſu fuerunt, quin imo auxerunt malum; ita potius eo præcipue eſt connitendum, ut tubercula hæc fundantur, tollanturque. Reſpexerunt eo jam nonnulli, tentandumque foret diligentius, & cum cura, quid vectio aerisque commutatio, adeo commendatæ, quid Mercurius, Mars, & Millepedes, quid decocta vegetabilium aperientium & antiſcorbuticorum, quid ſerum lactis, cum ſucco dictarum plantarum, & alia, præſtare eam in rem valerent. Neque horum metuendus foret uſus in iis, qui hæmoptyſi jam laborarunt, ne hanc reducant, cum experientia aliud teſtetur. Refert deinde Cel. Autor, qua ratione ſigillatim quilibet ægrotus, pro conditione corporis, & morbi gradu, abs ſe tractetur. In primo gradu pro circumſtantiarum ratione id agit, ut ſanguis mittatur, alvus repurgetur, & inflammatio avertatur. Externe applicare ſolet Empl. diabot. cum Merc. Empl. Vigon. cum Merc. Interne ſequentes paſtilli, vel eorum tantum pulvis, in uſum vocantur: Rec. Martis. Milleped. Benzoes. Corall. Oc. Cancr. ana unc. ſemis. Canellæ opt. Drachm. tres. Sacchar. finiſſ. libr. ſemis. M. & cum Gummi Tragac. in aqu. fl. aurant.

aurant. ſolut. formentur paſtilli ad pondus duarum drachmarum, quorum ſingulis mane & veſperi unus aſſumatur. Neque minus conveniunt ptiſana ex radice urticæ, aut ſerum lactis bene clarificatum, cui admiſceantur æqualiter unciæ duæ ſucci naſturt. aquat. & ſucci chærefol. vel Brodium ex carne vitulina, naſturtio, beccabunga, chærefolio, aut infuſum theæ viridis, itemque equitatio, quæ tamen omnia continuationem diuturnam expoſcunt. In altero morbi gradu vecturam neceſſario, & ſine diſpenſatione, injungit, aucta etiam reliquorum remediorum doſi. Nec vecturam illam ob infirmitatem quiſquam timeat, omittatque, cujus quippe etiam tunc uſus obſervationibus propriis & longa diſputatione hic confirmatur. Præterea priſtinum carneum victum commutet ægrotus, & ſoli lacti bubulo cum infuſo theæ adſueſcat. In tertio, eoque extremo, gradu ſatius eſt ab omni medicatione abſtinere.

Altero Tomo indolem curationemque Podagræ ſibi Autor expediendam ſuſcepit. Indigne admodum fert, nonnullos, incurabilitate hujus mali, quam præ ſe ferunt, abſterritos, de ejus medela disquirere amplius dubitaſſe. Is ipſe igitur, *Hippocratem*, *Sydenhamium*, *Sanctorium*, & *Winslovium*, ſecutus, theoriam morbi ad leges mechanicas exactam, medelamque ſecuram & idoneam, pollicetur. Morbi hiſtoriam denuo non meliorem ſibi daturus eſſe videtur, quam illam, a *Sydenhamio* conſcriptam, quam proinde Gallice verſam totam recitat. Cauſam vero & culpam morbi præcipue imminutæ transſpirationi tribuit. Quippe, ſi cutis declinante ætate durior evadit atque rigidior, vel per eas aberrationes, a quibus fit podagra, ad diminuendam inſenſibilem transſpirationem comparatas, obſtruitur, tubulis excretoriis, uſu ſuo maximam partem deſtitutis, materia excernenda retinetur, pedetentim cum ſanguine & aliis liquoribus in circulum abit, lymphæque, quæ articulos irrigat, remixta, ad certumque gradum deducta, diametros vaſorum, per quæ illa lympha ſecernitur, perrumpit, & cum eadem in articulos defluit, irritat ſuis ſalinis ſpiculis membranas tendinesque ibi inſertos, idque doloris vivi genus efficit, quod podagram

Tom. II. Cap. 1. 2.

gram appellamus. Hinc longius probat, fieri per poros cutis perſpirationem, idque excretionis genus reliquis omnibus copia materiæ exhalantis antecedere, materiam vero ipſam ſalinæ eſſe indolis, &, quando non rite per poros cutis procedit, præcipuum ad generandam Podagram momentum habere. Poſtremum hoc evincit e qualitate cauſarum antecedentium, & procatarcticarum, ex ratione invaſionis & ſymptomatum, & ex operatione remediorum. Neque minus id adducit, in iis, qui immunes a podagra permanent, ut laborioſis & ſobriis, Japonenſibus & Turcis, infantibus & mulieribus, quibus menſtrua profluunt, perſpirationem bene ſuccedere. Petit quoque ſententiæ ſuæ præſidium ex invaſione morbi articularis, quo *Cheſnavius* ſe laboraſſe memoriæ prodidit, item iis momentis, quibus *Sydenhamius* cauſam podagræ in vitium digeſtionis conjicere laboravit, quæ omnia ad ſuam potius adſtruendam cauſam, a vitio nimirum imminutæ transſpirationis fieri podagram, convertit; porro ab irrito & noxio quorundam remediorum adverſus podagram uſu, & denique aliis etiam rebus, quas variis in obſervationibus atque meditationibus exponit. Poſthæc

Cap. 3. de ratione radicitus medendi podagræ acturus, eo inprimis reſpiciendum eſſe inculcat, ut cutis emolliatur, & perſpirabilis denuo evadat, adeoque perſpiratio revocetur. Quam curandi methodum ex ſolidis rationibus tum quoque locum inventuram eſſe contendit, ſi vel maxime ipſe deceptus, & illa, quam tam accurate propugnavit, cauſa vera non foret. Poſtulat hæc methodus diuturnam continuationem; nec in ipſa acceſſione, ſed extra paroxyſmum, in uſum veniat. Inter externa itaque recenſentur 1) mundities cutis, frequenti induſiorum commutatione, balneorumque uſu, procuranda; 2) motus & exercitatio corporis, cujus varia eſſe genera, per ſe liquet; 3) conſervatio caloris in quibuslibet peræque corporis partibus, per veſtimenta & alia corporis tegumenta, per lectum veſperi mature petendum, per ignem hieme in fornace accendendum; 4) ſubtractio ciborum, maxime conſuetorum aliqua ex parte, ſaltem ut non ad ſatietatem capiantur; 5) animi tranquillitas; 6) abſtinentia a venere; 7) frictio pedum articulorumque per pannum

Digitized by Google

pannum ex lana craſſiori, quam ob cauſam inprimis Anglorum *Flanells* commendat. Interna autem curatio lactis uſu pro tota curatione perficitur. Quoniam vero non omnes lac ferunt, licet tum 1) idem lac cum cibis commode conjungere, 2) alimentis facilioris concoctionis veſci, ita, ut 3) moderatus uſus allii, ceparum, ſimiliumque bulborum, 4) uſus Chinæ Chinæ, aliorumque remediorum febrifugorum & amarorum, ac, quod caput rei eſt, per integram hiemem, inde a primo frigore autumnali, uſus Martis aſſiduus, adjungatur. Quo nomine ejusmodi paſtillis utitur præcipue: Rec. Martis in ſubtiliſſimum pollinem redacti unc. quatuor, ligni Santal. rubr. rad. Spinæ, Canellæ opt. omnium exacte in pulverem redactorum unc. unam, Sacchari finiſſ. libr. un. ſemis. Mixta inſpiſſentur cum Gummi Tragac. in Aqua flor. aurant. ſolut. & formentur bacilli duarum drachmarum, & ſingulus quovis mane capiatur, ſuperbibendo patellam lactis aſinini verno tempore, autumno autem vaccini aut caprilli. Methodum hinc & ordinem, quem in exhibendis his medicamentis pro conditione ægrotantis tenere conſuevit, latius perſequitur, atque ad extremum methodi hujus ſimplicis facilisque præſtantiam tribus obſervationibus confirmat. Neque minus rationem curandi podagram irregularem ſeu retropulſam per præcepta & obſervationes ſelectas exponit. Quod ad ipſum paroxysmum attinet, is ſibi relinquatur. Ubi autem dolor admodum deſævit, & vires dejicit, utique e re eſt, ipſum anodynis demulcere. Quem in finem Noſter linteolum complicatum, laudano liquido imbutum, externeque admotum, collaudat. Quæ demum acceſſit magna obſervationum variarum ſupellex, ea de cauſa locum hunc tenet, ut declaret, quam proſpere & feliciter curationes aliorum etiam præter Podagram morborum, ad ideam læſæ violatæque transſpirationis inſtitutæ, ſuccedant.

Verum non ſatis fuit Cel. Autori Podagram debellare; Tom. III ipſos etiam calculos humani corporis aggreditur, ſimplici eos facilique via ſine corporis læſione diſſoluturus. Quæ inſtituti ratio ut eo clarius pateat, primum ſtructuram renum, ureterum, atque veſicæ, potiſſimum *Winslovii* verbis, quantum ad

 rem

rem præſentem pertinet, enarrat, earumque partium uſum & Cap. 2. urinæ naturam ediſſerit. Unde pronum magis fuit, ortum formationemque calculi in renibus, veſica, & aliis locis, explicare. Nimirum, quando liquor mucilaginoſus, qui naturaliter renes veſicamque interne obducit, materia urinæ ſalina, a cauſis ſuis vehementer adaucta, abraditur a parietibus organorum ſuorum, fixior redditur, & cum exaltatis urinæ ſalibus condenſatus in coagulum abit, hinc calculus generatur. Quam quidem originem mirifice illuſtrat declaratque magna, quæ inter athritidem atque calculum intercedit, cognatio. Arthritis enim fit a transſpiratione imminuta, & retenta materia ſalina, quæ cum mucilagine articulorum coagulata nodos tophosque conſtituit. Quando igitur ea ad renes veſicamque pervenit, cum muco ſupra dicto coagulata in calculos degenerat. Sed videntur Autori alia etiam ad confirmandam hanc ſuam ſententiam admodum valere. Calculus veſicæ adhuc recens circumdatum adhuc aliqua parte habet mucum veſicalem, & poſt aliquot etiam annorum exſiccationem unctuoſum quid retinet, ex variis præterea laminis conſtat, unde generatio ex muco haud difficulter intelligitur. Color albus partis laminarum concavæ, materiam præcipuam, quæ concretionem lapidis efficit, phlegma eſſe album & glutinoſum, innuit. Ipſa etiam deſtillatione oleum fœtidiſſimum impetratur, quod tanquam viſcoſum terram ſalemque ligat. Calculus exſiccatus, carbonibus ignitis injectus, cum aliquo ſtrepitu & detonatione conflagrans, ſatis evincit, ineſſe materiam oleoſam, ſulphuream & ſalinam. Neque minus durities & color, quo renum & veſicæ calculi diverſi ſunt, nulli alii rei debetur, quam quod mucus in renum calculo magis eſt tenuis & repurgatus, ad eundemque componendum plus etiam ſalis accedit. Mucus, qui cum urina in veſicæ calculo ſemper prodire conſuevit, nihil videtur eſſe aliud, quam ille ipſe mucus, ex quo calculus coaleſcit. Qui in aliis quoque cavitatibus reperiuntur calculi, ex ſimili materia conglutinati eſſe videntur. Ad extremum Noſter ea in re ad *Hippocratis*
3. *& Galeni* conſenſum provocat. Ex ſignis, quibus calculi utri-
Art. 1. que diſtinguuntur, nonnulla habent communia, ut hæreditariam

dia-

Digitized by Google

diatheſin, vitam ante actam, ardorem urinæ, qui ad præludia Art. 2.
pertinere Noſtro videtur, podagram inveteratam antegreſſam; alia autem propria, ex quorum numero renum calculum ab aliis morbis diſtinguunt dolor fixus, gravans, obtuſus, & minus auctus in regione renum, dolor vivus pungensque in renibus, per totos ureteres, usque ad veſicam protenſus, urina ſanguinolenta, dolores ſimiles iis, poſt quos jam alio tempore calculi cum cruciatuum ſedimento propulſi fuerunt, ſtupor femoris in latere affecto, retractio teſticuli; veſicæ vero calculum denotant ſabulum in urina ſubſidens, major in ſtatu erecto, quam ſub cubando, urinæ reddendæ difficultas, dolor in collo veſicæ, qui in fine mictionis vivide ſentitur, irritatio & velut phlogoſis quædam in exitu urethræ, pruritus & fornicatio in pene vel vulva, pondus in perinæo, difficultas urinam emittendi, teneſmus, ſuppreſſio urinæ in principio & medio curſu, nephritis in homine, colicæ nephriticæ ſæpius obnoxio, & a doloribus calculos reddere conſueto, quæ ſecutura non fuiſſet, ſi calculus, ut alias, jam eſſet excretus, nec intra veſicam reſtaret, frequentes erectiones, inquietudo, proſper eventus ab uſu ſedantium remediorum, non item diureticorum acriumve, crurum divaricatio ſub ambulando per plateas, multa ſitis, præcipue vero etiam contactus a cathetere factus. Et multum ſane Cel. Autor in ſe recipit, 4.
quando modum tradere connititur, quo calculus tam renum, quam veſicæ, diſſolvi, in fluiditatem redigi, elementisque & materiis, ex quibus conſtitit, exitus procurari, queat. Neque tamen ipſi ea res ſupra vires humanas poſita videtur. Cum enim ex Chemia liqueat, non eſſe menſtruum quoddam univerſale, ſed cuique corpori proprium & accommodatum menſtruum eſſe quærendum; hinc concludit, inveniri poſſe liquorem ſolventem, qui ſine læſione renum & veſicæ aliarumque partium in ſolos calculos agat. Et, cum non minus pateat, ſalina ſalinis, ſulphurea ſulphureis, diſſolvi, & ſalia maxime in aquis contabeſcere, exinde colligit, ubi principium ſolvens ſulphureum ineſt aquæ tanquam vehiculo, mirabilia in ſolutione corporum, & ſalinis & ſulphureis particulis conflatorum, præſtari poſſe. Quandoquidem igitur aquæ ad Baredginam vallem, Gallice *Bareyes*,

ſcaturientes, ad claſſem ſulphurearum aquarum pertinent, fundunturque & diſſolvunt omnes ex lympha mucilaginoſa ſalibusque natas concretiones, conſequitur, & renum veſicæque calculos ab ea ſolutum iri. Ut aquarum harum virtutes eo clariorem in lucem protrahantur, Autor noſter fontem agrumque Baredginum, haud ſecus, ac effectus ſucceſſusque mirificos, quos ab illo proveniſſe compertum eſt, copioſe deſcribit, ut ex his ſpeciminibus ad bene de perfecta etiam calculorum ſolutione ſperandum animi erigantur. Has itaque aquas combibi, injici in veſicam, per deſtillationem placidumque delapſum derivari in regionem hypogaſtricam, ubi ſita eſt veſica, imo & clyſterum forma applicari, præcipit, earumque utilitates variis momentis comprobat, inprimis quod perſpirationem revocent, & ſanguini reliquisque partibus balſamum reſtituant. Ab iis itaque reſolutionem calculi pollicetur, nec ullum inde periculum eſſe metuendum in ſe recipit. In loco autem adhibeantur, quoniam per transportationem multum virtutis ſuæ amittunt. Tria calculorum genera, quæ ſectionem prorſus prohibent, ab hac diſſolutione ſolatium unicum expectant, 1) calculus, veſicæ adhæreſcens; 2) in corpore, viribus jam ad incitas redactis exhauſtisque, reſtitans; 3) propter enormem ſuam magnitudinem ſine magna inciſione, adeoque ſumma veſicæ & ejus ſphincteris læſione, exitum non inventurus. Tum vero Noſter permulta experimenta, cum calculis, aquæ iſti injectis, indeque ſolutis, inſtituta, recenſet, atque exemplum etiam, ubi idem in homine calculo veſicæ afflicto ſucceſſit, ſolutaque fuit lapidea concretio, enarrat. Ad extremum objectionibus, quas circa hanc rem fieri comperit, reſpondet. Acceſſit etiam in calce hujus *Tomi* defenſio eorum, quæ *Aſtrucius* in ſuo *de Morbis venereis* Opere in Noſtri tractatione *de morbis venereis*, ſupra laudata, notavit. Nobis quidem Cel. Autoris ſtudium & doctrina non parum probatur, atque reliqua etiam ejus Opuſcula, inprimis de Medicina Burdigalenſium, hinc avide exſpectamus.

CATALOGUE RAISONNÉ DE COQUILLES, INſectes, Plantes marines, & autres Curioſités naturelles, &c.

hoc

Digitized by Google

hoc eſt,

CATALOGUS, COMMENTARIO ILLUSTRATUS, Conchyliorum, aliorumque naturæ momentorum curioſiorum. Præmiſſæ ſunt frontiſpicio Catalogi Obſervationes quædam generales de Conchyliis, cum indice primariorum per Galliam Belgiumque Muſæorum. Accedit Autorum ſelectiſſimorum, qui de illis argumentis egerunt, recenſio, cum Alphabetico nominum ordine, quæ vel Gallica, vel Gallice ex peregrino idiomate flexa, Conchyliis, ab horum curioſis, indita fuerunt.

Pariſiis, apud Flahaultum & Praultum, filium, 1736, 8. Plag. 14.

Memoriam rerum Hiſtoriæ naturalis, quæ publica venditionis lege exponi debuerunt, quæque olim in bonis mercatoris nobilis, cui nomen *Gerſaint*, fuerunt, condit præſens Catalogus, qui eo potiſſimum nomine perutilis habetur, quod Gallica nomina, conchyliis aliisque animalibus exoticis impoſita, eleganter declaret. Si aſſueſcerent curioſi per Gallias Latinis dictionibus, quas contemtui habent, non conqueſtus fuiſſet Autor de terminorum pauperie, quam nullam perſentiſcimus, qui cum antiquitate loqui amamus, nec opus eſſet barbara *bécaſſe épineuſe*, aliorumve, a ſimilitudinibus deſumtorum, nominum, locutione, ſi πορφύρας, κύρηκας, κτένας, aliosque *Ariſtotelis* nobiliſſimos terminos, capere quis vellet, nec arduum nimis id eſſet pluribus. Sed verba valent, ſicut nummi, ex arbitrio dantis & accipientis. Inde gratum omnibus præſtitum fuit officium. Qui enim pluribus uno idiomate res in omni diſciplinarum ambitu exponere volupe habent, illis, conchylia Gallice denotare poſſe, ingratum futurum non eſt. Recenſentur nobiliſſima Galliarum & Belgii cimelia, principiumque dicendorum fit a Principis Burbonii, qui Chantillii eſt, theſauro, quem Regis Poloniarum, qui inter Divos eſt, *Auguſti II*, munificentia haud parum auxit. Nec ſuis tantum, ſed & exteris Belgis, quorum Pinacothecas ſæpius perluſtravit, laudes ſpargit. Methodum ceteroquin nullam in conchyliorum

Digitized by Google

ſuorum ordinibus adhibuit, ſed hoc ipſo non minus commendabilis, ob onomatologiæ cumprimis, quæ Gallis familiaris eſt, datam omnibus copiam, quam alphabetico, prout in libelli fine exiſtit, ordine recenſere, Latinisque illuſtrare verbis, conſilii eſſe arbitramur. Sunt autem hæc: *l'Agathe*, cylinder ſuccini colore; *les Ailées*, volutæ alatæ; *l'Alène*, alana, voluta; *l'Amiral*, quicquid in quovis genere pulcherrimum eſt, prout in volutis; *le Vice-Amiral*, quicquid pulchritudine in quopiam genere proxime ad pulcherrimum accedit; *l'Aporrhaïs*, voluta alata, ſeu cornuta; *l'Arabique*, voluta Arabicis literis notata; *l'Arche de Noé*, chama, naviculam *Noachi* exprimens; *l'Araignée male*, cornuta; *l'Araignée femelle*, cornuta decumana; *Argus*, porcellana oculata; *la Bécaſſe*, murex caudatus, gallinaginis roſtrum dictus; *la Bécaſſe épineuſe*, murex ramoſus; *le Bezoard*, cylinder bezoaris forma; *Bois véné*, voluta venis diſtincta; *la Boſſué*, caſſis nodoſa; *Brocard d'or*, *Brocard de ſoye*, *la Brocatelle*, cylindrorum ſpecies, a colorum diverſitate ſic dictæ; *Brunette*, voluta nigella; *Burgaux*, pſittacus voluta; *Canard d'Ecoſſe*, anas Scotica, concha anatifera; *les Casques*, caſſides; *les Casques cendrez*, cinereæ; *les Casques pavez*, pavimentum vel areola dictæ; *les Casques raboteux*, caſſis nodoſa; *Caſtagnete*, pectunculus levis, crepitaculum dictus; *Chauſſe trape*, inſtrumentum bellicum, cui comparatur muricis ſpinoſi ſpecies; *Chauve-ſouris*, caſſis ſpinoſa, veſpertilio dicta; *Chicorée*, murex ramoſus, Cichorei radicum ſimilitudine; *le Chou*, concha Indica Bonanni, Braſſicæ folium dicta; *le Cierge*, voluta alba, Cereola dicta; *les Clochers*, buccina turriculæ dicta; *Cœur de Bœuf*, bucardium; *Cœur triangulaire*, Corculum triangulare; *Coquille de Saint Jaques*, pecten eremitarum; *Cornets de Saint Hubert*, limax ſpiralis; *Cornet de poſtillon*, ſerpentulus; *Couronne d'Ethiopie*, voluta, cymbium; *Couronne imperiale*, voluta coronata; *Couronne papale*, voluta corona papalis; *Crapaudine*, purpura ſpinoſa lata bufonia; *Cailliere*, murex hauſtellum dictus; *Crête de Coq*, oſtreum plicatum, criſta galli, ſimplex æque ac duplex; *Culote de Suiſſe*, buccinum ventriculoſum braccæ Helveticæ; *Culs de Lampe*, cochlea olearia; *le Damier*, voluta maculata, ſeu Tigerina; *le Drap d'or*, *le Drap d'argent*,

Digitized by Google

gent, volutæ ſpecies; *Ecaille de Rocher*, , lepas, patella; *Ecriture chinoiſe*, porcellana literata; *Eguilles*, ſtrombi, tigerini, tympanotoni caudati, &c.; *l'Eperon*, cochlea laciniata; *l'Eſcalier*, buccinum ſcalare; *l' Eventail*, pectinis ſpecies; *Feuille de Laurier*, oſtreum, quod folium lauri dicitur, arboreum; *Fraiſe*, fragum, pectunculus rubris guttis adſperſus; *Gencive*, gingiva, nerita dentatus; *Géographique*, porcellana maculata, qui topographica porcellana montoſa; *Gourgandine*, concha Veneris rugoſa, vel Venus vetula; *le Jambon*, petaſunculus, bivalvis; *Indienne*, concha Veneris Indica; *Levreau*, cochlea teſtudinaria; *Lime*, pectunculus aſper, lima dictus; *Lévantine*, vide *Gourgandine*; *Lunaires*, cochlea lunaris; *Manteau Royal*, pecten auritus; *Marteau*, oſtreum diviſum; *Millepedes*, millepedes, aſelli porcellanæ ſpecies; *Moules*, muſculi, mytuli; *Muſique*, voluta muſica; *Nacre*, mater Perlarum; *Nombril*, umbilicus maris, operculum cochlearum; *l'Oeuf*, ovum, ovum ibicis, gallinaceum, &c. porcellanæ vel bullæ ſpecies; *Jaune d' oeuf*, nerita luteus; *l' Olive*, porcellana viridis; *l' Onix*; voluta alba cereola; *Oreille de Cochon*, oſtreum plicatum minus; *Pagode*, trochi ſpecies, turricula Sinenſis; *Peignes*, pectines; *Perdrix*, voluta pennata perdicis plumis; *Perſpective*, umbilicata dicta; *Pigeon blanc*, *Tourtunelle*, epidromis alba *Rumphii*; *Plain-chant*, voluta muſica pulcherrima; *Plume*, mitra Epiſcopi, a fiſſura, calamo ſcriptorio ſimili, dicta, buccinum; *Pote de beurre*, voluta metabutyri dicta; *Porphire*, cylinder porphyreticus; *Pourpre*, purpura; diſtinguit inter muricem & purpuram; *Quenouille*, buccinum, quod fuſum; *Etoffe Robe Perſienne*, murex, purpura cornuta fœmina; *Rouleaux*, volutæ; *Sabots*, volutæ, maculatæ, radiatæ, &c.; *Scorpion*, cornuta, mas & fœmina; *Selle Polonoiſe*, oſtreum ſella equina; *Taupe*, porcellana, quæ talpa; *Teſticules*, nerita, teſticulorum forma; *Tenilles*, tellines; *Teleſcope*, idem ac perſpectiva, umbilicata, quæ teleſcopium; *Tonnes*, chamæ, radiatæ, ſtriatæ, &c.; *Trompes*, buccinum Tritonis; *Tulipe*, balani; *Turban*, echinus, aculeis ſuis munitus. Didicerunt a Batavis eruditi Galli, patronymico ſermone uti, ut plebeculæ eruditis dictionibus minus aſſuetæ auram

caperent,

caperent, id quod ſapientem virum neutiquam dedecet. Loquamur cum vulgo, ſentiamus cum eruditis.

CHRISTIANI GOTTLIEB BUDERI, DOCTORIS, Jurium & Hiſtoriarum Profeſſoris Publici Ordinarii, Facultatisque Juridicæ Aſſeſſoris in Academia Jenenſi, de Legationibus obedientiæ Romam miſſis Liber ſingularis.

Jenæ & Lipſiæ, apud Jo. Frid. Ritterum, 1737, 4.
Plag. 16.

Ex quo Cel. Autor libros de Legatis varios, eosdemque copioſos ac eruditos, ſtudioſe evolvit, de Legationibus, Romam ab Auguſtis noſtris aliisque Europæ ac Chriſtiani orbis Regibus Principibusque olim & recentiori quoque ævo miſſis, quas in curia Romana obedientiæ legationes appellare ſolent, utile magnique momenti argumentum vel omiſſum plane, vel leviter ſaltem tractatum, deprehendit. Patebit id recentiores de Legatis Commentarios evolventibus, *Abrahami* inprimis *Wiquefortii*, qui ceteris curioſius exempla, recentiora præcipue, collegit. Operæ itaque pretium ſe facturum Cel. Autor putavit, ſi de Legationibus obedientiæ, Romam miſſis, libro exponeret ſingulari. His addidit brevem commemorationem de Legationibus, ex variis Europæ regnis Romam miſſis, quibus ſe jactat magnifice curia Romana. Quæ *Capite ſecundo* attulit & commemoravit, magnam partem debuit humanitati Viri Ampliſſimi, *Joannis Ulrici Kœnigii*, Potentiſſimi Poloniarum Regis & Saxoniæ Electoris Sereniſſimi a Conſiliis curialibus & cerimoniis, qui ex ſplendidiſſima Bibliotheca Dresdenſi regia, apparatus ad hoc argumentum ornandum egregii, notitiam non ſolum dedit monumentorum rariſſimorum, ſed ipſe liberali manu etiam decerpta inde, qua eſt inſigni ad adjuvandum benevolentia, transmiſit, e quibus Autor præclara multa didicit, quod grato animo profitetur. Succedunt obſervationes quædam de cerimoniis, in Legationum illarum uſu introductis atque confirmatis, quæque in his ſubinde fuerunt controverſa, quantum quidem ex libris editis

Digitized by Google

editis potuit cognoſci. Sub finem libelli de noxiis legationum
harum effectibus quasdam adjecit meditationes, quas tenues eſſe,
lubens agnoſcit, quas tamen amor patriæ, cultusque jurium
Auguſtalium, expreſſit. Legationibus illis obeundis anſam de- Pag. 2.
dit perſuaſio de majeſtate Pontificis ſummi, ſub auſpicia Pontifi-
catus cultu quodam præcipuo proſequenda. Unde novo Pontifici
Imperatores, Reges, Principesque, tanquam ſucceſſori S. *Petri*, ut
perſuaſi erant, obedientiam, reverentiam, fidem, humilibus ver-
bis, addito nonnunquam ſacramento, confirmarunt. Ipſi olim
limina Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſalutarunt, ac reverentiam
ſummo Pontifici coram teſtificati ſunt. Sed nonnunquam ſe-
cus, ac par erat, excepti, in poſterum Legatis id dederunt man-
dati, ut ei nomine ipſorum & gratulationem & obedientiam
nuntiarent. Sub *Henrico V*, Rege Romanorum & Imperatore,
ſolennis obedientiæ promiſſio, ac Legatorum obedientiæ, Ro- 7 ſeq.
mano Pontifici præſtandæ, cauſa miſſio, orta videtur. Teſtis
locupletiſſimus exſtat *Conradus Urſpergenſis* in *Chronico fol.* 11.
256 edit. Argentor. Imperatores, hoc priores, tutelam pro-
miſerant Pontifici, non vero obedientiam. *Henrici V* jusjuran-
dum, obedientiæ index, vide apud *Baronium Tomo XII pag. 77.*
Lotharius Saxo defenſionem *Innocentio II* A. 1133 ante fores
Baſilicæ S. Salvatoris, Conſtantinianæ, & ante diadematis impo- 12 ſeq.
nendi ſolennia, promiſit, de obedientia nihil addidit. Vide
eundem *Baronium Tomo XII pag. 233.* Nec veriſimile videtur,
Fridericum Ahenobarbum obedientiam Pontifici promiſiſſe, quip-
pe qui ſupremam ſuam poteſtatem acerrime tuebatur. *Henri-* 13.
cus VI, impavidi Princeps animi, juravit Romæ, ſeſe eccleſiam 14.
Dei & jura eccleſiaſtica fideliter ſervaturum illibata, rectam ju-
ſtitiam tuiturum, patrimonium B. Petri, ſi quid inde ablatum
eſſet, reſtituturum in integrum, ac Tusculanum Papæ redditu-
rum; teſte *Rogerio* apud *Baronium Tomo XII ad A. 1191 n. 10.*
Innocentius III, diſſidentibus *Ottone IV* & *Philippo* Suevo, ſuæ
conſuluit vehementer autoritati. *Otto* Nuſſiæ in diœceſi 16.
Colonienſi coram Legatis Pontificis ſummi ſeſe jurejurando de-
vinxit de omni *obedientia* & *honorificentia Innocentio III* exhi-
benda, quam devoti catholici Imperatores conſueverunt ſedi

Digitized by Google

Apoſtolicæ exhibere. Ac poſthæc *Otto* in epiſtolarum ſuarum titulis Pontifici offert *fidelem ſubjectionem.* Atque in jurejurando, ante coronationem Imperialem A. 1209 facto, *Innocentio III,* ipſiusque catholicis ſucceſſoribus, & eccleſiæ Romanæ, omnem *obedientiam*, *honorificentiam*, ac *reverentiam*, promiſit. Nec
Pag. 17. minus *Philippus* curiæ Romanæ fidelitatem, devotionem, *filialem obedientiam*, & defenſionem, obtulit ac ſpopondit. *Fridericus II* in privilegio, quod A. 1213 Egræ dedit, *beatiſſimo Patri omnem obedientiam, honorificentiam*, atque *reverentiam*,
18. promiſit. *Rudolphus I Habsburgicus* A. 1283 Lugdunum, ubi
21. tum Concilium agebat *Gregorius X*, miſit *Ottonem*, Præpoſitum Spirenſem, aulæ regiæ Cancellarium, ut ſuo nomine *obedientiam* jurejurando promitteret, ac inſuper rata & acta haberet prædeceſſorum ſuorum, præſertim *Ottonis IV* & *Friderici II*, Pontifici impertita, privilegia. Hiſtoriam hujus legationis debemus *Juſto Fontanini*, literas vero *Rudolphi*, eum in finem Legato datas, aſſervavit *Raynaldus Tomo XIV A. 1274 n. 7 pag. 220 ſeq.* Uterque ex tabulario Vaticano ſua dedit depromta. De *Adolpho*, Naſſovienſi, ac *Alberto*, Auſtriaco, haud ſecus judicandum.
24. *Henricus VII devotionem & filialem reverentiam* duntaxat Pontifici per Legatos nuntiandam & offerendam curavit. *Ludovi-*
26. *cus Bavarus*, cum multis oratoribus, ad ſedem Pontificiam miſſis, nil proficeret, pernicioſiſſimis principiis magna animi virtute contradixit, edita Conſtantiæ Conſtitutione de *independente Imperatorum jure ex ſola electione derivando.* Rebus vero con-
27. ſiliisque ſuis per infidos amicos turbatis, oratores denuo miſit Romam, qui promitterent & confirmarent ſuo nomine *omnia juramenta, omnes obedientias, promiſſiones, & conceſſiones.* Ea-
28. dem juravit *Carolus IV Clementi VI* Avenione A. 1346 ante electionem. Poſtea Rex Romanorum electus duplici, eademque magnifica, legatione, cujus caput erat *Erneſtus*, Pragenſis Archiepiſcopus, *filialem reverentiam & devotionem promiſit*, *fideli-*
29. *tatisque juramentum* præſtitit, & *electionis confirmationem* amplis verbis impetravit. Eadem imitatus eſt *Wenceslaus*, filius, ſummi imperii ad clavum admotus. *Ruperti*, Palatini, Romanorum Regis, Legatus obedientiæ A. 1401 *Bonifacio IX* tribuit

poteſta-

Digitized by Google

poteſtatem dejiciendi Reges throno, ac *Auguſtum ad pedes San-*
ctitatis Romanæ ſinceriſſima devotione recommendavit. *Alber-*
tus II non videtur Legatum obedientiæ Romam miſiſſe. *Fri-* Pag. 31.
dericus III, conſiliis *Æneæ Sylvii* occupatus, graviſſimis Electo-
rum hortationibus loco haud relicto, Legatos obedientiæ miſit,
& obedientiam Papæ ſpopondit, ac de reliquo admodum lenis 38.
fuit, non ſatis propulſans inſignia patriæ communis noſtræ da-
mna, nec, dum *Æneæ Sylvio* obſequebatur, conſilia Principum
Imperii ſaluberrima in animum demittens. De *Maximiliani I*
ac *Caroli V* Legatis obedientiæ Cel. Autor nihil fere dicere ha-
buit. Hiſtoriarum lux, *Maximiliano I* imperante latius dif-
fuſa, erat in cauſa, cur ſub *Ferdinando I* in cauſas neceſſita-
tis præſtandæ Pontifici obedientiæ inquireretur, eaque ageren- 44.
tur & ſcriberentur, quibus decus Imperii firmaretur. Ipſe
tamen *Pio IV* miſit oratorem, Comitem *Arcus*, qui munus
novum Pontifici congratularetur, *debitum*que & *ſolitum re-*
verentiæ ac devotionis officium more majorum præſtaret. *Ma-* 45.
ximilianus II cum *Pio IV* de obedientiæ legatione tandem in-
cidit in diſſenſionem. Eventus fuit ejusmodi. Pontifex obe- 48.
dientiam accipiebat, quam verbis non præſtabat Cæſareus Le-
gatus, neque in mandatis, uti promitteret, habebat; confirma-
tionem electionis in Regem Romanorum dabat, quæ non fuit
petita. *Rudolphus II* per Legatos pollicitus fuit Pontifici *obſe-* 50.
quium & reverentiam, eccleſiæ vero obedientiam. *Leopoldus*,
Imperator, Legatum obedientiæ haud miſit, nec minus Pontifex 56.
electionem ejus confirmavit. De *Ferdinando II, III, & IV*, ple-
raque, quantum ad hanc rem attinet, ſunt adhuc obſcura. Solet
Pontifex a Rege Romanorum, vel potius Imperatore, novo pri-
mum expetere petitionem confirmandæ a ſeſe electionis, deinde
obedientiæ legationem ac promiſſionem, ac, hisce rite peractis,
impertiri Imperatoribus *indultum primariarum precum.* Sed
invictiſſimus Cæſar *Joſephus* primarias preces ex poteſtate Im- 59.
peratoria ad Capitula direxit, nec unquam Legatum obedientiæ
Romam miſit, teſte ipſo Romano Pontifice *Clemente XI.* Impe-
ratoris, nuper ad Divos evocati, *Caroli VI*, prudentia in hac cauſa 60.
ſuaſit, ut Legato ſuo ordinario in curia Romana (olim extraor- 63.

 dina-

Digitized by Google

dinarius requirebatur, qui maxima ſolennitate cuncta perficeret,)
in mandatis daret, ut ne iis cerimoniis, quæ olim in uſu & ve-
luti neceſſariæ videbantur, ſed ut benevola ſaltem compellatione,
verbisque generaliter expreſſis, rem ageret. Atque hæc ſunt
ea, quæ ex *Capite primo* decerpta dare lubuit, gravitate tracta-
Pag. 69 tionis invitante. *Capite ſecundo* Cel. Autor commentatur de Le-
ſeq. gatis obedientiæ Regum, Principum, ac rerum publicarum Eu-
ropæ, aliarumque orbis partium. Delibabimus exinde paucu-
la. *Carolus VIII*, Galliarum Rex, A. 1495 Romæ in expedi-
tione Neapolitana præſens ipſe obedientiam præſtitit. Orator
71. Gallicus, omnium Legatorum primus, *Julio II*, recens A. 1503
electo, idem exhibuit officium. *Franciſcus II, Henricus III,*
Henricus IV, & *Ludovicus XIII*, per Legatos ſuos eadem munia
77. curarunt obeunda. Deflectit deinde Autor ad legationem obe-
81. dientiæ Polonicam *Uladiſlai IV*, ad Britannicam *Jacobi II*, fatalem
illam, Congitani Regis ac Georgianorum, *Davidis*, Regis Ha-
84. beſſinorum, A. 1533, & Japonenſium A. 1585, a Jeſuitis, ut
creditur, ſuppoſitam, recenſendam. *Capite tertio* diſſerit de
86. qualitatibus Legatorum obedientiæ, deque cerimoniis, quæ
103. hisce in legationibus obſervari ſolent. *Caput quartum* exhibet
quasdam juridicas de Legatis obedientiæ meditationes, Jus pu-
blicum Germaniæ illuſtrantes. Germanicis Electoribus me-
rito faſtidioſa eſſe debet illa electionis Regis Romani & Impe-
109. ratoris per Romanum Pontificem confirmatio. Ipſi Germaniæ
Epiſcopi ad *Hadrianum IV*, Papam, ſic ſcripſerunt: *Liberam imperii noſtri coronam divino tantum beneficio adſcribimus, electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo, deinde, quod ſupereſt, ceteris ſecundum ordinem Principibus, recognoſcimus, regalem unctionem Colonienſi, ſupremam vero, quæ imperialis eſt, ſummo Pontifici. Quicquid præter hæc eſt, ex abundanti eſt, a malo eſt.* Idem ſenſit *Fridericus Barbaroſſa*. In gravi illa de
110. imperio concertatione, *Philippum*, Suevum, inter & *Ottonem IV* exorta, *Innocentius III* judicem agere voluit de electione Regis ac Imperatoris, ad quem ideo plures Germaniæ Proceres ita ſcripſerunt: *Ubinam legiſtis, o Summi Pontifices, ubi audiſtis, ſancti Patres, totius Eccleſiæ Cardinales, Anteceſſores veſtros, vel*

eorum

Digitized by Google

ebrum miſſos, Romanorum Regum ſe electionibus immiſcuiſſe, ſic, ut vel Electorum perſonam gererent, vel cognitores, electionis vires trutinarent. Reſpondendi inſtantiam Vos, credimus, non habere. Edidit hanc Epiſtolam *Raynaldus Annalium eccleſ. Tomo XIII pag. 65.* Notamus, vocem *Electorum* eo ævo jam fuiſſe tritam. *Ludovicus IV* deinde eadem docuit, ac docenda curavit. At æmulus *Carolus IV*, filii *Wenceslaus* & *Sigismundus*, atque *Fridericus III*, ab *Ænea Sylvio* incitatus ductusque, Pag. 113.
miſſis obedientiæ Legatis, confirmationem electionis ſuæ expetierunt atque impetrarunt, conſuetudinemque invexerunt novam.
Maximilianus I confirmationem illam nec petiit, nec accepit. 115.
A legationis illius cerimonia multos juris receſſus derivandos cenſuerunt Pontificis amatores. Præfationi ſubjecta eſt explicatio numorum, æri inciſorum, qui in fronte ejus exſtant, ex *Claudio du Molinet* deſumti. In priori, qui eſt *Gregorii XIII*, leguntur hæc: *Ab. regibus. Japonior. prima. ad. Roma. Pont. legatio. et. obedientia. 1585.* In poſteriori, A. 1608 a *Paulo V* percuſſo, hæc exſtat perigraphe: *Et. Congu. adgnoſcit. paſtorem. ſuum.* Papa, in ſolio conſidens, triplici corona redimitus, indutus veſtibus pontificalibus, purpurato patre, ad detram ſedente, comitatus, apparet hic monens Legatum, coram ſeſe humi procumbentem, ac obedientiæ officia pollicentem.

Friederich Ulrich Stiſſers Forſt- und Jagd-Hiſtorie der Teutſchen, ꝛc.

hoc eſt,

FRIDERICI ULRICI STISSERI, REGI BORUSſiæ a Conſiliis Belli & Domaniorum in Camera Regia, quæ Stetini in Pomerania eſt, Hiſtoria rei foreſtoriæ ac venatoriæ Germanorum.

Jenæ, impenſis Jo. Frid. Ritteri, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 15.

Autor Illuſtris nomen ſuum jam commendavit eruditis edita ſermone Germanico *Introductione ad œconomicam Germanorum artem ruralem*, cui proxime ſeſe additurum promittit Introductionem ad Oeconomiam urbium Germaniæ publicam,

Einleitung zur Staatswirtſchaft der Stædte in Teutſchland. In præſens egregie ſolideque, ac nova plane ratione, diſſerit de iis, quæ ad hiſtoriam foreſtorum ac venationum nationis noſtræ ullo pacto facere queunt. Tractationem ſuam *Capitibus tredecim* complectitur. *Primo* generatim exponit de hiſtoria foreſtorum ac venationum; *ſecundo* de ſilvarum rationibus agit ex vetuſtiſſimo inde ævo usque ad *Carolum Magnum*; *tertio* progreditur ad Imperatores usque Franconicos; *quarto* ætatem Franconicorum Imperatorum percurrit; *quinto* reliquum tempus perſequitur ad Interregnum usque; *ſexto* filum narrationis pertexit inde ab Interregno usque ad noſtram ætatem; *ſeptimo* pertractat varias ſpecies venationis Germanorum & priſci & noſtri ævi; *octavo* agit de ſilvis imperialibus veterum Carolingidarum ac Germaniæ Imperatorum; *nono* de muniis hæreditariis imperii, quibus cognomen a ſilvis ac venationibus adhæſit, diſſerit; *decimo* exponit de judiciis lignationum, ſilvarum, & venationum, tum olim, tum in præſens, uſitatis; *undecimo* dicit de ſilvis veterum Germanorum ſacris; *duodecimo* attentionem convertit ad ſilvas & venationes Clericorum per Germaniam; *decimo tertio* tandem commemorat venationum ordines, patronos, domicilia, cerimonias, & oblectationes ludicras. Ex hac fimbria de texto licet judicare. Miramur merito, Autorem & jura Germanica, & vocabula artis Germanica, & hiſtoriam nationis noſtræ, & notitiam librorum rariſſimorum, peræque callere. Quis enim eruditorum ſeſe rei foreſtariæ ac venatoriæ adeo dedit, ut, venatorum more, & præfectorum rei lignariæ ritu, loqui ac diſſerere valeat?

Pag. 2. Rei foreſtariæ ac venatoriæ hiſtoriam Vir Ampliſſ. exiſtimat eſſe poſitam in commemoratione de ſtatu priſcarum ſilvarum & venationum per Germaniam, earum occupatione per temporum conſecutorum decurſiones, ac de modo expediendi venationes, earumque juribus, quæ tum nobilitati ſuperiori ac inferiori, tum Imperatoribus, Clericis, Proceribus Germaniæ, civibusque, propria ſunt vel vindicanda. Francos, ut artus indurarent, adoleſcentiam venationibus exercuiſſe, memoriæ proditum. *Fore-*

3. *ſtum*, *Forſt*, vox eſt Germanicæ originis, denotans partem ſilvæ nemorisque, rei lignariæ inde faciendæ, vel deliciis ac ſuper-

perſtitioni, vel venationi, deſtinatam. Foreſtum in ſcriptis medii Pag. 5.
ævi dicitur ſilva, ſaltus, boſcus, (*Buſch*,) & nemus, licet foreſtum
ab eis ſatis differat. Silva & foreſtum jam diverſæ res exſtiterunt
tempore *Caroli Calvi*. In unica certe ſilva exiſtunt ſæpius tria & 7.
plura foreſta. Diſtinctio ſilvæ in cæduam, inciduam, & paſcuam, 8.
ex jure veteri Romano profluxit, ac noſtra ætate nullum fere
uſum ſpondet. Franci *foreſtum* vocarunt quoque vivarium piſcium. *Foreſtare*, *afforeſtare*, *inforeſtare*, idem eſt ac ſilvam,
foreſto nondum aptam, convertere in foreſtum; *deaforeſtare*
eſt locum foreſto aptatum uſui communi tradere; *reaforeſtare*
idem eſt atque loca, agris colendis aptata, in uſum foreſti reducere. *Foreſtum cum banno*, ſeu *bannum foreſti*, eſt publica 11.
poteſtas ea jubendi, quæ ſilvis ac foreſtis ſunt utilia, & ex oppoſito ea vetandi, quæ eis ſunt vel videntur noxia; interdum ea
quoque comprehendens, quæ ad venationes ſpectant. Juriſdictio foreſtalis eſt jus regale, quod non ubique cum ſuperiori- 14.
tate territoriali cohæret. Ipſa eſt vel mediata vel immediata,
porro vel propria vel conceſſa, nec non vel omnimoda vel limitata, ac tandem vel privativa vel cumulativa. Juriſdictio
venatoria a foreſtali nonnunquam differt, ac appellatur in Diplo- 16.
matibus *bannum beſtiarum*, *wildbannus*, *wildbannum*, *wildpenne*,
bannum regale in venationibus, complexa non ſolum ſilvas, ſed
& agros camposque. Jus venandi eſt duntaxat pars juriſdictionis venatoriæ, non ipſa juriſdictio venatoria ex integro, nedum
eminens. Bannum eſt porro vel proprium, vel privativum, vel 18.
commune. Jus lignandi minus eſt juriſdictione foreſtali. Hæc
non ſemper includit venatoriam, vel jus venandi. Wildbannum differt a *Wildbahn*, deſignante ſpatium, in quo hoſpitan- 23.
tur feræ. *Federſpiehl* notat accipitrem, picum, falconem impetuoſum, avem *Blaufus*, aliasque rapaces. Jura venandi, quibus 27 ſeq.
gaudent nobiles, ſunt admodum diverſa pro conſuetudinum,
conſtitutionum, ac compactorum, diverſitate, quam Cel. Autor
copioſe percenſet. Idem de oppidanis eſt pronuntiandum.
Germani veteres multum temporis venatibus tranſigebant, præ- 40.
cipue cum bella ipſi haud inirent. Solum enim eorum erat
ſilvis horridum, paludibusque fœdum. Silva Hercinia & Ar- 41.
duenna longe lateque patebat. Germani limites terrarum conſtitue-

Pag. 44. ſtituebant ſtipites magnos in modum ſepis ruralis funditus jactos atque connexos, quos noſtri vocant *knicke* & *landwehren*. Adhibebantur foſſæ, palis ſudibusque munitæ, quas noſtri vocant *pfal-*
46. *bæcken*, *pfalgraben*. Mons Vogeſus Regibus Francorum erat
47. proprius. De ſilva Baceni, qui Suevos ac Cheruſcos diviſit, non una omnium eſt opinio. Plurimi eam Salam inter & Werram
49. exſtitiſſe exiſtimant. Si quid ex ſono colligere licet, inter Lutteram & Hahuſen in Principatu Wolferbuttelano pars ejus reſtat, quam vocant *Bakenberg*, unde Lutteram cognominant, quæ vulgo vocatur *Lutter vor dem Bakenberge*. Recenſet potiores etiam Germaniæ ſilvas Ampliſſ. Autor, quarum ſeriem delibare non vacat, ſiquidem B. *Spenerus* in *Notitia Germaniæ*
53. *antiquæ* eas omnium accuratiſſime expoſuit. Silvæ Germanorum vaſtiſſimæ olim in dominio univerſitatis erant ſitæ. Cum earum migrationes ceſſarent, nobiles & ingenui eas occuparunt, partesque colonis ſuis tradiderunt exſtirpandas, & agriculturæ accommodandas. A primo colono villis deinceps adhæſit nomen, quod ſucceſſu temporis plerumque eſt vehementer depravatum. Ita locus, quem *Folcvartus* eruendo & colendo reddidit habitabilem, vocatur *Wolperode* loco Volquarderode. Ex domo *Volcwardi Volcvardesheim* factum eſt Volckſen; ex domicilio *Nicolai Clauensheim* Clewenſen: ex habitaculo *Theodulſi Thidulvesheim* exſtitit Dedeldiſſen ac Delliſſen, Deelmiſſen, &c. De ſilvis non lædendis, nec furto gravandis, jam leges ſan-
54. citas reperimus apud Ripuarios Saliosque. In legibus Bajoariorum de examinibus apum jam publice fuit conſtitutum. Langobardi pœnas eis irrogandas cenſuerunt, qui arbores, terminis deſignandis deſtinatas, incidiſſent, aut inciſuras ſuſtuliſſent. Co-
56. lono, *Tacitum* teſtem ſi laudare licet, injungebat dominus mo-
60. dum frumenti, aut pecoris, aut veſtis. Veſtes vero cum ea ætate maximam partem ex ferarum pellibus factas fuiſſe conſtet; Autor inde colligit, colonis permiſſas exſtitiſſe ferarum venationes. Nobiles venationibus ac bello ſtudebant; ſacerdotes literis; agriculturæ ſervi. Nemo conſtanter in uno loco morabatur, in-
62. colendi cauſa. Privati ac ſeparati agri apud eos ætate Cæſaris nihil erat, neque longius anno remanere uno in loco, incolendi

cauſa,

Digitized by Google

cauſa, licebat. *Thomaſius* id de novalibus exponere tentaverat, negans, Germanos veteres domicilia locumque incolendi quotannis mutaſſe. Pag. 63. Sed eam opinionem Noſter facile refellit & propulſat, additis teſtimoniis & *Cæſaris B. G. IV*, 1, & *Strabonis Geogr. VII*, & *Taciti de Mor. Germ. XXXI*, & *Horatii Lib. III Od. 24.* Germani, qui Rhenum & Moſellam accoluere, primi oderunt 67. vagas migrationes, ac venationes piſcationesque Seculo jam V vel VI legibus determinarunt. Invecta ſenſim conſuetudo venandi & piſcandi in ſuo fundo, licet ad *Carolum Magnum* usque & ultra multæ ſilvæ inter dominia univerſitatis fuerint relatæ. *Carolus Magnus* tenuit a majoribus inde *foreſta dominica* ac eis vicina palatia regia, & ea ſubinde augebat, regalique poteſtati ſubjiciebat. 69. Cerimoniam, loca ſilvoſa per præconem inforeſtandi, ex *Spelmanno* unus & alter jam expoſuerunt. 72. Nobilibus vero & Comitibus ſuæ quoque erant venationes, ſua foreſta. Comitibus ea ſæpius ſtipendii annui loco tradita. 77. Foreſtales *Caroli M.* leges nonnullæ adhuc exſtant. 82. Ipſe Monachis venationes, ut corpora reficerent & roborarent, impertitus fuit nonnullas. Cum vero Comites flagrarent cupiditate augendi foreſta regia ex alieno; *Ludovicus Pius*, 84. ne modum jusque excederent, ſancivit, vetuitque, ne Principes Germaniæ nova acquirerent ſibi foreſta. Si qua notare liceat in eruditiſſima Autoris tractatione, illa erunt ita comparata, ut ad rem Diplomaticam reſpiciant. Ipſum enim Virum Ampliſſimum Diplomatibus eis fidem alicubi habere intelligimus, quæ haud ſunt genuina. In horum claſſem referimus illud *Caroli Magni* Osnabrugenſe, & aliud *Lotharii* Diploma, quo Corbejæ traditur univerſa Rugiæ inſula, porro *Ludovici*, Regis Germaniæ, Diploma, Lamſpringæ aſſervatum, ac in- 85. dubie Diplomata aliquot San-Dionyſiana. *Mabillonium* regulas artis diplomaticæ ita temperaſſe, ne ordini ſuo noceret, querela eruditorum eſt fere communis. Sub finem *Capitis quarti* Autor Cel. recenſet domicilia Carolingidarum, venationibus aptata, e. g. Bacivum, Heriſtallum, Criſciacum ſeu Creciacum, Ver- 90 ſeq. num, Sylvacum, Cariſiacum in Belgio, Cotiam Compendio vicinam, fanum S. Germani, Salmoniacum, Odreiam ſeu Audria-

 cam

Digitized by Google

cam villam, & Attiniacum palatium. Si Chronicon Gottwicenſe Ven. Abbatis *Gothofredi* ad manus fuiſſet Autori, arva inde feliciter rigare, & haſce curtes villasque copioſius perſequi, potuiſſet. Ipſe locum *Nithardi: Gens Saxonum omnis in tribus ordinibus diviſa conſiſtit. Sunt inter illos Edlingi. Sunt, qui*
Pag. 97 seq. *Freilingi; ſunt, qui Lazzi, eorum lingua dicuntur*, ita exponit, ut per *Adelingos* nobilitatem ſuperiorem, officiales Imperii, Duces, Comites, Marchiones, Landgravios, Principes, Burggravios, Wildgravios, Raugravios, &c. intelligat, per *Frilingos* vero nobilitatem inferiorem, milites famulosque, & milites gregarios, qui in bellis equo merebant, domi vero in prædiolis vivebant, ac cum ſervis ſuis rus colere conſueverant, inſervientes nobilitati ſuperiori loco *miniſterialium*, *gaſſindorum*, & caſatorum vaſallorum. Tandem vero *Lazzos*, id eſt, *laten*, lide, lithones, habet pro colonis & ſervis, agro colendo affixis. Imperatores,
100. ex gente Saxonica, Franconica, & Hohenſtauffica, nati, foreſta imperii ex pia quadam ſuperſtitione Cœnobiis in remedium animæ obtulerunt impenſius, quam Carolingidis fuerat viſum ſalu-
109. bre. *Venationes ad pertinentias fundi ſine nominali ſubſecuta expreſſione haudquaquam eſſe referendas*, Autor ſolide oſtendit. A Seculi vero X fine usque ad Seculum XIV venationes cœperunt exiſtimari pertinentiæ fundi, dicique *utenſilia*, *appendi-*
111. *ciæ*, *utilitates ad rem reſpicientes*, *appertinentiæ*, & *prædii integritates*, uti prima fronte Diplomata videntur indicare. *Eybenius* hoc argumento fuit uſus, eumque ſecuti fuerunt Viri Celeberrimi,
112. *Bilderbeck*, *Struben*, & *Kreſſius*. At Ampliſſ. Autor addit huic argumento haſce ſtricturas. Primo quidem monet, formulam loquendi tum fuiſſe tritiſſimam, qua ſignificatum fuerit prædium *cum pertinentiis*, ac deinde pertinentias, ei proprias ac vindicandas, nominatim deſignandi, ea vero juris vi ac norma, ut ea, quæ diſtincte haud percenſentur, ad pertinentias haud ſint referenda, ſed potius tacite reſerventur. Deinde docet, multas dari chartas feudales, in quibus prædiorum mentio fiat *cum pertinentiis*, licet prædiis cum illis jus venandi nunquam
113. fuerit conjunctum. Tandem addit, dari plurium generum pertinentias, &, eis nominatim illico ad venationes non eſſe reſpi-

ciendum, monet. Præterea exſtant Diplomata, in quibus *de pertinentiis* fit mentio, quando nihilo minus ſilva, venatio, & wildbannus, excipitur ab eisdem. Qui igitur dici poteſt, pertinentiis ubique & per ſeſe comprehendi jus venandi? *Lübbius*, hisce argumentis uſus, protulit quoque alia, quibus enarrandis noſtrum non eſt immorari. Locus, ubi *Northringe* caſtellum ſeu Nienburg jacebat ad Bodam ac Salam confluentes, diſtincte a Noſtro delineatur, haud ſecus ac Dankmarisveld, ex quo Monachi Nienburgum fuerunt translati, qui locus nunc domiciliis nudus ad Gereurodam Anhaltenſem inter Haberfeld & amnem Selcke eſt conſpicuus. Tammersfeldam *Julius Bernhardus de Rohr* appellavit minus recte *Stammersfeldam*. Juvat hic legiſſe, quantum ſinguli Imperatorum ſtuduerint venatibus, & quantum foreſtariæ venatoriæque rei donaverint Epiſcopis ac Cœnobiorum collegiis votivis. *Fridericus primus* ipſe ſcripſit librum *de arte venandi*, cui alios ejuſdem generis Autor Ampliſſ. ſubjungit. Ipſe *Capite ſexto* ad ſingularia deſcendit jura, quæ poteſtati territoriali per foreſta adhærere cœperunt. Noſtrum non eſt, longius ipſum proſequi. Qui aliquid accurati de juribus, huc ſpectantibus, qui Diplomata & Conſtitutiones, legere avent, eorum eſſe exiſtimamus, ad Noſtrum feſtinare, ſitimque large ibi reſtinguere. De Imperii venatore commentatur copioſe in omnem partem. In Acceſſionibus & Supplementis larga ſeges Diplomatum huc referendorum utramque complet paginam, adeo, ut diligentiam & ſtudium ac accuratam ſcribendi rationem merito prædicare debeamus. Atque hæc tractatio ita eſt comparata, ut eam aliis exempli loco commendare poſſimus, qui ſcribendi laboribus tempus ſuum impendunt. Hanc enim ſi reliqui imitari, quam undecunque ſapere, maluerint, orbem literarium ſcriptis ætatem laturis, ac humanitatem non minus, quam ſoliditatem, ſpirantibus, exornatum iri, læti prævidemus & ominamur.

Pag. 114. 115 ſeq. 120. 125. 135 ſeq. 393 ſeq.

SINGULARITÉS HISTORIQUES ET LITERAIRES, &c.

hoc eſt,

SINGULARIA HISTORICA ET LITERARIA, QUÆ

continent inveſtigationes & enodationes multarum magno numero difficultatum Hiſtoriæ veteris & recentioris.

Tomus I.

Pariſiis, apud Franciſcum Didot, 1734, 12.
Plag. 13.

Juvabit hoc nemus amœniſſimum vel in tranſitu luſtraſſe, cum
ſuaviſſimos quosque ejus ſeceſſus viasque ſcrutari ſpatio
Pag. 9. nunc & tempore prohibeamur. Primum horum ſingularium eſt
Diſſertatio in Epiſtolam, *Eginhardo* attributam ab *Alexandro du*
Chesne, quæ in repetita editione Francofurtenſi anni 1714 nume-
ro ſecunda & ſexageſima eſt, quam non *Eginhardi* genuinam, ſed
20. ſuppoſititiam, eſſe, rationibus criticis probatur. Dein ex Car-
dinalis *Thomaſii* Præfatione ad duplex Pſalterium, ab ipſomet pu-
blicatum, citatur quidam, ab ipſo *Du Pinio* præteritus, *Pruden-
tius*, Epiſcopus, cujus *Flores Pſalmorum* in Bibliotheca Vaticana
21. exſtant, quique Seculo forſan decimo vixit. *Robertus Valtu-
rius*, ſcriptor *rei militaris* veluti compilator *Ammiani Marcelli-
ni* ſiſtitur, & ex iſto hac occaſione locus quidam ipſius *Am-*
25. *miani* hiulcus ſuppletur ac emendatur. Probatur, Hieroſoly-
mæ nullas unquam fuiſſe Synagogas. Qua occaſione in originem
Synagogarum inquiritur, & *Humphredus Prideaux* refutatur.
45. Locus Biographiæ S. *Bernhardi*, quam *Godofredus le Gros*, Ab-
49. bas *de Tiron*, compoſuit, emendatur. Diſſeritur de fundatore
& initiis Monarchiæ Franciciæ inter Gallos contra P. *Gabr. Da-*
103. *nielem*, qui *Chlodavæum* hoc honore mactaverat. Tractatur de
origine linguæ Gallicanæ, & inquiritur, quonam tempore iſta lin-
gua cœperit eſſe vulgaris vel vernacula. *Arnauldus*, hoc paulo
ante *Bernhardi* tempora contigiſſe, autumans, confutatur, &, de-
cimo jam Seculo id eveniſſe, probatur ex *Yvone Carnotenſi*, *Go-*
133. *dofredo Vindocinenſi*, &c. Subſequuntur Annotationes in *Me-*
138. *nagii Origines linguæ Gallicæ.* Porro contra quendam recen-
tiorem *Peyrerium* obſervatur, Islandiam nondum A. 834 Chri-
142. ſtianam fuiſſe; item Muſicam & inſtrumenta muſica in Eccle-
ſiis tempore S. *Germani* Seculo ſexto haud fuiſſe in uſu. De
Satvio,

Digitized by Google

Salvio, Abbate *de Albelada*, quædam referuntur. De antiqua Pag. 144.
re monetaria Cenomanenſi occaſione quorundam Diplomatum 145.
diſquiritur. De quibusdam cauſis diſſeritur, quare nonnun- 152.
quam pudendos eruditi committant errores, v. g. defectu ju-
dicii & ratiocinationis, ignorantia Hiſtoriæ, defectu accurati
examinis & inſpectionis ac evolutionis Autorum, qui nonnun-
quam ex ſola memoria citantur, denique præjudicatis ſectæ opi-
nionibus. Singulæ hæ cauſæ lepidiſſimis confirmantur exemplis
& hiſtoriolis, quas animi cauſa evolviſſe, cautiusque mercari didi-
ciſſe, neminem pœnitebit. Contra *Jo. Clericum* probatur, Magos 181.
ex Oriente vere & proprie Jeſum Chriſtum adoraſſe. Confir-
matur, librum *de Mortibus Perſecutorum* re vera eſſe *Lactantii.* 225.
Suppeditantur tres novæ obſervationes circa Hiſtoriam Eccleſia- 256.
ſticam Gallicanam: 1) quod S. *Radegondis* nunquam profecta fue-
rit Arelatum; 2) quod eadem *Radegondis* inſtituerit Regulam
S. *Cæſarii* in Monaſterio S. Crucis Pictavienſi circa A. 559, aut
tardius; 3) quod S. *Agnes* neutiquam fuerit prima Superior
Monaſterii S. *Radegondis.* Contra *Hadrianum Valeſium* evin- 265.
citur, quod Franci & Galli dudum ante *Philippum* Auguſtum 275.
confuſi fuerint. Memoria *Petri de Courthardy*, primarii Par- 283.
lamenti Præſidis, & *Davidis Rivaltii*, qui Regem *Ludovicum*
XIII inſtituit, ſiſtitur, cujus poſterioris ſcripta quoque recen-
ſentur. Probatur, Toloſæ Concilium habitum fuiſſe A. 507. 295.
Memoria *Bonizonii*, Placentiæ Epiſcopi, hunc *primum* Singula- 310.
rium *Tomum* claudit, ſi modo integer iſte ad nos perlatus eſt.

ORTUS ET PROGRESSUS VERNACULARUM, quæ regiæ vulgo appellantur, & per totam Daniam ſumtibus vere regiis Regis glor. mem. Friderici quarti exſtructæ frequentantur, Scholarum 240 feliciſſimus, agreſti calamo deſcriptus ab HENRICO BROHOLM, Ræingia Fionenſi, p. t. Præceptore Scholæ Regiæ in pago Wraa prope Coldingam.

Flensburgi, in officina libraria Kortena, 1737, 8.

Plag. 5.

Digitized by Google

Ad maxima immortalis Danorum *Friderici IV.* in rem ſacram
atque literariam merita jure quoque ſuo referatur oportet
Scholarum regiarum in ipſis pagis conſtitutio, in quibus pieta-
tem, mores, literarumque rudimenta, excolunt pueri, ſub magi-
ſtris probis non ſolum, ſed & nonnunquam eruditis. Illorum
in numero locum & ipſe meretur hujus libelli Autor, qui, gra-
to & beneficiorum acceptorum memori animo ductus, in lauda-
tiſſimi illius inſtituti hiſtoria celebranda operam poſuit maxime
laudabilem. Auſpicatur vero has ſuas narrationes ab hiſtoria ſcho-
larum Judaicarum & Chriſtianarum generaliori, earumque antiqui-
Pag. 16. tate ſtrictim explicanda. Ignorabant ſcholas Ebræorum antiquiſſi-
mi, & ſaltem intra privatos parietes in domeſticis diſciplinis juven-
17. tutem educabant. Deinde *Moſes* ſanctione, juſſu divino ſtipa-
ta, ordinavit, ut in loco ſacri cultus, quemadmodum *Flacius*
loquitur, ſchola Levitarum haberetur. Quocirca non invitus
dat Noſter, quadraginta illis in urbibus, quas Levitæ inhabita-
runt, & in uſum ſuum converterunt, ſcholas fuiſſe, ad quas
18. Iſraelitæ diſciplinæ atque eruditionis ergo miſerint liberos.
Labefactata Levitarum diſciplina, inſtitutæ ſunt ſcholæ, quibus
23. vates, viri pietate graves, præſidebant. Rareſcente autem va-
ticinatione, modo publico, modo privato ſumtu exſtruebantur
Synagogæ, quæ utplurimum in locis altioribus ſitæ erant, unde
Libertini, qui in Synagogis vixerunt, ſic dicti ſunt, quaſi *Luber-
tini*, cum Λεύβαρ ſit locus deſcenſionis, unde *Lubra* locus edi-
tior, annotante *Alano* in *Diſſertatione de Gentium quarundam
ortu & primatu Theſ. 22.* Quibus expoſitis, & poſtquam ſimul
de ſcholis diſcipulorum Chriſti & Chriſtianorum tria, ſed vulga-
ria, verba fecit, ad inſtitutum ſuum progreditur. Ad ædificia
regiarum ſcholarum quod attinet, ea eleganter & apte ſunt ex-
32. ſtructa, inſcriptionibusque, quæ Danica hic atque Latina lingua
leguntur, ornata. E. g. interpretatio poſitæ ſupra oſtio ſcholæ
inſcriptionis ita habet:

Quære ſcholam, dum tempus habes, juvenilibus annis.
Quod tibi ſit reliquum temporis, eſto memor.
Eſto pius, venerare Deum, Regique beato
Pro noſtra grates ſolvere perge ſchola!

Neque

Neque vero magis domus, quam ipſa diſciplina, fuit conſtituenda; quo tendit duplex illa inſtructio, quarum altera *parochos*, qui dicuntur, obligat, altera præceptores. Utraque Latinam verſa in linguam exhibetur. Initiationi ejusmodi ſcho- Pag. 40
larum dedicatus præſertim fuit dies Martii 28 A. 1721, qui ſeq.
ideo quotannis puerili lætitia celebratur; quemadmodum 52 ſeq.
ante d. 21 Decembris Thomæ conſecratus hoc fuit nomine in- 53 ſeq.
ſignis. Hanc ſolennem concelebrationem fuſius Noſter enarrat, eamque a Romanorum Saturnalibus non deducit quidem, aliquid tamen cum iisdem ſimilitudinis habere concedit. Defendens
autem ludicra ejusmodi puerorum, ſequentibus eadem verſibus 60.
deſcripſit:

Sic redit e cœlo lux optatiſſima Thomæ;
Quippe ſcholis annum contulit illa novum.
Diſcipulos cohoneſtat eo præceptor honore,
Quem pro laudanda ſedulitate merent.
Alter erit Cæſar, Rex alter, Regulus alter,
Alter honore minor pro ratione loci.
Ecce! puer frangit virgam, tituloque ſuperbus
Gaudet & in noſtra geſtit adeſſe ſchola.

Tandem vero, finem impoſiturus, triſtem illorum, qui in ſcholis laborant, contemtum ſtrenue vindicavit, &, qua ſe ratione iſtiusmodi vir gerere debeat, præſcripſit. Quæ quidem regulæ ſi omnes ac ſingulæ obſerventur, vel obſervari poſſint, non dubitamus, fore, ut pluris, quam huc usque factum, a multis æſtimentur rei ſcholaſticæ præfecti. Namque omnibus hic ſatisfacere, atque nullius prorſus, pleni præſertim ruris atque inficetiarum, ſtomachum experiri, quis eſt, qui valeat?

PHILOSOPHIÆ ANTIQUISSIMÆ ET RECENTISſimæ Prodromus, definitiones notionum univerſalium & principiorum, axiomata & theoremata, totius Philoſophiæ fundamentum, ſummi Numinis exiſtentiam atque animæ corporisque commercium, ſpectantia, ex entis actualis eſſentia demonſtrata, continens, Autore
ANDREA CLAVIO.
Cellis, typis Jo. Georg. Paſſini, 1740, 8.
Plag. 17 ½.

Multa

Multa ſatis bona complectitur hic libellus, Philoſophiæ *Leibnitianæ* ac *Wolſianæ* prædicator & approbator. Hujus ſemina ad *Socratem* eſſe referenda, paſſim Cl. Autor monet.
Pag. 10. *Ariſtotelem* faſtidit, eumque antiquioris ſapientiæ conſulta ſæpius perperam intellexiſſe & pervertiſſe contendit. Idealiſtas, Egoiſtas, & Scepticos, immo Atheos, ſolide refellit, ac eis munimenta eripit, quibus nituntur ipſi, qualiacunque. Voces philoſophicas, præcipue ontologicas, ex *Socratis*, *Platonis*, ac *Ariſtotelis*, voluminibus affert, hasque eis, quibus nunc utimur, adjungit. Libello præfixit *Elegon primum Libri primi Triſtium Ovidii*, paulo immutatum, fatorum indicem inclementiorum. In Præfatione hæc tria affert, quæ altiori videntur disquiſitione indigere, nempe 1) non omnes ſyllogiſtice argumentandi modos manife-
5. ſta gaudere vi illationis; 2) certitudinem de demonſtratæ propoſitionis veritate ſolum a rationibus realibus pendere, quarum indolem dialecticæ induant, ſed quæ a realibus non ſatis ſint diſtinctæ, multo minus determinatæ; ac 3) eos, qui ad demonſtrationes geometricas animum appellant primum, vim illationis, qua mens impellitur ad aſſenſum, non percipere, immo in ipſa Geometria deſiderari primas & univerſales, easque genuinas, definitiones. Addit hæc: *Nullum ſcientiæ exemplar ex primis*
6. *genuinis definitionibus, e principio & ordine naturali, literis eſt conſignatum, ſed ſemper ſunt miſta quadrata rotundis, & nexus haud raro eſt interruptus. Operæ itaque pretium eſt, perficere cognoſcendi demonſtrandique methodum, ut ea omni exceptione ſiat major, & ut ſcientiæ demum dignam induant formam, nec ullam patiantur eliſionem.* Conatus ſane præclarus! Nec inficiandum eſt, bona multa inculcari hoc libello. So-
34 ſeq. lida certe affertur Idealismi refutatio. Laudanda eſt *Socraticæ* Philoſophiæ ex *Platone* adducta, & ad Ontologiam *Wolſianam* accedens, harmonia. Patet enim hinc veritatis ſolidioris antiquitas. Id vero, non poſſumus, quin doleamus, quod paſſim deeſt ſcripturæ Autoris compages, ac inde enati fuerunt hiatus; quod ſtilus hinc inde ſcholaſtico ſitu ſqualet; & quod loca ſeſe offerunt, quæ male tornata debuiſſent prius ad incudem revocari.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio X.

THESAURUS NUMMORUM SUEO-GOTHICOrum, ſtudio indefeſſo ELIÆ BRENNERI quinquaginta annorum ſpatio collectus, ſecundum ſeriem temporum diſpoſitus, atque e tenebris jam commentatione in apricum prolatus. Acceſſit ejusdem Autoris Libellus de Nummophylaciis Sueciæ; de ſcriptoribus rei nummariæ Suethicæ; atque de Theſauris, ſeu variis vetuſtorum nummorum cumulis, paſſim per Sueoniam fortuito caſu repertis.

Holmiæ, typis Jo. Laur. Horrn, Reg. Antiq. Arch. Typogr. 1731, 4 maj.

Alph. 1 plag. 8, cum Tabb. æn. 64.

Operi tot annorum nomen Sereniſſimi Potentiſſimique Regis Suecorum *Friderici* quodam jure prælucet, ac ſplendorem elaborationis præſtantiſſimum ſplendore magnificentiſſimo amplificat augetque. Monumenta priſci & antiquioris ævi metallica Ops Sueo-Gothica, alma & perquam fœcunda mater, in dias luminis auras protulit. Numismata ætatis recentioris aſſervant officinæ ſummorum hinc inde civium & alumnorum Sueciæ. In ordinem ſingula redegit, ac expoſitionem addidit, maximum patriæ ſuæ ac Europæ univerſæ decus, *Elias*


Digitized by Google

Brennerus, Reg. Arch. Antiq. Aſſeſſor. Præfationem libro præmiſit gentis ejusdem ſidus late coruſcum, *Nicolaus Kederus*, Holmienſis, cui Autor, morti vicinus, Operis coronidem editionemque demandarat. Numi ſunt accuratiſſime pariter ac elegantiſſime partim ære, partim ligno, expreſſi. Bona pars eorum, qui ære fuerunt expreſſi, a manu *Brenneri*, apprime celandi perita, profecta eſt. Ordo in Tabulis raro fuit immutatus, a temporis deſumtus decurſu. Expoſitio autem ipſa ordinatior incedit. An vetuſtiſſimos quosque numos *Brennerus* Regibus attribuerit nunquam non ex vero, Editor definire non audet, monens tamen, *Brennerum* exſtitiſſe primum, qui rem numariam Sueciæ exponere fuerit aggreſſus, ac qui in tenebris non potuerit non micare. Hæc ad hiſtoriam libri externam. Expoſitionem numorum Autor exorſus fuit ab ineunte Seculo nono, nominatim a Rege *Olao Trættellia*, ſignificans in limine, numos Suecicos antiquiſſimorum temporum haud fere

TAB. II nisi minutiſſimos, eosque argenteos, reperiri. Numus primus,
Fig. 1. qui *Olaum* refert, eſt ex lamina tenui, & ab uno tantum latere
Pag. 1. ſignatus, exhibetque Runam, ſeu literam Gothicam, *Ur* dictam, (quæ elemento Latino U reſpondet,) inter tres coronas, quæ ſingulæ trinis exornatæ ſunt margaritis. Eſt autem litera hæc prima nominis *Olai*, quod *Ulf* ſive *Ulaf* veteres pronuntiabant. Nu-
TAB. II mus ſecundus tenuis quoque eſt, & caput Regis barbati præfert,
Fig. 2. rudi Minerva formatum, coronam gerentis ſimillimam præcedenti. Oculos duo effingunt puncta, totumque caput ambit circulus, ex margaritis compoſitus. Unde pateſcit, margaritarum uſum populis ſeptentrionalibus tunc fuiſſe quidem notum, at
Fig. 3. rariorem. Numus tertius ſiſtit vultum cum litera eadem Gothica a parte dextera, ſed præcedente informiorem, utpote cu-
Pag. 2. jus partes ſingulas, excepto naſo, globuli quidam conſtituunt. Numus ipſe bracteatus eſt, ſed prioribus paullo major, & ex
TAB. II puriori argento. Numus quartus refert Regem *Biornonem*, A.
Fig. 4. 818 circiter ſuis dominatum. Hic pariter ab una duntaxat parte ſignatus eſt, & Runam *Biark* (B) exhibet, regii nominis literam primam; a cujus dextero latere ſemicirculus, a ſiniſtro autem crux, conſpicitur, indicium, Autore judice, Chriſtianæ religionis,

Digitized by Google

TAB. II ad Supplement. Nov. Act. Erud. T. IV
Sect. X pag. 434. 435 et 438.



Digitized by Google

Digitized by Google

ligionis, tunc primum hic exortæ ac receptæ. Numus quin- TAB. II
tus itidem eſt bracteatus, literam B cum quatuor punctis ſeu Fig. 5.
globulis præferens. Numus ſextus ſignatus eſt, a parte adver- Fig. 6.
ſa in ipſa area, nomine BORNO, in averſa inſignitus cruce. Li-
tera O pro more iſtius ævi ceteris literis multo eſt minor. Nu-
mus ſeptimus habet vocem BORN in interſtitiis crucis in adver- Fig. 7.
ſa, crucem in averſa. Numus octavus eſt tenuis, & præfert Fig. 8.
literam B inter geminum globulum. Nonus in una parte ex- Fig. 9.
hibet literam B, cruci quater interpoſitam, in altera crucem. Pag. 3.
Decimus, undecimus, duodecimus, ac tertius & decimus ad eun- TAB. II
dem ſpectant Regem. Numus decimus quartus *Sivardum Fro* Fig. 10.
refert, tenuis eſt, & ſignatus litera Gothica, *ſun* dicta (S), inter ſtel- 11. 12.
lam crucemque media. Numus decimus quintus ex lamella pariter 13.
exili conſtat, præfertque monogramma, ſeu ſignum, e tribus prio- Fig. 14.
ribus Runis nominis EIRIKK conflatum. In tabula adjecta exhi- Fig. 15.
bentur numi hi decimus quintus antiquitate inſigniores. Ad-
didimus quoque numum decimum ſextum, qui eſt bracteatus; Fig. 16.
idemque habet ſignum & appoſitos inſuper inferius duos glo-
bulos. Nec minus appoſuimus decimum ſeptimum, bracteatum, Fig. 17.
qui nomen OLAFR compendio Runarum repræſentat. Hic *Olai* Pag. 4.
Skotkonung eſſe perhibetur. Ad quem præterea numus decimus TAB. II.
octavus ac nonus ſunt ex mente Autoris referendi. In proſtremo Fig. 18.
nomen AVLAFR compendioſe legitur. Exhibuimus hoſce denuo, 19.
ut Lectores definiant, an hi numi non ſint aliorſum interpretandi
vel trahendi. Qui ſequuntur numi, ab hoc *Olavo* profecti, majores
ſunt ac ſolidiores. Primus a parte adverſa habet caput Regis galea
opertum margaritifera, atque nomen OLVF literis Gothicis, in
averſa crucem literasque lectu difficiles. In ſecundo eminet
caput Regis ſceptro inſignis tricuſpidato cum epigraphe: *Oluf*
rex zdevor. In averſa apparet crux cum voce *crux* in interſti-
tiis atque epigraphe: ZNELLINC. M.Oneta. Z.Ihtunac. In
tertio eminet caput Regis ſceptrigeri, addita perigraphe:
VLVΛΛZ REX ZVENOnum. In averſa eminet crux, cui in-
ſerta vox *crux*, cum perigraphe: + IN NOMINE DNI. M. C.
id eſt, *Domini. Moneta Cuſa.* In quarto exſtat caput Regis cum
ſceptro ac perigraphe: OLAF REX AN ZITHN, id eſt, *in Si-*

 tun,

tun, ſeu *Sigtuna*. In averſa crux eminet cum perigraphe: + GOPNEMOATA—AN. Autor ſic legit: *Godwine moatu* (id
Pag. 5. eſt, moneta) *an*, id eſt, *in*, urbe Sihtun. In quinto emicat Regis caput cum ſceptro & adjecta perigraphe: OLVF REX ZDEVQ, id eſt, ut Autor exponit, *Oluf Rex Sweworum*. In averſa exſtat crux cum voce *crux* in interſtitiis & perigraphe: + GODPINE M. O. ZIHT—, id eſt, *Godwine moneta Sihtunæ*. In ſexto eminet caput Regis ſceptrigeri, cum perigraphe: + ONΓAF REX AN ZΤΠE, id eſt, *Olaus Rex in Sigtune*. In averſa præter crucem in medio apparet perigraphe: GOPNE MON—ATAZIT +. Autor ſic exponit: *Godwine monata* (pro *moneta*) *Sihtunenſis*. Septimus exhibet Regis caput galeatum, radiis margaritiferis ornatum, & perigraphen: + OΓEAE ON SIDEI, id eſt, *Olſuf on Sidei*, ſeu Suedorum. In averſa apparet crux ac perigraphe: + PREGR ON ZIT. Primum elementum per *Th* exponit Autor. Videtur ſubeſſe litera P, ut indicetur, numum eſſe cuſum *pregr* in Sigtunæ urbe. Numus octavus huc haud videtur referendus. Si quid conjectura licet aſſequi, numi perigraphe indicio eſt, *Offam*, Angliæ Regem, ſignificari, qui Oſtangliam tenuit, regnumque ſuum Pontificis Romani in fidem tradidit. Si ordine retrogrado literas legeris, quod crux, ſecus, & quidem bis, poſita, videtur ſuadere, tum lectio hæc inde eruitur: + OFFIIOSDSOEOE + id eſt, *Offu Osdſoeoe*. Et in averſa: + *uf de* + *fiode*. Laudavimus olim *Nicolai Kederi* librum, hic Lipſiæ A. 1706 editum, cui titulus: *Numi aliquot diverſi ex argento præſtantiſſimi*, unde *Brennerus* figuras majorum numorum *Olaviorum* depromſit. Nonus numus ſiſtit adverſus Regem *Anundum Jacobum*, ſceptrigerum, qui pectore tenus effictus eſt, & capite pileum altum atque acuminatum gerit. Inſcri-
6. ptio ibi hæc: ANVND REX SI*htunæ*. Averſus præfert crucem, in medio annulatam, cum ſingulis annulis in quatuor ipſius interſtitiis, adjectaque perigraphe: DORMOD ON SIHTUn. Decimus in adverſa exhibet tres coronas, in quarum medio conſpicua eſt litera A; in averſa leonem coronatum, quem ex transverſo præfluunt tria flumina, Gothiæ inſignia. Undecimus ac duodecimus eſt bracteatus, qui non niſi literam A majuſculam

Digitized by Google

ſculam repræſentat. Hæc ad *Tabulam ſecundam.* In *tertia* ex-
hibentur numi, ad *Philippum, Ragualdum Knaphöfde, Suercbe-* Pag. 7.
rum II, Ericum IX, ac *Canutum,* referendi. Leo Gothicus, tria
flumina tranſiliens, paſſim inibi apparet. Memoratu id videtur
dignum, numos duos haud ita ante multos annos, unum *Caroli* 8.
M., alterum *Ludovici Pii,* inter alios veteres numos Germanicos
prope Holmiam fuiſſe effoſſos. Nec minus hic addendum,
Suecos olim pro litera Latinorum C adhibuiſſe K, eo quod in- 10.
ter Runas ſuas invenere literam *Kaun*, quæ reſpondet literæ K,
at literam, literæ C reſpondentem, deſiderarant. Eam ob cau-
ſam obvia ſunt in numis nomina *Knut, Karolus,* &c. In *Tabula*
quarta exhibentur numi, ad *Suercherum III*, A. 1197 florentem, 11.
ad *Joannem I*, ad *Ericum Balbum*, ad *Valdemarum*, & *Birgerum*
Jerl, proregem, nec non ad *Magnum Ladulam*, & *Birgerum*
Magni, referendi. Cum non niſi nominis regii litera prima
in numis legatur, interdum inde exoritur aliquid incertæ ſuſpi-
cionis. In *Tabula quinta* recenſentur figuræ numorum, quos Au-
tor attribuit *Magno Erici Smek*, qui vixit circa A. 1319, porro
etiam *Erico Magni* & *Haquino* fratribus, *Alberto*, & *Margaretæ.*
Ericus Magni exſtitit primus, cujus numi accuratam referunt
perigraphen. En deſcriptum ejus numum: *In prima parte* 15.
clypeus exſtat cum Sueciæ inſignibus, tribus ſcilicet inſignibus, ho-
dierno more poſitis, atque inſcriptio: ERICVS. REX. SWECIE.
In altera exſtat A coronatum, inſigne urbis Aboæ, cum literis:
MONETA ABOENSIS. Denarius hic ſeu *Ortuga* admodum eſt
elegans. Ea ætate regnum Sueciæ diſpertitum fuit inter hunc
Ericum, ejusque patrem, Regem *Magnum Smek*, ita, ut pater
Sueciam ac Gothiam, filius vero Finnoniam atque Scaniam, cum
nonnullis aliis teneret terris. Quam diviſionem mater *Erici*
Blanca pertæſa, ipſum poculo venenato ſuſtulit. Hoc numo teſte,
ac ſuffragantibus Diplomatibus, *Ericus* plenum adhibuit titulum
regium. Aboa tunc erat ſecundum Holmiam urbs ſecunda, in
qua numi feriebantur. *Erico* occiſo, res *Magni* miſerum in mo-
dum proceſſere. Quare hic in cuſtodiam datus, ac alter filio-
rum, Rex Norwegiæ, *Haquinus*, ad ſolium capeſſendum arces- 16.
ſitus. Rariſſimus ſane eſt *Haquini* hujus numus, in Dalecarlia

Digitized by Google

inventus, & A. 1700 a Perilluſtri Barone *Nicolao Gripenhielmio*
ad Autorem doni loco miſſus. Repetere eum, ac huc tranſferre
denuo, nobis ex uſu publico viſum. In averſa apparet crux,
TAB. II quatuor inter roſas, decuſſatim poſitas, adjecta perigraphe:
Fig. 20. MONETA-EASLOIA. Significatur urbs *Easloja*, alias *Aslo*
Pag. 17. & *Opslo* vocata, nunc *Chriſtiania* in memoriam inſtauratoris
Chriſtiani IV dici ſolita, in qua numus hic fuit percuſſus.
Alberti denarii Stocholmenſes, qui ſuccedunt apud Au-
torem *Haquinianis*, pulchritudine & forma omnino ex-
cellunt. In *Margaretæ* Reginae numis aliquot conſpicua
eſt litera *o* vel potius *ö*, initialis oppidi *Oerebro*, quod antiqua
Nericiæ eſt urbs. Qui inverecundiores ſunt, partem muliebris
20. arvi hic putant depictam. Dani diphthongum *ö* delineant in
modum ⦶, quæ figura, in Sueciam tunc introducta, ſignum
eſt urbis *Orebro*. Urbs hæc figuram illam ſervat adhuc in pon-
deribus ac menſuris ſuis univerſis, ad morem urbium aliarum,
quæ primam nominis ſui literam ejusmodi rebus imprimere ſo-
21. lent. Quin & *O* majuſculum coronatum, initiale nominis *Olai*
ſancti, Norwegiæ Regis ac Patroni, in numis Norwegicis vide-
re licet, haud admodum diſſimile illi *O*, quo *Margareta* ſignan-
dam curavit monetam *Orebroenſem*. Illud vero punctum in me-
dio majuſculi *I* intra averſam numi illius, in cujus adverſa ap-
paret vultus *Margaretæ* rectus ac ſimul corona radiata, cujus
radiorum figura extrema ſimilis eſt figuræ liliorum, habet Au-
tor pro veſtigio punctuli, quod cælator reliquerit in prototypo
numi, ratus, illud in medio punctulum in numis vetuſtis paſ-
ſim ac ubique propemodum inveniri. Ut Lector ipſe judicium
TAB. II ſuum adhibere poſſit, utriusque numi typum hic denuo repe-
Fig. 21. titum adjunximus. *Ericus* certe *Olai*, Theologiæ Doctor &
22. Profeſſor, Eccleſiæque Upſalienſis Decanus, qui ſub *Carolo Ca-
nuti* vixit, in ſua *Sueorum Gothorumque hiſtoria*, Latine ſcri-
pta, & tandem per *Joannem Meſſenium* Holmiæ A. 1615 pri-
mum edita, hanc de *Margaretæ* numo ſiniſtram interpretatio-
nem primus, quantum conſtat, evulgavit. Ipſe *pag. 277* ſic
habet: *In perpetuum ludibrium & opprobrium regni mo-
netam quandam inſtituit* Margareta, *turpitudinis ſexus*
ſui

Digitized by Google

ſui inſignia præferentem. *Tabula ſexta* denarios Stocholmenſes & Aboenſes *Erici*, Pomerani, qui Sueciæ, Daniæ, ac Norvegiæ dominatus fuit, repræſentat, nec non ejusdem denarios exhibet Aroſienſes ac Lundenſes. Autor Regis hujus numos ſingulos primus in lucem produxit. De numis Lundenſibus hæc, Lector, habe. *Ericus*, ſumtuoſa in terram ſanctam peregrinatione perfunctus, ac in patriam redux, ſuis civibus numos cupreos loco argenteorum obtruſerat, more adhuc inſolito, eamque ob cauſam male apud ſuos cœperat audire; Regina vero, *Philippa*, *Henrici IV*, Angliæ Regis, filia, inſcio conjuge, numum curavit cudendum, argenteum, ignominiam illam temperatura. Utriusque generis numum unum Ampliſſimus dedit Autor. Quæ ab ipſo in moneta, *n. 8* allata, ejusque averſa, legi haud potuerunt, hunc fundunt ſenſum: MONETA wesTR!Oroſienſis. Inventus autem fuit ille numus prope arcem vetuſtam *Axvald*, olim Gothicorum Regum ſedem. In monaſterio illo varia adhuc cernuntur venerandæ vetuſtatis monumenta, & in hís cippi Regum, *Ingonis II*, *Canuti*, *S. Erici*, filii, *Erici X*, ejusque conjugis, *Erici XI*, nec non aliarum illuſtrium perſonarum, quas inter *Bero Naef* eminet, cujus nomini hoc additur elogium: *Fidelis Miniſter Birgeri Ducis Sueciæ & Pædagogus Domini Magni* (Ladulas) *Regis*. Numos, de quibus parvula attigimus, excipit *Tabula VII*, quæ exhibet numos *Chriſtophori*, *Caroli*, quem *Canuti* appellant, *Chriſtierni I*, ac *Stenonis Sture*, ſenioris, ad annum usque 1470. Denarios *Chriſtophori* ea exhibet duos Stocholmenſes, unum Aboenſem. In altero emicat *punctum in medio*, nec non in numo primo ac tertio, qui ad *Carolum Canuti* fuit relatus, quin & in primo atque tertio *Chriſtierni*. Commemorabiles ſunt numi, qui, durante interregno, *Carolum VIII* inter ac *Chriſtiernum I*, fuere percuſſi. Horum quatuor fuerunt hic allati. In primi adverſa eminet E, initialis litera S. *Erici*, cum cruce magna, addita perigraphe: SANTVS ERICVS. In averſa exſtat clypeus cum tribus coronis, cruci ſimili appoſitus, verbis adjunctis: MONETA STOCHOL. In ſecundi adverſa eminet E cum cruce minori, ac ſtellulis in medio duabus. Inſcriptio fuit ei adjecta: SA. ERICVS. REX. SV. Averſæ figura reſpon-

Pag. 26. 28. 29. 34.

reſpondet priori. Centum annis ab obitu *Erici* elapſis, ipſe albo
Sanctorum adſcriptus, ac Stocholmiæ, tunc exſtructæ, patronus
fuit adjunctus. Ex eo tempore caput S. *Erici* in inſignia ur-
Pag. 35. bis novæ, in Diplomata, ac numos, fuit adſcitum. *Tabulæ Bren-*
neri nona ac *decima* exhibent numos *Chriſtierni I*, quem A.
1457 floruiſſe accepimus, numos *Stenonis Sture*, ſenioris, cui
& denarii & ſemidenarii (*Halfwa Oertugar*) attribuuntur, porro
Joannis II, *Suantonis Sture*, *Stenonis Sture*, junioris, *Chriſtier-*
*ni*que *II*. Miramur, numos aliquot aureos *Joannis II* nondum
fuiſſe inventos, cum tamen A. 1497 Rex præceperit mone-
tæ præfecto, ut aureum quoque ibi curaret numum cuden-
41. dum, qui pretio æquaret aureum Rhenanum vel quatuor argen-
teas marcas cum dimidia monetæ Stocholmenſis. *Steno Sture*
uterque, & ſenior & junior, fuit regni gubernator, non Rex,
quare, ad invidiam declinandam, uterque adhibuit in adverſa
numorum perigraphen: SCS. ERICVS. REX. Nequaquam ve-
42. ro unus eorum ab altero deſcendit; quæ etiam eſt cauſa, cur
inſignia eorum gentilitia differant. *Steno Sture* ſenior uſus fuit
loco inſignium tribus foliis Nymphææ tæniatis coloris nigri in
campo aurato; *Suanto* autem *Sture* ſcuto uſus fuit, transverſe
in partes æquales ſecto, quarum ſuperior eſt aurata, inferior
cancellata & cœrulei coloris. Ab hoc *Suantore Sture* deſcendit
familia, vulgo *Natt-och-Dag* appellata. Quod ipſum inſigne in
numis *Suantoris Sture* inter perigraphen ac meditullium inter-
poſitum fuit. *Chriſtierni II* exſtant numi plane nulli, in Suecia
cuſi. Ipſe enim, regnum breve a tyrannide auſpicatus, regno
45. ſtatim fuit exturbatus. Illi, quos Dania oſtendit, ſunt e viliori
metallo. In numo *Stenonis Sture*, junioris, legitur tandem adje-
cti anni 1512 nota. Ante hunc annum veſtigium chronolo-
48. gicum exſtat in numis Suecicis nullum. *Tabula XI* exhibet nu-
mos Pſeudo-*Sturii* duos. Primus præfert adverſus literam pri-
mam vocis *Nicolaus*, coronatam, inter duas minutulas cruces, to-
tidemque annellos, nec non perigraphen: *Nicolaus Sture*. Aver-
ſus ſcutum habet, tribus inſignitum coronis, addita perigraphe:
M M IN VALDIBVS, quam Autor ſic legit: Moneta Moren-
ſis IN VALDIBVS pro in VALLIBVS i. e. *i Dolerne*. Conſtat
enim

Digitized by Google

enim vulgo, *Pſeudo-Sturium* apud Morenſes in Dalecarlia plurimum fuiſſe commoratum, eosque primos ipſi jusjurandum fidelitatis præſtitiſſe. *Guſtavus I* fuit is, qui rem monetariam Pag. 49.
omnium maxime inſtauravit, ac thaleros, ſemithaleros, ac alia numorum genera, in communem commercii uſum invexit. Memorabilis eſt numus ejus minor quadratus, in cujus averſa duæ ſagittæ, decuſſatim poſitæ, apparent, inſigne *Dalecarlorum*. Non vacat ſpecimen inſignium *Guſtavi* numorum huc proferre, quorum pretium reſpondet modulo vel Germanico, vel Suecico. Oculos paſcunt copioſiſſimi, ac maximam par- 66.
tem ingenioſiſſimum laborem ſpirantes, numi, qui *Guſtavum Adolphum*, heroem omnis ætatis inclytiſſimum, referunt. *Chriſtinam*, quam nobilitarunt & literæ & Veneres, æternam eſſe 84.
juſſerunt numi exquiſiti, ad morem aurei Romanorum ſeculi omnino facti. *Guſtavus Adolphus Magnus* primus, novo adhuc exemplo, cupreos induxit in uſum numos, quorum pretium ad- 144.
æquavit metallo. Honorarii ejus, ſeu ſymbolici, numi maximam partem extra Sueciam in oris peregrinis, ac cummaxime in Germania, ſunt formati. Rex ipſe in numo inaugurali adhibuit caryophyllon floreſcens, corona radiata cinctum, & ſole ſereno illuſtratum, non ſine præſagio ſingulari. In numo ejus Auguſtano, ad A. 1630 cuſo, caput laurea cinctum eminet. Numiſma, quo prælium Lipſienſe A. 1631 fuit nobilitatum, ſpirat fiduciam ſingularem. In adverſa leguntur hæc: *Deo ter Opt.* 171.
Max. gloria & laus, qui Guſtavo Adolpho, Gothorum Wandalorumque Regi contra Cæſareanum ac Liguſticum exercitum victoriam tribuit ad Lipſiam die VII anno 1731, cum perigraphe: *Dies. Purim. Evangelicor.* A. MDXXXII. VII. SEPT. *Erfurti celebrati.* In averſa tetragrammaton effulget lumine radiato, verbis ſubſcriptis: *Dextera tua, Domine, percuſſit inimicum.* Perigraphe ſic habet: *A Domino miſſus vivat Guſtavus Adolphus.* Omittimus in præſens reliqua, id unum addentes, Opus hoc in feras ætates victurum eſſe, dignum quippe omnis poſteritatis plauſu, & ad amplificandam Suecorum gloriam, augendamque ac conſervandam nominis *Brenneriani* famam, quam maxime comparatum. Numophylacia autem Sueciæ præ-

Digitized by Google

Pag. 249. ſtantiora hæc numerantur. Regium principatu fulget, opera *Guſtavi Adolphi I* inprimis amplificatum. Nec minus ſua ſeſe commendant laude Numophylacia *Jacobi Cronſtedt*, *Erici Utterhielm*, æque Cubicularii regii, *Martini Nymani*, *Martini Tærnhielmi*, *Joannis Schefferi*, olim Profeſſoris Upſalienſis, *Nicolai Kederi*, qui Regii Collegii Antiquitatum eſt Aſſeſſor, *Erici Benzelii*, junioris, *Matthiæ Edenbergi*, *Olai Bromelii*, Med. Doctoris, Phyſici Gothenburgani, *Arvidi Karlſteen*, cælatoris numiſmatum regii æque ac *Reimundi Faltzi*, *Caroli Ludovici von Schantz*, *Petri*
260. *Baillet*, civis Nycopienſis, *Viti Engelhardi Schrœderi*, aurifabri Holmienſis, ac *Eliæ Brenneri*, cujus pariter ac uxoris vultus in numiſmatibus perennant. Huic recenſioni Autor brevem ſubtexuit catalogum, eorum nomina perpauca referens, qui rem Suecorum numiſmaticam ſcriptis illuſtrarunt.

DE EPISCOPO TITULARI, SEU IN PARTIbus infidelium, Tractatus Canonico-Theologicus, Autore ANDREA HIERONYMO ANDREUCCI, e Societate Jeſu.

Romæ, ex typographia Antonii de Rubeis, 1732, 4.
Alph. 1.

Cum præter *Hieronymum Wielmium* ex Ordine Prædicatorum de Epiſcopis titularibus, ſeu in partibus infidelium, nemo ex inſtituto commentatus ſit; Rev. *Andreas Hieronymus Andreucci*, Archiepiſcopi Theodoſiæ dignitatem *Malachiæ de Inguimbert*, ex Ordine Ciſtercienſi, recens collatam, gratulaturus, operæ pretium eſſe duxit, ſingulari Commentatione hoc argumentum perſequi. *Quinque* autem *Libris* eandem abſolvit. *Primo* de origine Epiſcopatus titularis diſputat, & generales tradit obſervationes; *ſecundo* in poteſtatem Epiſcopi titularis, & ratione ordinis, & ratione jurisdictionis, inquirit; *tertio* de *præeminentialibus* ejusdem ratione dignitatis verba facit; *quarto* de *obligationibus* titularis Epiſcopi diſſerit; *quinto* autem privilegia ejusdem recenſet. Ut ſpeciminis loco quædam referantur, annotamus, Rev. Autorem e Seculi XIII, quo Orientales regiones magna

ex

Digitized by Google

ex parte in infidelium venerunt poteſtatem, hiſtoria titularium Epiſcoporum originem repetere. Suam enim facit *Danielis Papebrochii* ſententiam, qui *Tomo tertio Hiſtoriæ chronologicæ Patriarcharum Hieroſolymitanorum*, *A tempore*, inquit, *amiſſi Orientis Apoſtolica ſedes jus, quod ſemel aſſumſerat, providendi Eccleſiis, ibidem conſtitutis, tam Patriarchalibus, quam Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus, perrexit uſurpare, &, ſicubi vel Chorepiſcopo opus erat, vel Epiſcopo Apoſtolico ad infidelium converſionem ordinando, eidem conferre titulum alicujus Eccleſiæ, in partibus infidelium conſtitutæ, donec hi ſibi ipſis ſedem certam conſtituerent in iis, ad quas mittuntur, nationibus.* Triplicis autem generis Epiſcopos titulares eſſe, obſervat. Alii nempe ab initio fuerunt promoti ad Eccleſiam in partibus infidelium, carentem Clero & populo Chriſtiano, & de qua nulla eſt proxima ſpes eam recuperandi, nec ullo modo recuperatio tentatur. Alii Epiſcopi ſunt diœceſeos in partibus infidelium, carentis quidem Clero & populo Chriſtiano, ſed de qua ſpes eſt recuperationis, eaque recuperatio ſive per arma, ſive per ſacram aliquam expeditionem, intenditur. Alii denique Epiſcopi titulares diœceſi ſunt præfecti, de qua ſpes eſt aliqua, fore, ut olim Chriſtiana evadat, licet nondum aliquis de converſione ejus ex inſtituto ſit ſollicitus. De prima tantum ſpecie Epiſcoporum titularium Rev. Autor in Commentario, quem præ manibus habemus, diſſerit. Cum autem omnes Epiſcopi titulares, quocunque etiam ſenſu hæc vox ſumatur, in multis conveniant, & ad reliquos titulares Epiſcopos Autoris noſtri diſputationem ſpectare intelligitur. Quæ inter illos intercedit differentia, præcipue hæc eſt, quod ſecundi & tertii generis Epiſcopos titulares magis oporteat eſſe de converſione infidelium ſollicitos, quam primi generis; & quod primi generis Epiſcopi titulares ab unius Romani Epiſcopi arbitrio pendeant, & eligantur, cum ſecundi & tertii generis Epiſcopi titulares non ſine conſenſu Regum Chriſtianorum, quorum imperio regio illa ſubeſt, in qua Epiſcopus tutelaris conſtituendus eſt, eligi atque ordinari poſſint. Cum præcipua, quam ex Epiſcopis titularibus Eccleſia Romana ſibi promittit, utilitas in eo conſiſtat, ut eorum

Pag. 8.

2.

 opera

Digitized by Google

Pag. 43. opera Eccleſiæ hujus doctrina latius propagetur; Autor noſter
quæſtionem illam movet: an committatur ſimonia, ſi Pontifex
conferat *alicui minus apto* Epiſcopatum titularem, adjecto one-
re, ut ille certam *aliquam numorum ſummam* in pios uſus, v.
g. in miſſiones ad convertendos infideles, erogaret. Tuetur Au-
tor noſter, nullo modo in tali caſu committi ſimoniam, quia illa
numorum ſumma non exigatur tanquam pretium promotionis
ad Epiſcopatum, ſed tanquam conditio juſtificans talem pro-
motionem, ut, qui v. g. non erat ſatis idoneus ad receptionem
talis Epiſcopatus, evadat per tale opus pietatis, ſeu per talem
erogationem eleemoſynæ, idoneus, & dignus, qui promovea-
tur. Diverſi generis alias quæſtiones de his ipſis Epiſcopis ti-
tularibus Rev. Autor hoc libro proponit, quas ex Jure Canonico
4. dijudicat. Ita v. g. quærit, an Epiſcopi titulares ſint vere ac
5. proprie Epiſcopi; an ineant matrimonium ſpirituale cum ſua
11. eccleſia; an poſſint ad aliam Eccleſiam eligi, vel an debeant
poſtulari; an ſubſint Epiſcopo diœceſano; an per obtentionem
Epiſcopatus titularis vacent beneficia prius obtenta; an gravi-
70. 78. ter peccet, & quam pœnam incurrat, conſecrans templa, &c. ſine
85. diœceſani licentia; an habeant jurisdictionem? an poſſint appro-
106. bare reliquias Sancti Canonizati; an poſſint deputari judices in
cauſis Canonizationum, quoad Inquiſitiones; & quæ ſunt ſimi-
les quæſtiones. Ad quas quidem omnes nullo negotio reſpon-
detur, modo quis meminerit, Epiſcopum titularem legitime
ordinatum eſſe Epiſcopum, eum autem diœceſi eſſe deſtitutum,
in qua ſint Chriſtianus Clerus & populus, ejus jurisdictioni ec-
cleſiaſticæ parentes. Omnia enim, quæ reliquis Epiſcopis Cano-
nico Jure conceſſa ſunt, privilegia, eadem & titularibus ſunt
tribuenda. Legitime enim ad Epiſcopatum ſunt ordinati. At
enim vero, cum in eorum diœceſi neque populus ſit Chriſtia-
nus, neque Clerus, jura in ordinatione ſibi tributa pleraque
exercere nequeunt, neque quoad omnia munere ſibi deman-
dato fungi, neque omnibus privilegiis ſibi conceſſis frui. Al-
terius autem Epiſcopi conceſſu illis licet in alia diœceſi, quæ
ſunt Epiſcopi, munia implere. Ex hac generali obſervatione
cum de iis, quæ Autor noſter Commentario ſuo pertractat,
judicium

Digitized by Google

judicium ferri poſſit; nolumus præter neceſſitatem plura recenſendo Lectoribus noſtris eſſe moleſti. Illud tantum addimus, Rev. Autorem ſub finem Tractatus ſui brevem annectere notitiam aliquorum Epiſcoporum titularium, qui a Seculo XIII ſanctitate, doctrina, rebusque præclare actis, floruerunt. Paucos autem tantum enumerat. E Seculo XIV *Bartholomæum* Bo- Pag. 169.
nonienſem, ex Ordine Prædicatorum, nominat, qui Archiepiſcopus fuit Armeniæ; e Seculo XV Archiepiſcopum Nazarenum com- 171.
memorat, Fr. *Auguſtinum de Favoronibus*, Romanum, qui A. 1431 ex Priore Generali Eremitarum ad ejusmodi Archiepiſcopatum evectus eſt, ac ſimul renuntiatus Ceſenatenſis Epiſcopatus Commendatarius; e Seculo XVI meminit *Andreæ Oviedo-* 173.
nis, Hiſpani, e Soc. Jeſu, qui Epiſcopus fuit Hierapolitanus, deinde Æthiopicum Patriarchatum obtinuit. Tanto cum applauſu Æthiopes Chriſtianam docuit religionem, ut poſt ejus obitum Æthiopes catholici, ab eo converſi, obitus ejus diem quotannis ſacrum feſtumque habuerint, domumque, quam vivus incoluit, in Sacrarium converterint. Eodem Seculo ob inſignem doctrinam & pietatem celebrem fuiſſe dicit Epiſcopum Argoſicenſem, Fr. *Hieronymum Wielmum*, ex Ordine Prædicatorum, qui de Epiſcopo titulari librum edidit, & ſuo nomine Concilio Tridentino interfuit. De reliquis enim Epiſcopis titularibus, qui in Concilio Tridentino præſentes fuere, annotat, hos non ſuo, ſed alterius cujusdam Epiſcopi, nomine adfuiſſe. E Seculo XVII Fr. 175.
Bonaventuræ Teuli, Ordinis Minorum Conventualium, mentionem facit, qui Archiepiſcopus Myrenſis fuit, & multis ſcriptis, quæ Autor noſter recenſet, famam conſecutus eſt. Inter Epiſco- 176.
pos titulares, qui Seculo XVIII reliquos eruditione antecellunt, Archiepiſcopum Theodoſienſem, *Malachiam de Inguimbert*, refert, in cujus gratiam Rev. Autor ſuum *de titulari Epiſcopo* Commentarium ſcripſiſſe videtur.

DE CANONIBUS, VULGO APOSTOLICIS, AD editas jam Vendicias Sanctorum Cypriani ac Firmiliani & de Papæ judicio comparate ad Concilium, pro vendicando S. Auguſtino a tergiverſationibus nuperrimi De-

 ſenſoris

Digitized by Google

ſenſoris Declarationis Gallicanæ, Diſſertatio, duabus Epiſtolis comprehenſa, altera critica R. P. CONSTANTINI ROTIGNI, Monachi Caſſinenſis, in Ravennati Monaſterio S. Vitalis Sac. Canonum Interpretis, altera Apologetica R.P. RAYMUNDI MISSORII, Minoritæ, pro Sereniſſima Venetorum Republica Reviſoris publici.

Venetiis, apud Franciſcum Pitterium, 1734, 4.

Plag. 12.

Rev. *Miſſorius* in editis a ſe S. S. *Cypriani* ac *Firmiliani* Vindiciis id præcipue agit, ut oſtendat, Donatiſtas ad *Cypriani* ac *Firmiliani* conſenſum perperam provocaſſe, declaraturos, quosvis ſine diſcrimine hæreticos, ad eccleſiam veram ſe conferentes, eſſe rebaptizandos, & baptiſmi efficaciam a pietate atque intentione miniſtri baptizantis pendere. Neque enim ſolum eam in rem Epiſtolas, quæ hactenus S. S. *Firmiliano* & *Cypriano* tributæ ſunt, ſuppoſitas eſſe contendit, verum etiam de Canonibus Apoſtolicis XLV & XLVI, quibus generatim hæreticorum exploditur baptiſmus, tuetur, quod a Donatiſtis ſint elaborati. Non negat Cl. *Rotignus*, rem ita ſe habere, objectiones tamen aliquot cum *Miſſorio* communicat, rogatque, ut *Miſſorius* ad eas reſpondeat, quo S. S. *Firmiliani* ac *Cypriani* famæ magis
Pag. 5. conſulatur. De Canonibus Apoſtolicis *Rotignus* ſtatuit, ſub finem Seculi III, vel ſub initium Seculi IV, collectionem eorum eſſe adornatam, quibus forma nobis exhibeatur partim diſciplinæ, quæ per univerſam Eccleſiam per ea tempora vigebat, partim illius, quæ in aliquibus tantum provinciis locum habuit aliquan-
7. do. Quæ cum ita ſint, non intelligi, qua ratione, ſi duo illi Canones a Donatiſtis initium habuerint, in collectionem Canonum Apoſtolicorum, qua catholici ante tempora Donatiſtarum uſi ſint, irrepere potuerint. Neque enim putandum, tantum valuiſſe Donatiſtarum vafritiam, ut pro antiquis obtruſerint, immiſerintque in priorem collectionem duos illos Canones, qui
8. diſciplinam doctrinamque inducerent contrariam ei, quæ per omnes

omnes Orientis regiones ſemper obtinuiſſet, & hoc præſtiterint
nemine Græcorum fraudem detegente, nemine reclamante.
Nullo etiam uſui Donatiſtis fuiſſe, hoſce Canones ſupponere,
cum nunquam poſt Carthaginenſem Collationem eos Canones
in ſui defenſionem attulerint. Quibus *Rotigni* objectionibus
Miſſorius ſatisfacturus, reſpondet, tam curate Canone XLV Pag. 25
& XLVI Apoſtolico Donatiſtarum de baptiſmi efficacia a ba-
ptizantis pietate derivanda ſententiam exprimi, ut vix credi
poſſit, ab alio, quam a Donatiſta, hoſce Canones eſſe con-
ditos. Illud quidem *Miſſorii* judicio difficile eſt intellectu,
quo pacto *Dionyſius Exiguus,* qui omnium princeps Cano-
num ſeriem adornavit, atque propoſuit, Canones pro rebaptiſ-
mo inter Apoſtolicos recenſuerit poſt compertam atque ex-
preſſam Arelatenſis Concilii damnationem. At enim vero
hanc difficultatem ceſſare exiſtimat, modo annotemus, *Dio-*
nyſii Exigui inſtitutum non fuiſſe, ſingulorum Canonum au-
toritatem ſub examen vocare, ſed eum tantum Canones recen-
ſere, qui Apoſtolici dicebantur. Idem enim de *Dionyſio* cen- 34.
ſendum, quod de *Pinio, Labbæo, Harduino,* aliisque, compertum
habemus, qui numero multos Canones ſuis collectionibus inter-
ſeruerunt, quos ipſi pro genuinis non habent. Secundam *Ro-*
tigni dubitandi rationem *pag. 39* ex momento ſuo ponderat.
Tuetur enim, a Donatiſtarum indole alienum non fuiſſe, Cano-
nes XLV & XLVI ſupponere, quo cauſam ſuam melius contra
orthodoxos poſſint defendere. *Sed,* inquit, *hominibus perti-* 39.
naciſſimis (*quantum conjectura aſſequi licet,*) *certum fuit omnia*
experiri, antequam ſeſe dediderunt. Primo antiqua monumenta
depravant. Tum Cypriani *Epiſtolas, & Concilia confingunt. Poſt*
Firmiliani *literas. Deinde Concilium Sinoeſſanum. Poſtremo,*
cum tot tantaque confugia undique a Catholicis, hæc oppugna-
tu, illa contemtu, conſpiciunt, ſolamque Apoſtolorum traditionem
perpetuo ſibi objici animadvertunt, quod ſummum erat, moliun-
tur, Canonibusque Apoſtolicis, quorum id temporis non ultima erat
apud fideles autoritas, duos Canones commenti ſuam hæreſin intru-
dunt. De tertio *Rotigni* argumento *Miſſorius* tenet, non valere
con- 40.

Digitized by Google

conſequentiam: Donatiſtæ non in rem ſuam verterunt Canones XLV & XLVI Apoſtolicos, neque, ut errores ſuos defenderent, ad eos provocarunt. Sinoeſſanæ enim Synodi confictionem jam ſumma eruditorum conſenſione Donatiſtis tribui, tametſi nusquam & a nemine indicetur, Donatiſtas Synodum illam in rem ſuam adduxiſſe.

Jam ad alteram, quæ in Diſſertatione, quam præ manibus habemus, de Papæ judicio comparate ad Concilium inſtituitur, diſputationem accedimus. Videlicet *Autor defenſionis Declarationis Gallicanæ*, duobus abhinc annis editæ, quem *Boſſuetum* eſſe conjiciunt, verbis *Auguſtini*, quibus de *Cypriano* agitur, probare conatus eſt, de *Cypriani* & de *Auguſtini* ſententia a judicio Papæ ad Concilium œcumenicum utique provocationi locum
Pag. 44. eſſe. *Quid quod*, inquit *Boſſuetus*, *Auguſtinus aperte excuſandum putavit Cyprianum, qui erraſſet, antequam obſcura quæſtio*, tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii autoritatem roburque perducta eſt? *Ergo exiſtimabat, ad captivandum intellectum, Stephani Papæ decretum atque autoritatem non ſuffeciſſe ſolum. Quin ipſe Auguſtinus, veræ de hæreticorum baptiſmo doctrinæ aſſertor egregius, quod ad autoritatem Pontificii decreti attinet, Cypriani ſententiam aperte ſequitur:* Neque nos, *inquit*, tale aliquid auderemus aſſerere, quale *Stephanus* juſſit, niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima autoritate firmati: cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata per plenarium Concilium ſolidaretur. *Cui autoritati Cyprianus ex certiſſima fide ceſſurus fuiſſet, cui Auguſtinus ipſe in re obſcura cederet, verba demonſtrant, nempe* Eccleſiæ catholicæ concordiſſimæ autoritate, Concilio plenario *ex orbe Chriſtiano, ut ſemper inculcat: vel, ut idem loquitur*, ſancto Concilio cunctarum gentium, *ad id provocat poſt ipſum Pontificale decretum, in eoque acquieſcit.* Intelligit Cl. *Rotignus*, verba *Auguſtini*, ab Autore Defenſionis Declarationis Gallicanæ prolata, Pontificis Romani ſummæ autoritati non admodum favere. In Epiſtola igitur, ad *Miſſorium* data, *optime ſane*, inquit, *& laudabiliter facis, quod, poſtquam Cyprianum purgaſti ab ea, qua per injuriam Donatiſtarum adſperſus fuerat, macula,*

macula, illum præterea aſſertorem præcipuum oſtendere velis ejus autoritatis, quam nos Romanis Pontificibus vindicamus.* Petitis *Rotigni Miſſorius* concedit, atque propugnat, ex *Auguſtini* verbis nihil contra Papæ Romani ſummam autoritatem poſſe concludi. Hypothetice enim *Auguſtinum l. c.* loqui, de eo, quod forſitan eveniſſet, ſi *Cypriani* ætate Concilii œcumenici judicio controverſia de baptiſmo hæreticorum fuiſſet finita. Rectius igitur, ubi de *Auguſtini* de Papæ Romani autoritate ſententia eſt judicium ferendum, provocari ad loca, quibus de hac materia abſolutum ſuum ſyſtema proferat. Illa autem Pontificiæ autoritati favere. *Verum,* inquit, *cum ad abſolutum ſyſtema ſeſe* Auguſtinus *convertit, audi, quam libere, quam dilucide, ſeſe exſerat Epiſt. XLIII ad Eleuſ.* Dedit *Conſtantinus* aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, *non quia jam neceſſe erat,* ſed eorum perverſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. *Audin tu illum? Non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens; ergo Arelatenſis Concilii judicium non neceſſitatis fuit, ſed conniventiæ, non ad ultimam ferendam ſententiam, ſed ad pleniorem; quippe ultima ſententia prolata fuerat per* Melchiadem *in Concilio Romano, quam illuſtri præconio* Auguſtinus *exornat* Cap. 5 *ejusdem Epiſtolæ.* Ad hanc ſententiam communiendam Rev. *Miſſorius pag. 17* ad *Auguſtini* verba provocat, quæ in Sermone *de Verbis Apoſtol. Cap. 10* exſtant: *Jam enim de hoc cauſa duo Concilia* (alterum Carthaginienſe, Milevitanum alterum,) *Romam miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam; inde etiam reſcripta venerunt; cauſa finita eſt.* Denique ad verba *Chriſti* confugit: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam.* E quibus, more Pontificio, effici cogique poſſe putat, unicum Romanum Epiſcopum infallibilem eſſe & falli neſcium, reliquos autem Epiſcopos omnes de controverſia quadam fidei ſine prolapſionis periculo judicium ferre non poſſe. Sed opus eſſe non judicamus, quæ hanc in rem Rev. *Miſſorius* profert, copioſe recenſere. Dudum enim ſunt a Theologis noſtris ſolide refutata. Illud tantum addimus, loca *Auguſtini,* quæ Autori *Defenſ. Declar. Gallicæ* oppoſuit, ad rem plane non

Pag. 89.

Digitized by Google

facere. Non ſequitur enim: judicio Romani Pontificis controverſia quædam finita eſt, neque neceſſe eſt, ut de omni controverſia in Concilio œcumenico diſputetur; igitur nunquam a judicio Epiſcopi Romani ad ſuperius aliquod provocandum. Quodſi unius Romani Pontificis judicio omnes controverſiæ poſſent finiri; nulla eſſet Conciliorum omnium, ſive provincialium, ſive nationalium, ſive œcumenicorum, utilitas. Quis enim negarit, & faciliori negotio, & minori ſumtu, Epiſcopum Romanum de controverſia quadam poſſe ſententiam dicere, quam multorum Eccleſiæ doctorum ſolertia controverſiam quandam in Concilio dijudicari?

HERCULIS FRANCISCI DANDINI, COMITIS & JCti Cæſenatis, de ea diſtribuentis juſtitiæ parte, quæ in præmiis largiendis verſatur, Commentariolus, ad interpretationem legis 14 §. De honoribus & §. Gerendorum D. de Muneribus & honoribus.

Patavii, typis Jo. Baptiſtæ Conzatti, 1734, maj.
Plag. 6½.

Pervulgata eſt dudum penes Juris doctores naturalis *juſtitiæ* in *diſtributivam* & *commutativam* diviſio, defenſaque ab aliis, ab aliis ſummopere fuit impugnata. Non eſt hujus loci, noſtram pluribus exponere ſententiam. Facili enim eſſemus demonſtraturi negotio, eam penitus eſſe inadæquatam, variis laborare difficultatibus, exiguum tandem præſtare uſum. Legat interim Lector, quæ *Pufendorfius de J. N. & G. Lib. III Cap. 7*, & *de Offic. hom. & civ. Lib. I Cap. 2*, diſputat. Commemoranda potius in præſenti Diſſertatio, qua haud ita pridem hujus patrocinium cauſæ recepit alibi jam a nobis laudatus Cæſenatium JCtus, *Hercules Franciſcus Dandinus.* Principio Operis, juſtum ſervaturus ordinem, monet, contractus, donationes, hæreditates, *juſtitia* regi *commutativa;* præmiorum vero pœnarumque curas *diſtributiva* gubernari; illam arithmeticæ, hanc geometricæ, rationem habere proportionis. Hinc in *Grotium* verſus, cui vulgaris de proportionibus

bus doctrina bilem concitaverat, motas ab Illuſtri Viro objectiones graviſſimas *de J. B. & P. Lib. I Cap. 1 n. 8*, paulo examinat uberius. Putat enim *Grotius*, nihil eſſe ineptius, quam quod diſtribuenti juſtitiæ proportio unice tribuatur geometrica, *nec incommoda ratione movetur.* Contractum ſocietatis monſtrat geometrica proportione perfici, pluſque eum lucri obtinere, qui laboris & pecuniæ majorem ſummam contulit, nihilo tamen ſecius hoc pactum ad commutantis ſpecies referri juſtitiæ. Contra in diſtribuente juſtitia ſæpius arithmeticam ſimpliciter proportionem obtinere, ſi in ambiendis honoribus unus tantum obeundo aptus ſit muneri, indubitatum eſſe exiſtimat. His uti adæquate reſponderet, dedit Conſ. *Dandinus* operam, &, niſi nos fallunt omnia, ex aſſe implevit negotium. Dubia enim *Grotiana* negat quidquam efficere amplius, quam ut 1) in contractu ſocietatis non commutanti juſtitiæ ſolum, ſed etiam diſtribuenti, ſit locus, 2) ut in munere aut honore deferendo, ſi unus tantum idoneus ad illud gerendum deprehendatur, comparata nequaquam proportione opus ſit, ſed ſimplici & arithmetica utendum. His præmiſſis, ipſum aggreditur opus, & *diſtributivæ juſtitiæ* tam *neceſſitatem*, quam *partes*, qua fieri poterat, exponit accuratione. *Neceſſitatem* illius tam eſſe abſolutam in republica tuetur, ut, qui bene meritus debitos non ferat honores, eandem habeat conquerendi, ac is, cui pactum non ſervatur, rationem juſtiſſimam. Ipſas recenſiturus *partes*, recte *virtutes* tam *externas*, quam *internas*, ſpectari defendit. In illis primo collocat loco *ætatem*, cujus ita rationem haberi vult, ut militaria juveni munia, civitatum curæ ſenibus, mandentur, in illis maturitas, in his præclara merita, ubivis æſtimentur. Læta recolit mente hiſtorias, quæ, ætatem ſemper obſervaſſe gentes politiores, teſtantur; de gente Deo amica id jam probaſſe *Seldenum* memorat. De Athenienſibus *Demoſthenem* adducit; de Laconibus laudat *Plutarchum*; de Romanis ipſas citat leges agrarias, quas *L. Villius*, Tribunus Plebis, A. U. C. 574 tulit. Tandem axioma Canonici Juris ſubjungit, quo indecorum pronuntiat *Alexander III*, eccleſias regi ab hominibus, qui ſe gubernare ipſos non didicerunt. Secundo, *generis* habendam rationem eſſe in

Pag. 13.
12.
§. 1. pag. 15 ſeq.
§ 2. pag. 22 ſeq.

juſtitia diſtributiva, firmiter ſibi perſuadet Cl. *Dandinus*, novosque homines tunc demum ad honores cenſet admittendos, cum ceteros illuſtri natos loco virtute non æquant ſolum, ſed
Pag. 25. ſuperant. Ineptam inde evincit eſſe ſententiam, quæ in ambiendis Canonicorum ſpartis, nobilem indoctum, novumque hominem literis naviter imbutum, eodem loco collocat. Generis
§. 3. pag. 27 ſeq. habita ratione, *tertio* ſpeciatim ad *fortia parentum facta*, & *merita majorum*, juſtitia diſtributiva reſpicit, niſi ſe illis indignum
§. 4. pag. 34 ſeq. per ſcelera & flagitia fecerit filius. Neque tandem infimo ponit loco patriam, civesque hoſpitibus præferendos ſemper ſuadet, quod 1) Principibus civili vinculo ſunt cognati, 2) fide exteros ſuperant, & 3) vel ipſa natura ad curandam patriæ ſalutem, promovendaque Principis commoda, ferantur, cum exteros præter honeſtatem inſtiget nihil. In his vero verſandum eſſe σὺν ἀκριβείᾳ, recte *Dandinus* monet, meritoque Athenienſes laudat, quod peregrinum *Toxariam* inſeruerint Diis, & *Anacharſidem*, in rigidis Scytharum terris genitum, variis mactarint honoribus.
§. 5. pag. 38. Sic de virtutibus *externis* valde ſollicita eſt diſtributiva, quam vocant, juſtitia; *internas* tamen inprimis & præ externis ſpectari omnibus ſuadet. *Studia* ſunt, quibus munere ornatus juvat rempublicam. Probe igitur conſiderandum eſt, utrum quis ad *militarem diſciplinam*, an ad *civilem prudentiam*, *cultumve literarum*, ſit aptior, hisque accurate ponderatis, ferendum de di-
§. 6. pag. 44. ſtribuendis muneribus judicium. Candidatis, *ambire* munus, eſt integrum. Viderint tamen, ut modeſta ſui commendatione id agant, nec dolo malo removeant competitores, id quod prima ſtatim juris divini naturalis regula de non lædendo alio prohibere videtur.

EVANGELISTÆ MARIANI DE JUSTITIA diſtribuente Dialogus, in quo unaquæque juſtitiæ forma ſuo lumine collocata, εἰσαγωγὴ quædam ad univerſam diſciplinam civilem inſtituitur.

Venetiis, excudebat Angelus Paſinellus, 1734, 4 maj.

Plag. 12.

Non

Digitized by Google

Non inhærebimus diu Dialogo huic *Alithamantis* & *Philomati*
recenſendo, qui id agit unice, ut veterum doctrinam Pe-
ripateticorum vindicet ab interitu. *Dandini* refutationem *Evan-* Pag. 8. 9
geliſta Marianus meditatur, eumque principio ſtatim irridet ſal-
ſe, quod & de ea ſolum diſtribuente juſtitia, quæ in civitate
Principem inter & ſubditos obtinet, loquatur, & leges viris ſcri-
bere principibus inducat in animum. Mox de genuino utrius-
que juſtitiæ, commutantis videlicet & diſtribuentis, conceptu eſt
ſollicitus. Triplex eſſe ait in civitate bonum: 1) commune ſim- 21 ſeq.
pliciter, 2) commune ad ſingulos relatum, 3) particulare ſingu-
lorum. Si bonum particulare conſideratur comparate, juſti-
tiam effici putat *commutantem;* ſin commune bonum compara-
te ad ſingulos, *diſtributivam.* Principium utriusque cum *Sta-* 42.
girita ſuo *Eth. V Cap. 2 æqualitatem* conſtituit, in illa ἀριθμητι-
κῶς, in hac autem γεωμετρικῶς, metiendam. *Commutantem con-* 37.
tractuum regere duo refert genera, *ſpontaneos* videlicet & *coactos.*
In illis emtionem, venditionem, fœnus, ſponſionem, mu-
tuum, depoſitum, locationem, conductionem, numerat, quique
his porro ſunt ſimiles; hos denuo in *clandeſtinos* partitur & *vio-*
lentos. Clandeſtinorum ſpecies conſtituit furtum, adulterium,
veneficium, lenocinium, ſervi alieni abductionem, cædem frau-
de adminiſtratam, falſos teſtes, &c. Violentis accenſet verbera,
vincula, mortes, corporis debilitationes, raptus, maledictiones,
ludibria. Hic nullam eſſe contrahentium æſtimationem ſtatuit, 39.
ſed Principes quoque pactis obligari ſuis, ſumma *Baldi*, *Jaſonis*,
Caſtalii, *Vasquii*, & ſi quæ alia ſunt obſcura nomina, confirmat
autoritate. Ad *diſtribuentem* perrecturus, habere quidem ci- 49.
ves aliquod jus in bonis communibus, non negat, ſed quodam-
modo ſaltem, cum deſit obligatio civilis, ne bona privatorum
peculiaria eſſe videantur. Pœnas a diſtribuente penitus remo- 59. 60.
vet juſtitia, quia dantur ob maleficia, hæc autem ad eos per-
tinent contractus, quos a commutativa regi juſtitia, ſupra evi-
ctum dederat & demonſtratum. Cum ergo cauſam effectus
ſequatur ſuam, nullus dubitat pœnas ad commutantem referre
juſtitiam, inque hoc *Ariſtotelis* ſui, D. *Thomæ*, & Ill. *Grotii*, ſequi
autoritatem. Diſtribuentem juſtitiam ad res communes per- 75 ſeq.

 tinere

Digitized by Google

tinere civitatis, perpetuo tuetur, nec ideo ſtatim privatis tribuendam, quod quis de re ſua leget paterfamilias, his poſitis exiſtimat principiis. Vel enim unum eſſe hæredem ait, vel plures. Si unus, locum eſſe diſtribuenti juſtitiæ negat, quia in ſingularibus perſonis proportio comparata exulet; ſin plures, deficientem teſtatores inter & hæredes bonorum communionem prohibere contendit, quo minus diſtribuens juſtitia ſuum exſerat imperium.
Pag. 70 ſeq. Contra *Grotium*, proportiones impugnantem, diſputaturus, contractum ſocietatis iniri probat vel collata pecunia, vel præſtitis operis. Has vero, ſi conferantur, inſtar pecuniæ haberi, ideoque ad juſtitiam pertinere commutantem.
84 ſeq. Tandem, Cl. *Dandinum* promiſſis ſtetiſſe ſuis, & Diſſertatione hac lucem accendere potuiſſe *legi 14 π. de Muner. & bonor.*, negat ac pernegat, cum hanc *juſtitiæ* in *diſtributivam* & *commutativam* diviſionem ex civili dudum Jurisprudentia merito ejecerint & proſcripſerint doctores,

- - - - - - quorum
De meliore luto finxit præcordia Titan.

SELECTA MEDICA FRANCOFURTENSIA, Anatomen inprimis practicam, Chirurgiam, Materiam medicam, ipſamque univerſam Medicinam, tam clinicam, quam forenſem, variis caſibus & obſervationibus, &c. illuſtrantia.

Volumina IV.

Francofurti ad Viadrum, apud Jo. Godofr. Conradi, 1740, 8. Alph. 1, Fig. æn. 4.

Rem præclaram, ſuaque perſona & laudabili de republica medica bene merendi propenſione ſatis dignam, egit Celeberrimus *Gœlicke*, Profeſſor Medicinæ apud Francofurtenſes Ordinarius, isque ſæpenumero jam a nobis collaudatus, quod, poſtquam, exſtincto *Gohlio*, Acta Medicorum Berolinenſium deſierunt, de ſelectis his Obſervationibus in illorum locum, ad eorundemque modum, publicandis cogitavit. Ad hunc enim Autorem inſtituti rationem eſſe referendam, non una ex cauſa ſuſpicamur. Varias itaque variorum Obſervationes libellus hic complectitur, quæ ad Anatomen præcipue practicam, Chirurgiam

giam, Materiam medicam, ipſamque univerſam Medicinam, clinicam perinde atque forenſem, pertinent, inter quas exterorum etiam lucubrationibus locus relinquetur. Ad calcem vero cujuslibet *Voluminis* accedet index librorum Diſſertationumque, quas Medici per quodvis ſemeſtre ſpatium in Academia Francofurtana ediderunt. *Volumine* itaque *primo* exſtant: *1*) Cartilago ξυφοειδὴς, ſive mucronata ſterni bifurcata, atque tertium ejusdem os, quod pro lamina pugionis, cui ſternum comparatur, Anatomici accipere ſolent, foramine exacte ſphærico pertuſum in cadavere infanticidæ deprehenſum. *2*) Dislocatio vertebrarum colli abſolute lethalis. *3*) Cortex mandragoræ, vi pellendi fœtum, abortumque procurandi, deſtitutus. *4*) Hiſtoria morbi, in caſtris Polonico-Saxonicis annis 1734 & 1735 graſſati, quæ, ex Protomedici caſtrenſis, *Meuderi*, relatione hiſtorico-medica de morbo ſic dicto Polonico excerpta, hic repetitur. Primo denominationis rationem habet Doctiſſimus Autor; deinde indolem morbi accuratius exponit, demonſtratque, illum re vera non novum, ſed nihil aliud, fuiſſe, quam febrem catarrhalem, quæ tamen, intervenientibus variis, copioſius hic enarratis, cauſis, ut vocantur, accidentalibus, larvas varias pro more ejusmodi febrium induerit, atque adeo tali ſe forma prodiderit, ut quandam novitatis ſpeciem ignaris, vel ſaltem hiſtoriæ morbi non ſatis peritis, præ ſe ferre fuerit viſus; poſthæc in cauſas inquirit, recenſetque ſigna, ex quibus dignoſcatur & dijudicetur, ac denique medendi rationem explanat. *5*) Ejusdem *Meuderi* Epiſtola ad Perilluſtrem Imperatoris Romani Archiatrum, *Garellium*. *6*) Relatio hiſtorica de morbo, nuper inter cornutas beſtias graſſato. *7*) Exundationis & inundationis Oderæ, fluviorumque in eam ſeſe exonerantium, noxii effectus, circa finem Julii & initium Auguſti, Francofurtenſi in tractu A. 1736 obſervati. *Volumine ſecundo* continentur: *1*) Ductus thoracici una cum receptaculo ſuo inveſtigatio ac delineatio in cane mediocris magnitudinis; ubi, poſt aliquam de inventoribus ductus thoracici, & certaminibus hinc obortis, præfationem, figura prima receptaculum chyli cum origine & progreſſu, itemque externa ductus thoracici inſertione, altera vero oſtium, ſive interna inſertio ejusdem ductus, cum

ſuis

ſuis valvulis repræſentatur. 2) *Anton. Philippi Queitſchii* Diſſert. epiſtolaris *de præcipuis ductum thoracicum inveſtigandi methodis*, ad Celeberrimum *Gœlicke*, qua doctiſſimus Autor hiſtoriam primæ demonſtrationis ductus thoracici humani, peculiari methodo inveſtigati in theatro Anatomico Francofurtano, exponit, methodum hanc copioſe recenſet, eandemque a nullo adhuc Anatomicorum in uſum fuiſſe vocatam, oſtendit. Quippe, cum in *Salzmanniana* methodo primam præcipuamque ſtatuam mercurialem, qua via in perveſtigando hoc ductu commonſtratur, conſtituant vaſa lactea ſecundi generis, quæ ſcilicet a glandulis meſenterii ad receptaculum chyli contendunt, ſecundariam vero ſtatuam ipſum chyli receptaculum; in *Pecquetiana* & *Bartholiniana* methodo ſtatuæ mercurialis primariæ vices arteria aorta, quatenus intra thoracis fines coercetur, itemque œſophagus, ſecundariæ autem renes, obeant, atque huic in plerisque ſimillima videatur methodus *Heiſteriana*, niſi quod arteriæ aortæ, in thorace conſtitutæ, venam ἄζυγον adjungat; *Henningeriana* & *Kislingiana* methodus ſtatuas mercuriales primarias venas emulgentes habeat, ſecundarias vero vaſa lymphatica, ipſas circumdantia; methodus *Duvernoiana* præcipuas ſtatuas mercuriales ſibi proponat venas crurales aut iliacas, tum externas, tum etiam internas, ſecundarias vero vaſa lymphatica, quæ easdem comitantur; *Schulziana* denique methodus primario viæ duce utatur meſocolo in dextro latere digito leviter ſeparato, Noſter ab his omnibus recedit, ita, ut pateat, primam ipſi præcipuamque ſtatuam mercurialem in nova hac methodo arteriam aortam eſſe, quatenus per abdominis cavitatem procedit, cum arteria meſenterica ſuperiori, ſecundarias vero arterias renales & cœliacam. Interim tamen ingenue fatetur, ſtatuas mercuriales *Bartholinianas*, tum primarias, tum etiam ſecundarias, proxime ad ſuas accedere, methodumque idcirca *Pecquetiano-Bartholinianam* ſtatuam mercurialem ſuæ methodi vocari poſſe, ſeque ratiociniis *Bartholiniana* methodo fundatis atque ſuperſtructis innixum, ſuam methodum inveniſſe. Quoniam vero hujus methodi in omnibus *Tomis* reliquis crebra atque copioſa fit mentio, idque argumentum etiam præ aliis ſingularis momenti

eſſe

Digitized by Google

eſſe videtur, de ejusdem ratione & in capiendo experimento cautionibus, infra ſpeciminis loco quædam repetemus, ea nunc, quam iniimus, via ulterius proceſſuri. *3*) Obſervationum practico-clinicarum Pentas, quarum prima ſiſtit hæmorrhagiam narium, per aquam frigidam, ex improviſo nuchæ affuſam, ſubito ſuppreſſam, quæ cœcitatis repentinæ cauſa fuit. Altera agit de purpura alba confluente, quam Autor in tribus fœminis obſervavit, quando puſtulæ miliares, magna copia utplurimum in corpore præſentes, non ſecus ac variolæ confluentes tandem coeunt confluuntque, unde & Autor comparationem inter variolas atque purpuram albam inſtituit. Atque idem etiam obſervavit, vermiculos vivos aſcaridum inſtar in corrupta purpuræ albæ lympha genitos eſſe. Tertia de lumbricis mirabilium in corpore humano vivo motuum cauſis; quarta de fœdo priapiſmo, in agonizante, colica ſpasmodica laborante, obſervato; quinta de Judæo, agit, qui ex inopinato terrore in impotentiam inſanabilem incidit. *4*) Caſus medico-practico-clinicus notatu admodum dignus, una cum conſilio medico deſuper dato. Quo nomine exponitur delirium furioſum ſive maniacum, in puerpera poſt lochiorum ſuppreſſionem & purpuræ retroceſſionem ortum. *5*) Obſervatio de ſphacelo brachii dextri ex imperita chirurgica fracturæ complicatæ tractatione. *Volumine tertio* reperiuntur: *1*) Luxatio oſſis brachii, tempeſtive non reſtituta, fœminæ ruſticæ novendecim annorum exitialis. *2*) Continuatio Diſſertationis epiſtolaris *Queitſchianæ* de præcipuis ductum thoracicum inveſtigandi methodis, qua præter cetera Autor ſolertiſſimus univerſalitatem, certitudinem, & fidem, itemque evidentiam & habitudinem, *Bartholinianæ* ſuæque methodi, ex diverſitate poſitus, & conſtructionis in corpore humano & quadrupedibus terreſtribus varietate, deducere conatur. *3*) Caſus medico-chirurgicus de excreſcentia gelatinoſo-cartilaginoſa pone aurem dextram ſub ejusdem lobo per quinque & decem annos integros geſtata, & mediante operatione manuali intra ſex ſeptimanarum ſpatium feliciter curata. *4*) Obſervationum tetras, quarum prima agit de ſpontanea venarum apertione, venæſectionis vicaria, ſecunda de uſu herbæ Arnicæ veræ ſive Plauenſis, una cum floribus

Digitized by Google

memoratu digniſſimo, cujus ſcilicet herbæ virtus in reſolvendo ſanguine congrumato confirmatur, uſusque etiam in febribus catarrhalibus, cum congeſtione ſanguinis ad pectus, doloribusque lateris punctoriis, & ſanguinis congrumati rejectione, conjunctis, indicatur, tertia de amentia ex ſemine ſtramonii loco nigellæ lactanti dato, quarta de peculiari naturæ idioſyncraſia. *5*) Febrium intermittentium metaſchematismi duo memorabiles, quibus ſcilicet illæ ex præpoſtero corticis Peruviani uſu, tum in hydropicos tumores, tum in febrem lentam, tuſſi ſtomachali ſtipatam, phthiſicamque hecticam veram minantem, tranſierunt. *6*) Sectio molitoris, qui, ſumto cobalto, ſemet ipſum nefarie interfecerat. *7*) Judiciorum & conſiliorum, in malo hypochondriaco ſcorbutico latorum & datorum, biga. *Volumine* denique *quarto* hæc occurrunt: *1*) Ductus thoracicus in porco mediocris magnitudinis inventus, deſcriptus, atque delineatus. *2*) Concluſio Diſſertationis *Queitſchianæ* de præcipuis ductum thoracicum inveſtigandi methodis, qua præcipue methodorum *Bartholinianæ, Pecquetianæ,* & ab Autore propoſitæ, brevitas & rectitudo demonſtratur, *Henningerianæ* vero & *Salzmannianæ*, atque reliquarum etiam, difficultas, obſcuritas, particularitas, & incertitudo, in corporibus humanis, ambagesque & circumflexus, notantur, horumque vitiorum rationes eruuntur, qua tamen ſententia nihil celeberrimorum virorum famæ atque exiſtimationi Autor detractum cupit. *3*) Caſus practicus, in quo medicus quæritur de alterius cujusdam medici perverſis febrium intermittentium curationibus per corticem peruvianum, itemque poſt ejus corticis uſum medicamentorum fortiſſimorum, calidorum, volatilium, oleoſorum, urinoſorum, largiſſime datorum, abuſu, præcipue gliſcentibus jamjam præcordiorum anxietatibus, pectorisque anguſtiis, hacque methodo ortis cordis polypis, qui in omnibus ægrotantibus, quos, febre intermittente laborantes, medicus iſte curationi ſuæ commiſſos habuit, poſt mortem reperti fuerunt, judiciumque ordinis Medicorum Francofurtenſium expetitur, quod tamen, ſecus atque in conſpectu exſtat, hic adjectum non videmus. *4*) Obſervatio de atrophia infantis rhachitica, ejusque curationibus empiricis, & ſanatione rationali, cum

epicriſi.

Digitized by Google

epicriſi. 5) Diſcuſſio quæſtionis practico-clinicæ: an paſſio iliaca, vulgo miſerere mei dicta, per ſe & abſolute lethalis ſit. Ceterum dignam omnino *Queitſchianam*, ductum thoracicum inveniendi, methodum aliqua adhuc commemoratione judicamus, quam proinde ipſis Autoris verbis enarrabimus, atque Anatomicis imitandam explorandamque proponemus. Ita vero ille *Volumine III pag. 177: Si quis ad ductum meæ methodi initium & progreſſus ductus noſtri in homine inveſtigare velit, ſitus ejus in media ſpina dorſi ſuper vertebras lumbares ſuperiores adeo commodus eſt, ut, remota ſuperjacente arteria aorta, (cujus ſegmenta ſurſum deorſumque reclinata partibus ſubſtratis vel vicinis filorum beneficio annecti & firmari debent,) rupturæ iſtæ, ſucceſſive in loco hac arteria nudato, ac decuſſatim, inſtituendæ, adeo tuto adminiſtrari poterunt, ut nulla plane remora a proceſſibus diaphragmatis, principiisque pſoarum muſculorum, admodum profundo, admodumque laterali, poſitu inſertis, metuenda ſit; multo minus a venarum mediocrium, (utpote quarum nullæ in propinquo ſunt,) ruptura improviſa, indeque conſequente ſanguinis profluvio, oriundum præcaveri debeat impedimentum. Nec ipſe ductus, etiamſi profundiori ſitu gaudeat, vel lympha oleaginoſa, aut ſanguinolenta, aut chylo ipſo, plane vacuus & deſtitutus ſit, inter disruptas cellulas membranaceas, ſeu veſiculas pinguedinoſas, viſus aciem, aut cultri culmen, ullo modo valet ſubterfugere. Quoad prius enim in humano corpore adulto, imo & in puerili quoque, ſatis capaci notabilique gaudet ambitu; in demortuis præterea propter tunicam collapſam verſus latitudinem magis eſt extenſus; quoad poſterius vero tunica illius ſequacitate & tenacitate ſupra jam notata cellularum membranacearum tunicas longe ſuperat, & pone ſe relinquit, nec culminibus cultrorum disrumpentibus rupturas admittendo æque facile ac hæ auſcultat. Si quis, initio progreſſus jam detecto, medium & finem ejus proſequi deſideret, occultatio eorum ſub viſceribus thoracis, interque canales grandiores, & ſubter vaſa publica, circumſpectum proſectorem, vaſa & canales mediante unciformi elevatorio obtuſo, citra aliarum partium proxime adjacentium apprehenſionem ſimultaneam, arcte comprehendere & elevare, inverſisque acubus incurvis ligare, peritum, neutiquam impedire poterit,*

rit, quo minus, his impedimentis omnibus exciſis & remotis, totum ductum a principio ad finem usque in apricum dare poſſit; præcipue, ubi per inflationes repetitas anfractus ejus & progreſſus varios inter operandum diligenter exploraverit; prætereaque forſicum & cultrorum acies a vicinitate prominentis ſpinæ dorſi nimia circumſpecte arcere didicerit. Nam cavitas thoracis, juguliqne ſtricte ſic dicti intercapedo, verſus latera latiſſima, operatori indefeſſo liberrimum ad canales grandiores vaſaque publica concedunt aditum, ita, ut coſtarum fractionibus, in brutis quadrupedibus alioquin neceſſariis, in humanis cadaveribus plane non ſit opus. Quodſi vero meam methodum in corporibus quadrupedum terreſtrium adhibere velit Anatomicus, in minoribus & minimis, v. g. muribus, gliribus, talpis, muſtelis, ſciuris, &c. ob exilitatem ductus omni ſucceſſu deſtituetur, nec in minimis multo meliorem ſortem Bartholiniana-Pecquetiana *methodo experietur. In mediocribus vero, canibus nimirum, porcis, ovibus, & vitulis, propter internum ſitum ſpinæ dorſi planiorem & depreſſiorem, nec non ob inſertionem diaphragmatis proceſſuum capitumque pſoarum muſculorum altiorem, minusque lateralem, admodum difficilis & laborioſa exiſtet mea methodus; imo propter altiorem ipſius ductus ſitum, indeque metuendam illius, una cum arteria aorta facillime fieri ſolitam, diſſectionem, minus tuta, minusque fida, erit. In grandioribus autem majoribusque beſtiis, v. g. equis, tauris, bobus, mulis, &c. propter molem corporis ipſiusque ductus grandiorem minus laborioſa & difficilis, ſatis fida atque tuta, deprehendetur.*

Johann Gottlob Krügers, A. L. M. Natur-Lehre, ꝛc.
id eſt,

JOANNIS GOTTLOBI KRÜGERI INSTITUTIONES Phyſicæ, Figuris, in æs inciſis, Indice locupletiſſimo, ac Præfatione de vera Philoſophia, inſtructæ. Hanc adornavit FRIDERICUS HOFFMANNUS, Conſiliarius intimus Regis Boruſſorum, Archiater, Profeſſor Medicinæ primarius, & Academiæ Halenſis Senior.

Halæ, impenſis Caroli Hermanni Hemmerde, 1740, 8.
Alph. 2 plag. 11, Tabb. æn. 10.

Illu-

Digitized by Google

Illuſtris *Hoffmanni* ſtudium olim per annos ſex & decem in profeſſione Phyſices experimentalis fuit occupatum, nec ex illo tempore deſiit Vir ſummus libris lectitandis vacare, quibus illa Philoſophiæ pars pertractari ſolet, fœcunda quippe adminiculis pædagogicis, quibus, Deum exiſtere omnipotentem, ſapientiſſimum, atque benigniſſimum, demonſtratur. Et hanc ob cauſam Cl. *Krügeri* Opuſculum perlegit, atque ad illud verſandum lectores excitavit. Approbat Vir Illuſtris mathematicam methodum, Philoſophiæ applicatam, nec inficiatur, eum, qui elementa mathematum callet, celerius proficere in omni Philoſophia, immo in Logica ipſa. *Hippocrates* ipſe filio ſuo *Theſſalo* commendat doctrinam numerorum & Geometriæ, antequam ad medicinam faciendam progrederetur. Id vero improbat, quod Philoſophorum nonnulli ætatis noſtræ, rationem ſufficientem omnium effectuum naturalium a ſeſe explicari poſſe, perhibeant. Cum vero hos ipſe non deſignet, nec nobis ullus Philoſophorum innotuerit, qui vires intellectus humani negaverit eſſe finitas, aliis id divinandum relinquemus, quod nobis eſt incompertum. Nos certe non ignoramus, aliud eſſe, dari omnium rerum rationem ſufficientem, aliud eſſe, hanc a Philoſopho in ſingulis rebus poſſe exponi. Prius largimur, poſterius negamus. Vir maximus deinde oſtendit imperfectionem ac finitudinem intellectus humani ex ignoratione rerum ac effectuum naturalium. Ad incognitorum claſſem refert vim motricem & coagmentatricem, eſſentiam elementorum ac metallorum, phænomena magnetis, vim animalium propagatricem, per quam ſpecies & cognatio conſervatur, temperiei aeris diverſitates, animæ pleraque momenta, loquelam, idearum claſſes & locum, vim imaginationis, curas morborum ſympatheticas. Approbat deinde *ſapientem rerum creatarum nexum*, licet inficietur, effectus corporum ſpeciales inde exponi poſſe, vel actiones liberas inde exponi debere. In claſſem vocum ignorantiæ humanæ rejicit *caſum*, *naturam*, *fortunam*, *fatum*, *prædeſtinationem*, *harmoniam præſtabilitam*, *ſympathiam*, *antipathiam*. Recenſet deinde œconomiam ſalutis humanæ & temporalis & ſempiternæ, quam eccleſia Evangelica amplectitur. Fatemur vero cum viro Illuſtri, Cl. *Krügeri* phy-

Digitized by Google

ſicum volumen ita eſſe concinnatum, ut ſcientiam naturalem perſpicue ac ordine pertractet, ut propoſitiones, in eo contentæ, ſint ſolide ſatis demonſtratæ, ac pulcherrimis recentiſſimisque experimentis & inventionibus illuſtratæ, ut illud ſit candidatis Theologiæ ac Medicinæ admodum ſalubre futurum. Conſtant Cl. Autoris Phyſices elementa *Capitibus quatuor & decem. Primo* expoſuit de corpore generatim, ejusque proprietatibus, *ſecundo* egit de motu, *tertio* diſſeruit de gravitate, *quartum* de preſſione fluidorum corporum inſcriptum eſt, *quinto* vires, quibus corpora cohærent, explanandas ſuſcepit, *ſexto* de igni egit, *ſeptimo* tractavit de aere, *octavo* in ſoni naturam inquiſivit, de aqua expoſuit *nono*, *decimo* diſſeruit de terra, *undecimum* dicatum eſt theoriæ lucis ac colorum demonſtrandæ, *duodecimo* expoſuit de phænomenis ſeu meteoris aereis, *decimo tertio* tractavit de ſtructura mundi, ac tandem *decimo quarto* de plantis ac animalibus attulit juſtiſſima Philoſophorum conſulta. Index, libro ſubjunctus, ſpirat accurationem. Stilus eſt planus, terſus, & venuſte profluens. Tractatio ipſa methodum ſervat, Mathematicis propriam. Definitiones genuinas, obſervationes faciles, & experimenta luculente enarrata, & figuris, in æs inciſis, illuminata, ubique fundamenta tractationi ac demonſtrationi ſubminiſtrant. Naturam ſubinde indicari, ubi Dei habenda erat ratio, monuerunt nonnulli. Corpora reputat pro rebus compoſitis, e quibus conſtat mundus. Eis tribuit ſimul vim motricem. Ex compoſitionis indole deducit Autor figuram & extenſionem. Materiam ſubtiliſſime eſſe dividuam, oſtendit nonnullis obſervationibus ac experimentis, negans, compoſitionem illam patere in infinitum vel ad ipſas monadas diſcernendas, ſiquidem particulæ aqueæ, quantocunque labore ſegregentur, indolem aquæ

Pag. 8. haud deponunt. Nobis vero non licet determinare numerum diviſionis particularum corporis. Quare ipſa reſpectu cognitionis ac obſervationis noſtræ in infinitum ſeu potius indefinitum exporrigitur. Ut hoc obtineat, duo affert exempla extenſionum mathematicarum, quibus ſpatium duarum linearum continuo convergit vel divergit, ita tamen, ut lineæ ipſæ nunquam ſeſe contingant. Ab extenſione generatim ſumta, & mathematice

tice

tice conſiderata, argumentationem perducit ad extenſionem corporum phyſicam. Ignoramus fere, an omnibus hæc argumentandi ratio ſit arriſura. Per fictionem enim mathematicam extenſio patet in infinitum, licet extenſio phyſica, fictionis expers, limitibus ſuis ſit circumſcripta. Spatiola vacua & inania ineſſe corporibus exiſtimat, & hunc in modum it demonſtratum: *Inertia materiæ eſt in cauſa, ut corpus, quod in argento vivo motum exercet, ſentiat reſiſtentiam ſatis magnam. Si corpus illud movetur in aqua, tum reſiſtentia, qua excipitur, 14 vicibus eſt minor; immo aer reſiſtet motui hujus corporis tantum non 1000 vicibus minus, quam aqua, & eapropter 14000 vicibus minus argento vivo. Pone igitur, interſtitia corporum ſingula materiæ eſſe plena. Licet vero illa utcunque ſit ſubtiliſſima, nihilo minus corpus, quod digitum Mercurii cubicum protrudit, movet digitum materiæ cubicum. Si corpus id ſeſe movet in aqua, tum ex aſſumta hypotheſi trudit digitum aquæ cubicum, &, quia hæc undiquaque materiæ eſt plena, movebit digitum materiæ cubicum. Si tandem interſtitia aeris eſſent materiæ plena, corpus illud truderet denuo digitum materiæ cubicum, ſi illud motum in aere exerceret. Reſiſtentia autem corporis proportionalis eſt multitudini ejus, ex qua conſtat, materiei. Quamobrem aer motui corporis reſiſteret tam violenter, quam aqua, & hæc tam fortiter reſiſteret ac reniteretur, quam argentum vivum.* At vero experientia docet plane contrarium. Hinc rationes ſuas ita ducit: *Eam ob cauſam quodvis ſpatiolum non eſt materia refertum, ideoque interſtitia exſtent in corporibus oportet, omni materie vacua.* Liceat addere, hoc argumentum valere ad deſtruendam materiam uniformem, omnia replentem. Cum vero materiæ indoles quam maxime inter ſeſe differat, argumenti ratio id non evincit, ut dubitemus, materiam diverſiſſimarum virium ac formarum hinc inde in interſtitiis corporum deficere. Aut enim defectus hic continuo eſt ſtabilis in interſtitiis eisdem, aut variabit pro majori vel minori denſitate materiæ. Si prius affirmamus, corpora ſemper ſervabunt idem volumen, quod experientiæ repugnat. Sin poſterius ponimus, non eadem ſemper ſervabitur quantitas virium motricium, ſiquidem

Pag. 10.

14 ſeq.

Digitized by Google

quidem inane nonnullas earum infirmat, & propagationem ea-
rum magnam partem abſorbet. Hoc rurſus veritati contradicit
ac reclamat. Vacillat igitur & dilabitur vacuum mundanum,
Pag. 16. per corporum interſtitia diſperſum. Vim ineſſe corpori præ-
ter materiam, apte demonſtrat Cl. Autor. Exponit deinde leges
motus. Dolemus, varia effugiſſe oculos ejus, qui emendavit erra-
ta typothetæ, quibus rudiores in legendo impediri poſſunt. Ita
pag. 24 lin. 12 legitur *CG* pro *CF*, ac *pag. 25* lector remittitur in
parte paginæ ſuperiori ad *Tomi I Figuram quartam*, ad *tertiam*
remittendus. Alter nævus in calce fuit emendatus. Suffece-
33. rit in præſens, hæc ſemel notaſſe. Celeritatem motus plana ra-
tione expedit ac perſequitur Cl. Autor, non ſolum attendens ad
celeritatem corporis, una vi moti, ſed etiam ejus, quod duobus
aut pluribus movetur. Quantitatem actionis ſeu impetum ex
volumine corporis, ejusque celeritate, docet determinandam.
44. Pondera enim conformem voluminibus tenent proportionem.
Inde oſtendit, celeritates vectium eſſe proportione congruen-
47. tes diſtantiis corporum a centro gravitatis. Progreditur paullo
52. poſt ad leges corporum elaſticorum & minus elaſticorum ediſſe-
62. rendas, ac extra dubitationem collocandas. Recenſet leges re-
66. flexionis ac refractionis, easque a priori demonſtrat. Solide de-
monſtrat menſuram virium vivarum, a *Leibnitio* inventam, eam-
que oſtendit eſſe diſtinguendam a menſura virium mortuarum.
Demonſtratio eſt ſat univerſalis, nec tamen plane nova. Ex ea
70. patet, *vires corporum vivas eſſe in ratione compoſita ex ſimplici*
maſſarum & duplicata celeritatum. Lex hæc referenda eſt ad
percuſſionem, nequaquam vero ad preſſionem, dudum agnita a
viris ſummis, *Bernoullio*, *s' Graveſandio*, *Hermanno*, *Hambergero*,
Wolfio, *Poleno*, ac *Muſchenbroeckio*, licet ſcriptor Logicæ haud
unius diſſentire maluerit, quam agere argumentis. Oſtendit
Autor porro, vires vivas eſſe æquales, ſi menſuræ inverſæ ra-
tionem tenent, quemadmodum quadrata celeritatis ſolent eſſe
72. comparata. Vim vivam eſſe majorem ea, quam vocamus mor-
75. tuam, docet. Corpori in corpus effectum haud eſſe tribuen-
dum, exiſtimat, niſi durante contactu. Menſuram virium *Car-*
teſianam tum demonſtrationibus, tum experientiæ, diſconvenire,
liquidis

Digitized by Google

liquidis efficit ac comprobat argumentis. Id vero haud omittendum, virium ſummam, ex dimenſione earum *Leibnitiana* æſtimandam, ante ac poſt percuſſionem invicem eſſe æqualem. *Hugenius Leibnitio* proluſerat, animadvertens, ſummam voluminis, in quadratum celeritatis multiplicatam, in motu corporum elaſticorum ante & poſt percuſſionem eſſe æqualem. Si *Carteſiani* hanc obſervationem attribuere ſtuduerint elaſticitati, ipſi haud difficulter refelli queunt. Sit enim e. g. celeritas corporis $A = 4$, celeritas corporis $B = 4$, volumen corporis $A = 1$, volumen corporis $B = 3$. Secundum dimenſionem *Carteſianorum*, qui ſummam voluminis in celeritatem multiplicari volunt, ac ſummam ita multiplicatam credunt eſſe eandem ante & poſt conflictum, impetus corporis minoris ante conflictum $= 4$ erit, impetus majoris $= 12$; et, quia utrumque corpus movet ſeſe erga alterum, ſumma virium ante conflictum erit $= 16$. Facta percuſſione, quieſcit corpus majus, minus vero movetur celeritate $= 8$. Qua quidem ratione ſumma virium poſt conflictum erit $= 8$, ante conflictum vero $= 16$. At quis non ſentit, *Carteſianam* ſententiam difficultatibus premi haud extricandis? In corporibus mollibus ſeſe res aliter habet. Dimidia enim celeritate progrediuntur ea poſt conflictum, quæ ipſis fuit ante conflictum, eo quod dimidium celeritatis, quod videtur periiſſe, impenditur immutandæ eorum figuræ in conflictu. Certum vero eſt, mollia corpora hanc ſequi legem, ut vires, quas illa perdunt in conflictu, comparatæ ſint haud ſecus, ac celeritates earum ante conflictum. Unde ipſa poſt conflictum quieſcunt, ſi ſecundum directiones oppoſitas eis celeritatibus ſeſe invicem percutiunt, quæ voluminibus eorum reciproce ſunt proportionales. Vis motrix eadem manet, licet motus non permaneat quantitas eadem. Hoc ipſo perimitur *Carteſiana* hypotheſis, docens, eandem motus quantitatem ſemper perſtare in mundo, & defenditur conſultum *Leibnitianum*. De viribus centralibus, vi centrifuga & centripeta, deinde exponit Cl. Autor ita, ut novi nihil afferatur præter demonſtrationes ſolito concinniores. Nec minus de ellipſi, ac motu elliptico, agit ſolide. Subjungit theoriam de motu accelerato & retardato. Hinc procedit ad do-

Pag. 78 ſeq. — 82. — 85. — 88. — 90. — 92. — 105.

Digitized by Google

ctrinam de gravitate, id eſt, niſu corporis verſus centrum ſuum,
Pag. 112. de centro gravitatis ac magnitudinis, de modo cadendi & ſtandi, prouti centrum gravitatis caret vel gaudet centri gravitatis fulcro, de defectu gravitatis terræ reſpectu ſui, non partium,
116. nec corporum aliorum totalium, de motu hominum ac animalium, & de caſu corporum gravium per uniformem motum acceleratum, ubi altitudines eorum ſunt conformes quadrato ce-
130. leritatis. Notatu dignum eſt Autoris experimentum. Ipſe enim ex altitudine 4 pedum curavit decidere globum plumbeum, ac rurſus ex altitudine 8 pedum, in argillam mollem. Decidit globus ille in argillam iſtam, ac formavit in ea cavernam, quam Autor cera deinde explevit. Ponderavit porro ceram, cavernis in-
133. fuſam ac induratam. Illa, quæ cavernam minorem explevit, æqualis fuit 10 granorum ponderi; illa, quæ oppleverat cavernam majorem, æqualis deprehenſa fuit ponderi 20 granorum. Unde perſpicitur facillime, vires corporum proportionales eſſe altitudini, ex qua delabuntur, licet figuræ corporum delabentium ſint diverſæ. Adſcendit itaque corpus ad eundem altitudinis gradum, ex quo delapſum fuit, excepto, quod adſcendenti aer paullulum reſiſtit. Motus in parabola, qui obſervatur in globis majoribus, e tormentorum majorum cylindro cavo exploſis, hanc ſervat legem, ut in curva linea projectionis ab-
138. ſciſſæ ſint, ut quadrata ſemiordinatarum, conformatæ. Reſiſtit motui frictio axis, aer renitens, ac in oppoſitum tendens reniſus corporum fluidorum, in quibus particulæ magis minusve cohærent, in quibus corpora moventur. Reniſus iſte particularum fluidarum deprehenditur ſpatio proportionalis, quod per-
140. currit corpus. Nec minus vis inertiæ reſiſtit tantopere motui corporis, quantopere hoc in illam agit, id eſt, ad modum quadrati celeritatis. Reſiſtendi vis eo major eſt, quo major eſt ſuperficies corporis, moti in fluido, id eſt, in ratione quadrati diametrorum, ſi corpora æqualium perimetrorum ſint æque gra-
142. via. Quæ de preſſione materiarum fluidarum Autor attulit, non minus accurate ſunt demonſtrata, quam illa in *Hydroſta-*
158. *tica* alias pertractantur. Addit legem undulationis, legem æquilibrii in fluidis ſpecifice gravioribus vel levioribus, legem gra-

vitatis

Digitized by Google

vitatis, pereuntis in corporibus fluido immerſis, legemque cor- Pag. 160.
porum, in aqua fluitantium & ſubſidentium. Aquam non poſſe
in fundo comprimi ab aqua incumbente, probat exinde, quod 173.
digitus cubicus aquæ in aqua eadem partis ſuperioris, mediæ,
& inferioris, ſemper ejusdem eſt ponderis. In explicanda vi,
qua corpora cohærent, in acceptis refert Cel. *Hambergero* ple- 196.
raque *pag. 289.* Eo autem diligentiori cura hoc caput eſt perpen-
dendum, quo limatius illud ex Phidiæ prodiit officina. Cohæ- 197.
ſio oritur generatim ex niſu corporum oppoſito propemodum
æquali, unde ſequitur mutuus contactus, cohæſionis unicum
adjumentum. Quo igitur plura exiſtunt contactus puncta, eo
firmior inde cohæſio exoritur, quam ob rem firmitas cohæſio- 200.
nis numero punctorum contactus eſt proportionalis. Cohæſio
deinde oritur etiam ex figuris corporum, non tamen ex eis ſo-
lis, quicquid *Carteſiani* obmoliantur. Corpora per materiæ in- 202.
terlabentis fluidæ preſſionem cohærere, affirmat ex parte, ne-
gans ſimul, eam preſſionem eſſe cauſam cohæſionis univerſalem.
Corporibus fluidis, igni, & aquæ, aliisque, ineſſe particulas glo- 205.
boſas, exiſtimat, eo quod ipſæ leviſſime cohærent, ideoque in
punctis pauciſſimis ſeſe contingunt, immo quia elongationes 207.
guttarum a centro æquales æqualiter renituntur. Globoſa aquea-
rum particularum figura in loco aeris vacuo haud perit, & id-
circo ab aere vel preſſione corporis externi fluidi non depen-
det. Pondus vero multarum particularum & motus externus 209.
tollunt illam figuram globoſam. Guttæ duæ confluere nequeunt,
niſi ipſæ immediata actione ſe contingunt. Experimento id uno 211.
& altero ad liquidum deducit Autor. Demonſtrat idem, co-
hæſioni accedere momentum ex partium cohærentium gravitate.
Explorare earum gravitatem jubet demittendo illas in fluidum, 213.
poſtquam interſtitia ipſarum fluida materie fuerint exſaturata,
ſiquidem aqua, eis immiſſa, intra aquam ponderis eſt nullius.
Rationem, cur duo lævia marmora, ad ignem calefacta, ſebo ob-
lita, & firmiter invicem compacta, non niſi viribus maximis di- 221.
velli poſſint, non ex preſſione aeris ſolitaria vel potiſſimum, ſed
potius ex copioſo punctorum contactus numero, depromit. Ut
enim marmora divellantur, pondere opus eſt, 9 vel 10 vicibus

 id,

Pag. 234. id, quod preſſio aeris efficit, ſuperante. Guttæ cur diffluant,
ſuper alio corpore ſitæ, rationem affert ex numero punctorum
contactus, in quibus guttæ corpus ſpecifice gravius attingunt.
Ex qua theoria poſſunt ea experimenta ſolvi univerſa, quibus
249. alioquin *vis attractiva* ſolet confirmari, licet Autor attractionis
vocabulo, ut phænomenon ſignificet, adhibere non recuſet. Videtur tamen vim attractivam tribuere aquæ *§. 213*, ſed quam
rurſus ad majorem numerum punctorum contactus reducit. Adſcenſum liquoris, in tubis capillaribus ad extima altius enitentem,
exponit exinde, quod ad vitrum, corpus quippe durius, particulæ aqueæ plura contactus puncta, quam in ſeſe, habent, con-
257. tendens, eum imminui, quo plus aquæ infunditur, ob aquæ inteſtinum pondus, quod deorſum tendit, ratusque, a preſſione
hoc phænomenon haud eſſe derivandum. Hinc oſtendit, altitu-
260. dines materiæ liquidæ in tubis capillaribus diverſæ latitudinis
ſeu diametri eſſe in ratione compoſita ex directa ſimplici & inverſa duplicata diametrorum. Tandem vario experimentorum
280. apparatui ſub examen vocato ſubjungit: *Quæ cum ita ſint, nemo*
289. *dubitabit amplius, vim attractivam re vera exiſtere in rerum natura.* Aliis autem videtur attractio eſſe nil niſi phænomenon, tum deprehendi ſolitum, cum viribus corporis quaquaverſum nitentibus in loco proximo uno vel altero minus
quid reſiſtit, quam in altero. Nec dubitamus ulli, hoc ipſo ex
theoremate ſolvi poſſe experimentorum omnium phænomena,
quibus Autor inductus, vim attractivam auſus fuit corroborare.
Eam ob rationem fumus incenſi fomitis movet ſeſe verſus focum vitri cauſtici, quo fomes ſuccenditur, nec non pili et fibræ ac atomi verſus laccam ſigillatoriam, ſimul ac attritu ex hac
281. multum aeris fuit evacuatum. Exponit Autor deinde de viſciditate liquidorum, quæ eo major eſt, quo denſius particulæ
eorum cohærent. Ex legibus cohæſionis de natura corporum
283 ſeq. elaſticorum diſſerit perquam convenienter naturæ, merito excluſo æthere, quem hic nonnulli Jove minus æquo in ſubſi-
287. dium vocarunt. Inde fragilitatem lachrymarum explanat vitrearum, ac monet, vim attractivam corpori eſſe tam naturalem,
quam eis propria ſit gravitas, inertia, & impenetrabilitas. Ignem
repræ-

Digitized by Google

repræſentat, qua eſt corpus fluidum, poris plenum, particulis
globoſis conſtans, levius reliquis corporibus, e corpore cali- Pag. 295
diori in frigidiorem transeundi vi præditum, fortius in gra-
vius corpus, quam levius, transgrediens. Calorem corpori-
bus ineſſe, at impetu & conflictu in motum adigi, diſputat. De 302.
impetu ignis mathematicam affert demonſtrationem, ſumens,
radium ſolarem intra 8 minuta inde a corpore Solis usque ad 306.
Tellurem tranſire per viam 24000 ſemidiametrorum terræ. Cl.
Autor ætherem cœleſtem paſſim ivit profligatum. Nihil itaque
reſtat, quam ut radios ſolares pro particulis ſubſtantiæ ſolis, &
radios, a candela progreſſos, pro particulis candelæ, reputet. Qui
autem hac ratione ſol poſſit ſemper eandem ſervare magnitudi-
nem, rationi plane haud patet. Suſpicamur, fore, ut ipſe æthe-
rem cœleſtem, aere ſubtiliorem, in loco aeris vacuo adhuc præ-
ſentem, reſumat. Ex aſſumta autem hypotheſi ſubducit ratio-
nem, contenditque, radium ſolarem ſeſe movere intra ſecun-
dam per 980789100 pedum ſpatium. Ignis quidem extendit 307.
metalla; at extenſio illa numero flammarum, quibus ea cale- 310.
fiunt, haud eſt proportionalis. Quæ de vi, qua frigus conden-
ſat, de thermometris ac barometris, atque experimentis, be-
neficio eorum captis, diſquirit Cl. Autor, non ſunt nova; quo-
circa, eis immorari, haud eſt noſtrum. Id tamen haud dimitte-
mus indictum, quod Autor de thermometrorum obſervationi-
bus attulit. Quod quidem in eo conſiſtit, ut ipſe moneat,
gradus adſcendentis vel defluentis per tubum *Torricellianum* ſpi-
ritus vini quantitatibus caloris haud reſpondere ſecundum pro-
portionem, rei ipſi congruentem. Niſi id ipſum ex argumen-
tis graviſſimis innoteſceret, pyrometrum *Muſchenbræckianum* 317.
dubitationem omnem fluctuantibus eximere omnino poſſet.
Quantitatem particularum ignis Cl. Autor ſolide menſurat, mo- 334.
dumque, quo flamma & ignis menſurari poſſit, exacte evolvit.
Determinat menſuram temporis, intra quod corpora inter ſeſe
ratione voluminis comparata calorem remittunt. Reſpiciendum 339.
hic eſt ad rationem & habitudinem diametri corporum volu-
minis diverſi. De aeris phænomenis eadem accuratione Cl. Au- 341.
tor exponit, demonſtrans ejus tum gravitatem, tum elaſtici-

Digitized by Google

tatem. Menſuram aeris reſpectu preſſionis, qua gaudet, deſinire docet lectorem. De barometro haud tralatitia in medium
Pag. 360. profert. Dimetiendi aeris rationem tradit. Cur preſſionem aeris haud ſentiamus, rationes exquirit. Subjungit argumenta, quibus inducti comprehendimus rationem, cur vitrea cam-
365. pana *Guerickianæ* antliæ haud diſſiliat ab aeris preſſione. Modum ſugendi explanat. De ſiphone diſſerit. Affert rationem, cur piscinæ aliquot tempore æſtivo aquis affluant, hiberno vacent.
379. Cohæſionem marmorum ediſſerit. Elaſticitatem aeris augeri compreſſu, docet. Proportionem indicat, ſecundum quam aer comprimitur. De bombarda pnevmatica ſollicite tractat. Determinat artem examinandi magnitudinem interſtitiorum aeris. Menſuram init quantitatis particularum, e quibus aer conſtat.
394. Diabolum *Carteſianum* deſcribit, ejusque rationem edocet. Jucunda ſunt, quæ Cl. Autor de ſono, de ejus dimenſione, de æſtimatione differentium tonorum, & de ratione ſoni chordarum, attulit. Chorda, quo eſt tenuior, eo acutiorem edit ſonum, in
428. vibrationem concitata. Altitudo autem ſonorum eſt in ratione diametri chordarum inverſa, eo quod celeritas vibrationum inverſam habet rationem diametri chordarum. Repetit experi-
431 mentum *Morhofii* hyaloclaſticum Noſter, idque diſtinctiſſime exponit. Modum reſonandi ac ecchus attingit. Tubo laletico diſtincte cognoſcendo operam impendit. Tubam acuſticam ad
436. cynoſuram revocat rationis. De aqua ſic diſſerit, ut nihil ſupra. Quæſtionem intexit, cur vapores in aerem adſcendant, dum tamen ipſi ſunt graviores aere ipſo. *Derhamus* aliique pu-
452 ſeq. tant, vapores eſſe veſiculas, aqua refertas. Autor autem objicit merito, hinc nondum intelligi illius adſcenſionis rationem, eo quod aer 800 vicibus, & ultra, ſit levior aqua, & vix comprehendatur modus, quo aer, veſiculæ ejusmodi incluſus, tantopere a particulis ignis rarefieri poſſit. Accedit, quod rarefactus ille aer, in aerem denſiorem delatus, deberet rurſus condenſari, & veſicula in humum relabi. Ipſe autem opinatur, adſcendere vapores in altum ob impulſum eo tendentem, quo trudantur; ipſos vero ferri per aerem, ut pulvis & arena ſolet per
454. eum deferri. Frigus & hiemum frigidiſſimam tempeſtatem ex abſentia

Digitized by Google

abſentia caloris deducit, ac *materiam frigorificam* explodit. Liceat tamen credere, copioſum nitrum, in aere diffuſum, efficere, ut particulæ ignis terram relinquant, & in particulas nitri transvolent. Poſſunt enim bilances ea arte inſtitui, in quarum lance altera poteſt nitri quantitas colligi, dum ea exponuntur aeri libero. Ars conſiſtit in eo, ut particulæ nitroſæ colligantur ex aere in corpus ſimilare. Quo experimento didicimus, hiemem anni 1740 frigidiſſimam fuiſſe conjunctam cum aere, particulis nitroſis ultra conſuetudinem abundante. Autor diverſa telluris ſtrata ac petrefacta deducenda credit ex diluvio, at non uno, ſed multiplici, quod *Noachico* diluvio majorem præferat antiquitatem. Ex vi attractiva explicat leges reflexionis & attractionis, rejecta & profligata ea ratione, quæ a diverſa denſitate medii ſolet deſumi. Dolemus vero, literas eſſe omiſſas in *Figura 88*, literam *C* in *Figura 89*, literam *I* in *Figura 90*. Primam omiſſionem lector vulgaris ſuo Marte haud ſupplebit, duas reliquas quam facillime. Theoriam de coloribus *Newtonianam* Cl. Autor ſolide confirmavit, explicans colorum originem ex radiis denſitatis diverſæ ſegregatis. Diſperſio radiorum gignit quidem lucis debilitationem, at colores haud producit. Colores a prismate haud effluere, nec ex debilitata luce, nec ex mixtione lucis ac umbræ, proficiſci, evidenter oſtendit. Colorem, quem vocant nigrum, eſſe id, quod tenuiſſime eſt album, demonſtrat. Conſtrui poſſe clavicymbala colorum ſeptem ad oculos oblectandos æque ac ſeptem tonorum ad aures permulcendas, ſibi habet perſuaſum. De lychnis, exſtingui neſciis, quos referunt nonnulli in ſepulcris fuiſſe inventos, nihil certi definit. Cur autem de flamma, ſcintilla, ellychniis, lychnis ardentibus, & fuligine, expoſuerit in Capite de luce ac coloribus, haud æque in Capite de igne, noſtrum non eſt divinare. Eurum ſub Æquatore continenter, noctu vero remiſſius, flantem, a rarefactione aëris, per radios ſolares orta, repetit, negans, motum terræ hic in cenſum venire. At quid impedit, quo minus utramque rationem conjungamus? Guttas pluviæ majores oriri credit tum ex altitudine lapſus, tum ex vaporibus ſulphureis. Corpora fieri minus perlucida, ſimul ac ex particulis

[Margin: Pag. 467 (line 1); 470. (at "ſtrata ac petrefacta"); 545. (at "dii ſolet deſumi"); 569 ſeq. (at "omiſſionem lector"); 581. (at "album, demonſtrat"); 586. (at "permulcendas"); 597. (at "ſciis"); 603. (at "gans, motum terræ"); 612. (at "quo minus utramque")]

culis

culis diverſæ denſitatis compoſita ſunt, egregie demonſtrat, ac,
Pag. 616. eapropter lucem a nive reflecti, monet. Originem roris ex adſcenſu vaporum terreſtrium deducit, eumque in inferiori ſuſpenſorum vaſorum rotundorum parte colligi docet. At id non eſt univerſale. Si vapores illi ſunt tenuiores, decidendo coeunt in ſuperiorem braſſicæ, graminis, frondiumque, partem. Teſtamur experientiam, ſæpius repetitam, quam confirmavit ros veſpertinus, in chartam, menſulæ *Prætorianæ* ſuperius affixam, cumulatus. Ignes fatuos Autor cum *Roberto Flud* pro materia lucente reputat, quæ inſtar ovorum ranæ cohærentium viſcidi-
651. tatem comprehendat. Conjecturam ducit, auroram borealem,
653. atmoſphæra noſtra haud elatiorem, oriri ex materia, phoſphorum fere referenti, ac notatu dignum exiſtimat, eam frequentiſſime poſt magnum per Germaniam terræ motum apparuiſſe. Motum telluris Cl. Autor ex *Flamſtedii* obſervatione, *§. 638* allata, contra dubitationes omnes munire potuiſſet, quem feliciter ex theoria *Kepleriana* propugnavit *§. 641.* Parallaxin fixarum reſpectu telluris inficiatur *§. 611*, quam tamen Aſtronomus Danicus ante aliquot annos obſervaſſe fertur. Planetas incolis ſuis inſtruit, quorum tamen, exceptis terræ incolis, ſtaturam de-
717. terminari a nobis poſſe, inficiatur. Omittere reliqua, anguſtia paginarum nos jubet. Addemus id unum, libro huic inter optimos ſui generis locum haud eſſe denegandum.

A PHILOSOPHICAL DISSERTATION UPON DEATH, &c.
hoc eſt,

DISSERTATIO PHILOSOPHICA DE MORTE, conſcripta, in ſolamen miſerorum, ab amico veritatis.

Londini, apud W. Mears, 1732, 8.
Plag. 12 dimid.

Quodſi fas eſt, congeriem portentoſiſſimarum opinionum, a ſanioribus Philoſophis pridem exploſarum, & contortas aliquot concluſiunculas, operoſe quidem, at ſine judicio, conſtipatas, honorifico Diſſertationis philoſophicæ nomine inſignire, vix aliud ſcriptum hoc ipſo, de quo agimus, eodem dignius haben-

habendum erit. Tanta nimirum eſt nonnullorum, qui ſibi ſolis ſapere videntur, temeritas, ut ſomnia ſua ac commenta univerſo mortalium generi tanquam oracula obtrudere non erubeſcant. Quorum ut augeret numerum, nulli pepercit operæ *Adalbertus* Comes *a Paſſerano*, quem Diſſertationis Autorem eſſe conſtat. Nos igitur, quæ horribilis libellus continet, ſententiarum monſtra brevi recenſione ante oculos Lectorum ponemus, quo appareat, nihil durius, quam par erat, in hominem dictum eſſe. Metus plena eſt horrorisque notio mortis, quam animis informant plerique omnes, ac tam altis defixa radicibus, ut a plurimis pro inſita quaſi ac naturali habeatur. Hoc vero ipſum quam ſit a veritate remotum, ſcriptione hac, ut oſtenderet, anniſum ſe eſſe, Autor profitetur. Dividit hinc cauſam omnem in *Capita duo*, quorum *altero*, quam vocibus *univerſi*, *naturæ*, *vitæ*, & *mortis*, ſubjiciat ſententiam, tradit, *altero*, an ſemet ipſum vita privare liceat, inquirit, atque, illud naturæ convenienter fieri, ac in actionibus perquam laudabilibus numerandum eſſe, cenſet. *Univerſum* ipſi eſt infinitum ſpatium, materiam continens, cujus minutiſſimæ partes in ſpatiolis vacuis, ubivis interjectis, perpetuo moveantur. Motus hic a materia ſeparari nequit, utpote quæ variis particulis conſtat, foraminulisque diſtincta eſt, per quæ individua corpora continuo tranſeunt, ac vel nova formant, vel formata deſtruunt ac diſſolvunt. Immo idem ille æque ac materia æternus eſt. Neque enim ex nihilo ortus eſſe, neque in nihilum redigi, poteſt. Cum igitur, quicquid exiſtit, neceſſario, ac conſequenter ab æterno, exiſtat, variationes etiam materiæ, ex motu ejus profectæ, æternæ eſſe debent. Quæ omnia, quibus doctrinis imbutus ſit Noſter, ſatis declarant. Materia hæc, motu ſuo in varias innumerasque mutata formas, eſt *natura.* Hæc ſapientia, potentia, & perfectione, ſumma prædita eſt. Præterea ſemper agit atque operatur, a quo ſi vel per momentum ceſſaret, jam aliquid imperfecti contraheret. Conſtans hæc ac perpetua operatio *curſus* ſive *legis naturæ* nomine venit. *Creatio*, ſeu *vita*, eſt modificatio naturæ, vi cujus corpus formatur, ab eo, quod olim erat, diverſum. Per *mortem* intelligit deſtructionem formæ totius, quæ ſenſibus percipi poteſt,

Digitized by Google

adeoque ab ea diſtincta eſt, quam, nobis non animadvertentibus, corpora omni tempore experiuntur; ac diſſolutionem quandam partium, quæ aliam identidem atque aliam formam induunt. Ad hanc deſtructionem quod attinet, humani corporis non aliter ac reliquorum comparata eſt ratio. Formam tantum mutat, materia perpetuo ſuperſtite manente. Nec, ſi proprie loqui velimus, exiſtere deſinit, ſed tantum alio modo exiſtit. Neque valet objectio, nos ſine dubio quandam ejus rei notitiam habituros eſſe, ſi prius jam quodam modo exſtitiſſemus, quam humana forma induti ſumus. Oporteret enim habuiſſe corpora, eadem ratione conformata, ejusdemque generis organis ſentiendi inſtructa, per quæ viſa non aliter atque nunc in animos impreſſa eſſent; id quod naturæ, quæ varietate delectatur, omnino adverſum eſt. Ex his perſpicue apparere putat Autor, metum mortis innatum minime eſſe, cum naturæ non ſit conſentaneum, ut quidquam in nihilum redigatur, a mutatione autem formæ adeo non abhorreat, ut eandem potius appetat, ac conſectetur. Sed longius adhuc procedit Autor, atque ex eo, quod in infantibus, ſtupidis, ac decrepitis, metus ille non deprehendatur, concludit, eum naturalem non eſſe. Qua in re nobis non aliter falli videtur, ac is, qui ingenium, memoriam, reliquasve animi facultates, hominibus naturales eſſe negaret, quoniam infantes, mente capti, vel ætate provecti, ejus uſu deſtituantur. Aſt quæ tandem metus hujus cauſa? Generatim cognitio periculi imminentis vel experientia, vel fide aliorum, innititur. Cum autem nemo bis mori poſſit, metus periculi, ipſa morte ſubeundi, ex experientia, tanquam fonte, dimanare nequit. Hinc ambitioſorum hominum faſtus, ignorantia ac ſtupore plebis ad explendam dominandi libidinem abutentium, effecit, ut iratos ei Deos perſuaderent, nunc & olim pœnas ab hominibus expetituros, niſi ſacrificiis & precibus expiarentur; quo modo ipſis metum mortis facillima opera incuſſerunt. His opinionibus, &, uti Autor exiſtimat, erroribus, cum homines una cum lacte nutricis imbuantur, mentes eorum non poſſunt non timore percelli, qui adeo malitiæ hominum fraudulentorum atque aſtutiæ ſuam unice debet originem. Et quid

mirum?

Digitized by Google

mirum? cum, quicquid creditur, ſi Autorem audias, hoc ipſum in *Diſſertationibus* ſuis *hiſtorico-politicis*, ſi Diis placet, ad oculum demonſtrantem, humani ingenii commentis, reipublicæ cauſa confictis, ſit annumerandum. Quibus ita pro autoritate disputatis, minutus noſter Philoſophus concludit, magno, qui mortem metuant, errore teneri, cum infantes, ſtupidi, ſenesque, ſuo exemplo contrarium doceant. His igitur præfultis, ad *Caput ſecundum* aggreditur. In quo, relictis omnibus, de eo disquirit, ſitne bonum malumve morale ejusmodi, ut vulgo quidem creditur. Hujus vero notiones naturales eſſe negat, quoniam furta, adulteria, ſcortationes, inceſtus, proditiones, plurimorum ſuffragiis damnata, multarum gentium legibus, tanquam virtutes, præſcribantur. Multus eſt Autor in colligendis ejusmodi exemplis, quæ ſingulatim percenſere, noſtri non eſt inſtituti, ac ex iis conficit, nullam nobis, bonum malumve morale diſtinguendi, facultatem ineſſe, immo, cum tot tantæque de eo ſint diſſenſiones, ne quidem diſcrimen inter utrumque re vera intercedere. Sed enim vero, ſi dicendum, quod res eſt, nec judicii, nec felicioris ſedulitatis, documentum prodit, qui in hiſce exemplis conquirendis operam conſumit. Fac, hæc ſeſe omnia ita habere; ecquid magno iſto labore effeceris, niſi ut pateſcat, non equidem naturam ſic eſſe comparatam, ſed tali modo homines deflectere de via, ac optimis principiis contrarie agere poſſe. Colligas, quæſumus, in unum, quicquid de hominibus monſtroſis, quos omnis terra tulit, unquam memoriæ proditum eſt. Magnum, per nos licet, conficias numerum. At vide, utrum pauciores futuri ſint, qui nævis careant, & cave ſimul, ne ludibrium debeas prudentioribus, dum, inter recta diſtortaque corpora nullum intereſſe diſcrimen, aut naturam nulli regulæ convenienter operari, inde pervincere ſtudes. Eandem in ſententiam judicandum eſt de eo, quod conſcientiæ in definiendo bono vel malo nullum relinquit locum; quando ejus morſus talia apud quosdam facta conſequuntur, quæ ab aliis in virtutibus numerantur. Immo, & ipſos morſus educatione ac diſciplina concitari, minime autem congenitos ac univerſales, verum locales & particulares, eſſe, ſatis leviter arguit

Digitized by Google

Noſter. Neque de morali, ſed de locali tantum, bono & malo quæri poſſe, contendit; quod utrumque in eo poſitum ſit, ut quieti felicitatique publicæ conveniat, vel ſecus. Sed, quemadmodum non omnis medicina cuivis ægroto ſalutem, ſed ſæpius perniciem, affert, ita etiam leges ac inſtituta, a quibus ſalus rei publicæ pendet, alteri ſalubria, alteri detrimento, eſſe poſſunt. Neque vero homines ob teterrima, ſi quæ commiſerint, facinora ſecundum Philoſophum noſtrum culpare fas eſt; cum nihil ſua voluntate, ſuaque ſponte, ſed neceſſario omnia, agant, atque in eo reliquarum rerum naturam ſequantur, quæ, niſi in naturali ſua operatione impediantur, nihil mali in alias inferunt. Uti igitur fumo nemo unus ſuffocatur, ſi liber illi datur exitus: nec flumina campos inundant, niſi iis remora injicitur: nec denique arbor, ramis frondibusque dives, herbas beſtiasque, umbra ejus lætantes, perdit, niſi ventorum vi frangatur; adeoque his omnibus injuſte vitio vertitur, quicquid mali ab iis ortum eſt; ſic homines, variis, quarum vim ſuperare nequeunt, impulſi cauſis, immo ipſa educatione malis aſſuefacti, ea neceſſario deſignant, quæ naturæ ipſi ſunt contraria, utpote quæ perverſis legibus inſtitutisque tota fere in deterius mutata eſt. Non tamen adeo amicus eſt naturæ Autor noſter, tantumlibet deamatæ, quin eam mox accuſet, plurimorumque criminum commiſſorum cauſam faciat. Utcunque hæc omnia ſeſe habent, malum bonumve phyſicum vere datur. Utrumque ex eo oritur, ſi legibus naturæ, quam Deam vocat Autor, obediamus vel ſecus, eidemque vel indulgeamus, quæ deſiderat, vel, a quibus abhorret, obtrudamus. Qua quidem labe illi inficiuntur facillime, qui ſuperſtitione, avaritia, atque ambitione, in transverſum rapiuntur. Hæc eadem benefica parens, natura, hominis felicitatem intendit, vitamque adeo ea concedit lege, uti ex voto eam agat. Quodſi hæc vero miſera eſt, non veluti injuſta noverca vi facta eum impellit, eandem ut ſervet, verum, mille propemodum foribus apertis, ea excedere permittit. Jure igitur ſuo, cum reliquis animantibus communi, is utitur, ſi necem ſibi conſciſcit ipſe. Immo ne in ſocietatem quidem, cujus eſt membrum, hoc modo injurius cenſeri debet. Hæc

enim

Digitized by Google

enim mutuæ felicitatis cauſa cum ſit conſtituta, cuilibet eam deſerere licet, ſi ab ea nihil commodi exſpectare habet. Multo autem minus cogi poteſt, ut malorum ſocietatis particeps ſit, ſe non conſentiente inſtitutæ. At nec in ſe ipſum peccat. Natura enim poſtulat, ut ex pluribus malis, quæ evitari nequeunt, minimum eligamus. Cumque mors certiſſima ſit, quo quis eidem vel ob ætatem, vel corporis infirmitatem, eſt propior, eo agit ſapientius, facillimum genus eligendo. Tandem nec providentiæ ordinem intervertere Autori videtur. Æternæ enim motus leges variare nequeunt. Utcunque mutetur materia, operationes naturæ nihilo minus ſunt perfectiſſimæ, nec ab hac illave partium conformatione pendent. Inſulſa ſecundum Autorem eſt opinio, qua inde a teneris imbuuntur homines, ſe entium omnium eſſe perfectiſſimos, reliqua ac omnia ſui commodi cauſa creata eſſe. Hinc perſuaſio, totam confundi naturam, ſi vel unus mortalium pereat. Qui ſi recogitarent, mundorum myriades, hoc noſtro orbe multo pulchriores, atomum eſſe reſpectu totius univerſi, de ſe ipſis haud paullo modeſtius ſentirent. Hæc crudarum, maleque cohærentium, meditationum Autoris ſumma eſt, quem, ne quid amplius moneamus, illud *Martialis* cogitare vellemus:

Rebus in adverſis facile eſt, contemnere vitam ;
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

JACOBI FACCIOLATI RUDIMENTA Logicæ. Editio ſecunda, retractatior.

Venetiis, ære Jo. Baptiſtæ Albritii, Hier. fil. 1737, 8.

Plag. 9.

Habes hic, Lector, veluti Lexicon quoddam formularum, quæ in diſputando de re quavis adhiberi ſolent. De Logica *Ciceronis* definitio affertur, quo judice illa eſt ars veri & Pag. 5.
falſi diſceptatrix ac judex. De ejus neceſſitate Cel. Autor ita 12.
ſentit, ut *naturalem* perhibeat eſſe neceſſariam, *acquiſitam* non
item. Opuſculum abit in *Syntagmata tria. Primo* exponitur 14.
de facultate cognoſcente; *ſecundum* inſcriptum eſt de ſigno ve-

ritatis cognoſcendæ; *tertio* exponitur de actione facultatis co-
gnoſcentis. *Tertium* porro dividitur in *Partes quatuor. Prima*
de perceptione agit, nominatim de notione, de idea, de idea-
rum claſſibus, de voce, de definitione, de diviſione, & de vocum
Pag. 15. proprietatibus. *Secunda* inſervit illuſtrandæ enunciationi, cujus
natura, partes, & proprietates, explicantur. *Tertia* complecti-
tur ratiocinationem, ejusque naturam & partes, formas, ſyllo-
giſmum ſimplicem, imperfectum, compoſitum. *Quarta* con-
tinet doctrinam de methodo, cujus natura, partes, ac leges,
ediſſeruntur. Criterium veritatis, ipſo judice, duplex eſt, evi-
23. dentia & vividus ſenſus. Per evidentiam intelligit rerum natu-
ras & modos, & quicquid neceſſaria conſecutione conſtat. Per
vividum ſenſum intelligit *adperceptionem*, ſeu conſciam rei præ-
ſentis mentem. Cel. *Hollmannus* hoc criterium veritatis ſubje-
ctivum, ſi quis unquam alius, pulchre indagavit & expoſuit. Il-
luſtris *Chriſtianus Wolfius* magis objectivum, quam ſubjectivum,
27. ſtabilivit. Criterium eorum, quæ ſupra naturam ſunt, Noſter
33. conſtituit revelationem certam atque exploratam. Ideam defi-
nit per formam quandam, animo comprehenſam, ſeu id, quod
in mente eſt, dum mens cogitat. Gignitur autem, ut nobis vi-
detur, a mente ipſa, quoties lumen ſuum per attentionem in
res cognoſcendas convertit. Quæ de methodo afferuntur, ſunt
ſuccincta, ſed ſoliditate ſua ſeſe commendant. Si Cel. Autor
adhibuiſſet in ſubſidium Autorem artis cogitandi, *Lockium* de
Intellectu humano, *Croſæ* Tentamen Logices, *Rudigeri* Senſum
veri & falſi, *Chriſtiani Wolfii* libellum de Viribus intellectus hu-
mani, meliora quidem exhibuiſſet, an autem ornatius, quam
ſcripſit, tum ſcribere potuiſſet, eſt omnino ambigendum.

Geographiſche Beſchreibung des Fürſtenthums Oſt-Friesland, ꝛc.

iſt eſt,

DESCRIPTIO GEOGRAPHICA PRINCIPATUS Friſiæ Orientalis & finitimæ terræ Harlingorum, una cum Genealogica dominorum hujus Friſiæ Tabula.

Auricæ, 1735, 8.

Plag. 10.

Nach-

Nachleſe zu der Geographiſchen Beſchreibung, ꝛc.
id eſt,
SICILIMENTUM DESCRIPTIONIS ILLIUS Geographicæ.

Auricæ, typis Hermanni Tapperi, 1736, 8.
Plag. 2.

Autorem, licet ipſe nomen ſuum haud expreſſerit, facile ex lecto libro perſpicere vel divinare plurimi valebunt. Qui enim attente legunt ea, quæ *pag.* 33 exſtant, haud ægre fatebuntur, Eccleſiaſten aulicum Auricenſem, Pl. Rev. *Bertramum*, hujus fœtus verum eſſe parentem. *Ubbonis Emmii Deſcriptio Chorographica Friſiæ Orientalis* A. 1616 primum in lucem exiit, Latine & pro patriæ incolis ſcripta. *Jacobus Iſebrandus Harckenroth* edidit librum de originibus Friſiæ orientalis, dictum *Ooſtfrieſſe Oorſpronckligheden*, critice & antiquitatibus eruendis congruenter ſcriptum. Libellus, *tegenwordig levende Ooſtfriesland*, nomina ſine deſcriptione adjecta exhibet. Hiſce libris deſcriptio, quæ præ manibus eſt, multis paraſangis antecedit, aliisque exemplo eſſe poterit, terras ut paſſim patrias eadem ratione perſequendi atque percenſendi occaſionem arripiant. Si villæ exciſæ & caſtella vaſtata fideliter ſimul annotentur, ſcriptoribus priſcis jucunda lux accenditur. Dolendum, in pleriſque Germaniæ regionibus obſervationes accuratas, easque aſtronomicas, inſtitui nullas, & eo quidem pacto mappas geographicas dari poſſe non niſi vitioſas. Unde Friſii fuerint dicti, incertum eſſe, pronuntiat Autor. Pag. 2.
Si quid divinando aſſequi valemus, illi nomen obtinuere ex veteri voce Celtica *wriſen*, ſeu *writen*, id eſt, *dividere, diſcerpere.* Noſtri adhuc ad Viſurgim incolæ partem braſſicæ, ſeu caulis portionem, vocant *Kohlwriet.* Friſii enim, olim in angulo ad mare habitantes, a Teutonis Belgisque & Gallis erant diviſi. Terra Harlingorum complectitur dominia *Eſens, Stedesdorf,* & *Wittmund,* quondam feuda, a Ducibus Gelriæ poſſideri ſolita. Principatus Friſiacus conſtat ex tribus oppidis ac novem
præfecturis, atque aliquot dynaſtiis. Embda inde ab A. 1595 *Edzardi II* 21.
ditionem reſpuit, &, Belgii fœderati auxiliis tecta, ſui eſt juris. Norda ex- 51.
ſtitit patria Polyhiſtoris celeberrimi, *Hermanni Conringii.* Gretſylæ in- 44.
cunabula debent Principes Auricenſes, nec non ipſe *Ubbo Emmius.* Sinus *Dollart* inter annos 1277 & 1287 fuit exortus. Ad caſtrum *Ort* 63.
A. 1514 *Henricus* ſenior, Dux Brunſuico-Luneburgicus, in obſidione, qua locum preſſit, tormenti majoris ictu interiit. Eſenam illuſtrarunt 72.
The-

Theologus inſignis, *Hulſemannus*, JCti, *Ulricus de Eiben*, Judicii Came-
Pag. 88. ralis Wezlarienſis Aſſeſſor, ac *Enno Rudolphus Brenneyſen*, Conſiliarius intimus Principis *Georgii Alberti*, nec non Mathematicus & Aſtronomus celeberrimus, *David Fabricius*, Paſtor Oſteelenſis, quorum ſinguli Eſenam habuere patriam. *Ilau* locus videtur nobis dictus ex *Il*, *Ile*, hirudine, & *Au*, id eſt, *aqua*. Fit quoque veroſimile, regionem *Riderian*, Reiderland, ita dictam eſſe ex rivulis, quos Celtæ vocarunt
75. *rien*, *riden*, *riuden*, *rüdern*. Omittimus reliqua. Ex genealogicis hanc decerpemus Tabulam, Tabulis vulgaribus præferendam:

100 ſeq. *Sircſena*, Capitaneus Gretſylæ & Nordæ,

Sircſena

Edzardus, medio Seculo XIV,

Ulricus, † 1377 in prælio contra Wimodios in Hadeleria, — *Enno*, Ux. *Adda*, hæres Capitanei Grothuſæ,

Edzardus, Capitaneus Gretſylæ, Ux. *Doda*.

Imelo. — *Haro*. — *Enno*, † 1450. Ux. *Gela de Manſlacht*. — *Deda*, nupta *Rederto*, Capitaneo Grothuſæ.

Juvat afferri etiam de emortuis Capitaneorum familiis, qui quondam per Friſiam Orientalem floruere, notitiam. *Ennonis de Embda*, qui A. 1545, tertio & vigeſimo ætatis ſuæ anno, Pariſiis obiit, hanc probabilem Autor pl. Rev. affert Genealogiam:

Ulricus I, Comes Imperii, † 1466,

Ucco, † 1507,

Rudolphus Sircſena, extra torum natus,

Enno de Embda, cui Pariſiis monumentum ſepulcrale ſtatutum fuit A. 1545, 18 Jul.

Horn vocem ipſe Autor notat, quippe cui ibidem ſit ſignificatio anguli. Idem ſignificatus viget ad ſilvam Herciniam, ubi angulus ſilvarum vocatur *Hartzhorn*. Si conſimiles libri de partibus Germaniæ reliquis conſcribantur emittanturque, haud difficile fuerit, lacunas, quibus laborat Geographia pagorum Germaniæ ad initium usque Seculi XII, explere, & errores, hinc inde in ea admiſſos, emendare.

✡ ✡ ✡

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio XI.

CLERICUS ROMANUS CONTRA NIMIUM RIgorem munitus duplici Libro, quorum uno veteris Eccleſiæ ſeveritatem, altero præſentis Eccleſiæ benignitatem, a rigidiorum quorundam Scriptorum calumniis vindicat P. BALTHASAR FRANCOLINUS, Societatis Jeſu Theologus.

Venetiis, ex typographia Balleoniana, 1737, fol.

Alph. 4 plag. 3.

Petro, Apoſtolorum Principi, Autor librum inſcripſit ac dedicavit, quem delicti, quondam commiſſi, ac pœnitentia ſeria expiati, poſt tot Secula admonere non intermittit. Ipſe nulli parti ſeſe addictum credit, nec benignitatis ſtudioſum, nec rigoris amantem. Occaſio libri enata fuit ex inſtituto Theologorum & Presbyterorum, qui abhinc aliquot annis in Belgio, Gallia, & Italia, rigorem quendam in doctrinis moralibus profeſſi ſunt, & Sacramentum pœnitentiæ rigidius, quam aliis æquum videtur, adminiſtrarunt. Variæ enim inde exortæ fuerunt turbæ, adeo, ut Confeſſarii plurimi inducti fuerint, ut a pœnitentiis aliorum excipiendis ſeſe ſubducerent. Rigidi illi pœnitentiæ excipiendæ adminiſtri & judices, ut vehementiam ac rigorem defendant, exemplum veteris eccleſiæ ſeſe ſequi prædicant.

Ppp Quare

Digitized by Google

Quare in eo eſt Autor, ut oſtendat, veterem eccleſiam non tam fuiſſe rigidam, quam ſeveri illi pœnitentiæ arbitri putent; nec præſentem eccleſiam adeo eſſe lenem & benignam, ut emendatione in hac cauſa indigeat. *Morinum* laudat, &, nimis rigidum quippe, aliquantum excuſat. *Merbeſium* & *Jueninum* ſua laude dignos judicat, ſed quibus in fervore diſputationis nonnihil exciderit, quod minus reverenter dictum videatur. Scribit Autor pro eccleſia præſenti, ejusque doctoribus recentibus, adverſus rigidos diſciplinæ eccleſiaſticæ inſtauratores & vindices. Quem in finem, Romanam eccleſiam a rigore ſemper abhorruiſſe, it demonſtratum. Rigorem exiſtimat a Janſeniſtis revocari, qui in Theologia dogmatica ament ſpeculationes, in morali vero rigorem. Cum Phariſæis eos comparat, eorumque indolem vocat tetricam, ſuſpicioſam, artificioſam, ambitioſam, immiſericordem, & tyrannicam. *Libro primo* per modum *XII Diſputationum* veterem eccleſiam a ſeveritate crudeli abſolvit, refutando totidem calumnias, quas ita enumerat: 1) Clericis, præſertim majoribus, in quædam ſcelera prolapſis, vetus Eccleſia veniam negavit. 2) Quibusdam criminibus, nempe apoſtaſiæ, homicidio, & adulterio, nunquam fuit per aliquot Secula data venia. 3) Iis, qui ſtudioſe diſtulerant ad extremum vitæ pœnitentiam, ab eccleſia veteri negata penitus venia fuit. 4) Reis, ad mortem damnatis, olim Eccleſia veniam negavit, aut negari permiſit. 5) Iis, qui poſt ſolennem pœnitentiam relapſi erant, Eccleſia vetus veniam & abſolutionem etiam in morte negavit. 6) Pœnitentibus injungebat olim Eccleſia publicam occultorum quoque criminum confeſſionem. 7) Publica pro delictis etiam occultis pœnitentia ſubeunda fuit ex veteris Eccleſiæ diſciplina. 8) Pro peccatis quibuslibet lethalibus publicam pœnitentiam impoſuit vetus eccleſia. 9) Per viginti & amplius annos variis magnisque corporis animique laboribus ſuos pœnitentes exercere ac probare conſuevit vetus Eccleſia. 10) Per vim fuere fideles veteris eccleſiæ ad publicam & ſeveriſſimam pœnitentiam compulſi. 11) Pœnitentes ſolum poſt impletam pœnitentiam abſolvere conſuevit vetus eccleſia. 12) Confeſſariis fuit olim permiſſum, aut etiam injunctum, ut pœnitentium peccata, ad eos

in

in officio continendos, revelarent. Haſce 12 propoſitiones loco calumniarum habet, easque refellere aggreditur. Vindicat deinceps ſuæ eccleſiæ præſentis benignitatem, quam a laxitate & injuſta lenitate differre exiſtimat. Ea, quæ adverſus eam in contrarium monentur, itidem in claſſem calumniarum 12 conjicit, quas ita collocavit: 1) Eccleſia præſens in adminiſtrando Sacramento pœnitentiæ, & vindicandis fidelium culpis, a veteri Eccleſia penitus receſſit. 2) Refrigeſcens fidelium charitas benignitatem præſentis eccleſiæ invexit. 3) Confeſſarii Theologique, quorum cauſa rigidioris pœnitentiæ diſciplina deſiit in eccleſia, fuere religioſi, præſertim mendicantes, qui ex inſtituto ſuo non ſunt audiendis ſecularium confeſſionibus ſatis idonei. 4) His ultimis temporibus benignius fuit, quam Seculo XIII, quo benigna hæc praxis invaluit, Sacramentum pœnitentiæ adminiſtratum. 5) Recentiores Theologi ſcholaſtici moralesque, dum inutilibus quæſtionibus tempus terunt, & ex genio ingenioque ſuo magis, quam ex doctrina Patrum, reſpondent ſcribuntque, magnum Theologiæ morali ae foro pœnitentiæ damnum inferunt, aut facile inferent. 6) Præſens benignitas in adminiſtrando hoc Sacramento non eſt conſentanea Scripturis, & ejusdem Sacramenti inſtitutioni. 7) Prædicta benignitas regulis Patrum & ſententiis adverſatur. 8) Rejecta a ſanctis viris, & præſertim a D. *Carolo*, præſens benignitas fuit. 9) Etiam nunc eadem benignitas a melioris notæ Theologis & Sacerdotibus, ac proinde a meliori Eccleſiæ parte, reprobatur. 10) Prædicta benignitas non eſt ſatis tuta, adeoque Sacramento injurioſa. 11) Eadem fidelibus pernicioſa eſt. 12) Temperanda ſaltem eſt aliquo rigore majori præſens eccleſiæ benignitas. Hæ ſunt illæ, quas vocat, 24 calumniæ, quas priusquam profliget, veteris pœnitentiæ deſcriptionem præmittit. Presbyteros & Diaconos publice pœnitentiam criminum egiſſe, negat, largiens, eos de gradu dejectos fuiſſe, ac ad laicalem deinde communionem Pag. 3.
admiſſos. Omittimus reliqua, per Dialogum, doctorem inter & diſcipulum, propoſita & expoſita. *Liber tertius* de diſciplina 345 ſeq.
pœnitentiæ inſcribitur, in quo traditur, qualis ea exſtiterit & eſſe debeat in foro interno, ex communi doctrina Theologorum,

rum, qui his ultimis ſex aut quinque Seculis ſcripſere. Adjunctus hiſce eſt *notabilium rerum Index*, jejunus & ſterilis. Accedit tandem *Tirocinium theologicum*, quo traditur compendiaria notitia Theologiæ ſcripturalis, ſcholaſticæ, & polemicæ, facultatis canonicæ, Theologiæ moralis, ac Theologiæ myſticæ. Præterea Concilia œcumenica, Pontifices, Patres, Patrum ſcripta genuina, controverſiæ fidei, hæreſes, propoſitiones, chrono-
Pag. 499. logice proponuntur per *ſex Partes*. Lutheranos ingenioſe dividit in *integros*, & *Semilutheranos*, & *Antilutheranos*, quorſum *Anabaptiſtas* & *Cinglianos* refert; præterea in *Confeſſioniſtas*, eosque vel *rigidos*, vel *molles*, vel *extravagantes*. Ultimos ita definit, ut eos perhibeat Confeſſioni Auguſtanæ quidem ſubſcripſiſſe, ut Principibus placerent, ſed interim ſectari dogmata *Luthero* contraria. Eadem, opinor, ſoliditate quis diſtinguere poſſet *Ottonem IV* in Cæſarem & Anti-Cæſarem, Chriſtum in Chriſtum & Antichriſtum. Deinde *Calvinianos* in claſſes ſuas diſtribuit. In *Michaelis Baji* & *Janſenii* ſententiis recenſendis
512. eſt ſatis copioſus & longus. Ultimo loco elementa Theologiæ myſticæ percenſet, in qua de juſtificatione per merita Chriſti nihil apparet. Agmen claudit Index, ut diximus, qualiscunque.

L' INTRODUCTION A L' HISTOIRE DE L' ASIE, de l' Afrique, & de l' Amerique, &c.

id eſt,

INTRODUCTIO AD HISTORIAM ASIÆ, AFRICæ, & Americæ, inſerviens continuationi Introductionis Hiſtoriæ L. B. DE PUFFENDORF, conſcripta a BRUZENIO LA MARTINIERE, Geographo Majeſtatis Catholicæ.

Tomi II.

Amſtelodami, ſumtibus Zachariæ Chatelanii. Accedit tabula Africæ geographica *Sanſonii d' Abbeville*, & alia, Americam exhibens, ejusdem Autoris, 1735, 12.

Alph. 1 plag. 20.

Puffen-

Digitized by Google

Puſſendorſius, cum ad Compendium Hiſtoriæ Europææ appelleret animum, eum ſibi præſtituerat finem, ut pragmatice erudiret lectorem de ſtatu regnorum & rerum publicarum, ad quem per varias viciſſitudines emerſerunt, de viribus ac infirmitate earum, de unius in alteram effectu, ac de nexu earum mutuo. Nec opus erat, ut de reliquis mundi ſeu potius terræ partibus ulla adderetur notitia, ſiquidem nullus Europæ Princeps vel regiminis conſiliarius ſtudet earum cognitioni pragmaticæ, ſi exceperis rerum maritimarum præfectos, qui pleraque ipſis triſtiſſima in abſtruſis abditisque retinent. Sed quid Aſiam, Africam, & Americam, modo, ni pari, ſimili ſaltem, deguſtaſſe nocet? Commerciis nationes Europææ cum eis regionibus conjunguntur, ibique poſſeſſiones ac territoria ſua tenent. Et quis ad terras illas propius noſcendas innumerabilibus itinerum libris animum tempusque fallere poteſt? Quis apparatu eo eſt inſtructus, ut opus ſimile, decenter & ordine coagmentatum, colligere, ac publicæ luci committere, audeat? De Califis, ſeu ſucceſſoribus *Muhammedis* copioſe & egregie hic præter opinionem noſtram agitur, licet *Ganieri* Hiſtoria ſucceſſorum *Muhammedis* in uſum transferri haud potuerit. De America in medium haud afferuntur ſingula, ſed ea potiſſimum, quæ ad Mexicanum & Peruvianum regnum pertinent. Autor uſus fuit præcipue Rev. Patris *Charlevoix* Hiſtoria inſulæ S. Dominici (*Hiſtoire de S. Domingue*). Oſtendit autem elegantiſſime, *Americum Veſputium* fuiſſe ventoſum oſtentatorem, quippe cui terræ continentis detectio nequaquam ſit tribuenda. Regio inter Antillas & Vrenocam omnino in itinere tertio a *Chriſtophoro Columbo* fuit inventa. *Ojeda* continuavit, beneficio commentariorum *Columbi*, detectionis hiſtoriam. *Americus Ojedæ* fuit ſocius itineris maritimi, ejusque a nutu, tribuni quippe ſeu præfecti nautici, pependit. *Ojeda* diu veſtigia itineris, a *Columbo* jam triti, ſectatus fuit. Commemorationes *Americi* hodœporeticæ, quas poſtea ipſe edidit, non uno maculatæ ſunt errore. Quis enim credet, eum ab *Emanuele*, Luſitanorum Rege, ad Americam detegendam delegatum fuiſſe? Quærimus fortaſſe, cur *Americo* dudum id honoris ſit delatum, ut autor detectæ Ame-

Tom. I Præf. pag. 18 ſeq.

Americæ exiſtimetur? Autor hanc reddit ejus rei rationem. *Americus* de Braſiliæ littoribus Mappam adornavit geographicam, minus accommodatam rei ipſi, cui nomen ſuum, *Americi* ſcilicet, inſcripſit. Hoc pacto *Americus* immortalitati nomen ſuum conſecraſſe, & America nomen indepta eſſe, creditur. In Africæ deſcriptione hiſtoria regni Mexicani & Congo non ſatis accurari potuit. De Ægypto nihil admodum diſſeritur. Caput, de Pegu conſcriptum, brevitate laborat. Hiſtoriam Imperii Mogolitici egregie executus eſt Rev. P. *Catrou.* Ipſam Autor hic dedit ſatis ſuccinctam. *Tomus primus* continet *novem Capita*, de Japonia, de China, de Tartaria, de Tonquino, Laos, Siam, inſula Java, Pegu, Ava, & Arracan, de imperio Mogolis, de Califis, ac de Perſide. *Tomus ſecundus* complectitur *Capita duo* de Africa, *prius* de Abiſſinia, ac *poſterius* de Tripoli, Tuneto, ac Algeria; ac præterea *decem Capita*, quibus America illuſtratur.
Tom. II pag. 99. *Capite prima* diſquiritur, an veteres cognitam habuerint Americam; quid præceſſerit detectionem Americæ primam; quasnam terras patefecerit *Columbus.* Adjiciuntur Hiſpanorum conatus reliqui, occupatio regni Mexicani, Caſtiliæ aureæ, Peruvii, Braſiliæ, ac poſſeſſiones Gallorum, Hollandorum, Anglorum, Suedorum, Danorumque, in America acquiſitæ, poſthæc enumerantur.
26. Abaſſinorum Reges recentiſſimi ita exhibentur ſucceſſiſſe:

Joann-Aleaf-Saghed † 1680.

Joſeph-Adiam-Saghed † 1706, dejectus a filio *Taklimanut.*	*Tiſilis*, ſeu *Tetilis*, 1709, †1713, dejectus.	N. N. filia ~ *Ouſtas* 1714.	*David* 1714.
Taklimanut 1706, † 1709, dejectus.			

34. Tripolis, noſtræ ætatis urbs, ſub impreſſionum Saracenicarum tempore fuit condita, veteri everſa. *Tatari* & *Mungali* dicuntur ita ex nominibus filiorum *Alanzæ-Chan*, quorum priori nomen erat *Tatar*, & poſteriori *Mung'l*, ſive *Mogol*, ſi Noſtro credimus, qui Imperatores, Reges, Duces, formam imperii, mores hominum, terrarum faciem ac naturam, reditus, ac alia momenta

Digitized by Google

menta hiſtorica, ubique recenſet ſolide ac copioſe pro ratione inſtituti, indicatis paſſim fontibus, ex quibus ſua hauſit ac delibavit. Quomodo primi incolæ in Americam pervenerint, fuſe inquirit. Canarias Inſulas hiſtorice attingit, originem detectionis egregie perſecutus. Flandri A. 1447 Inſulas Azorum aperuerunt. De *Chriſtophoro Columbo* varia diſſerit, quem ex Placentia Lombardiæ arceſſit, generis ejus quippe domicilium, quod ex Aſtronomia & hodœporeticis libellis ſapere aggreſſum fuerat. *Bartholomæus*, ipſius frater, ſeſe applicuit inveſtigandæ ac addiſcendæ Coſmographiæ. *Criſtophorus* uſum aſtrolabii primus adhibuit in maritimis itineribus. In quibus obſervavit cadavera, ab Occidente per mare allata, & ad littora inſularum appulſa. Hæc a corporibus & Inſulanorum & Europæanorum & Africanorum diverſa notavit. Ventos ipſos obſervavit ab occaſu adflantes, quos ex terris longinquis advenire non dubitavit. Genuenſes & Luſitani nihili fecerunt ipſius inſtitutum. In Hiſpania multi eum vix audire dignati. Tandem pacta coierunt, jubente Regina *Iſabella*. A. 1492 d. 3 Aug. *Columbus* mari ſeſe commiſit, inſtructus tribus navibus, annuis cibariis, ac 26 nautis, ſuperatisque & maris & ſociorum murmurationibus, unam Lucaicarum, S. Salvatori ſacratam, incolumis attigit inſulam. Cum repetiiſſet id iter tertio, invidia, inprimis *Fonſecæ*, Epiſcopi, Regi cœpit haberi vilior. *Ojeda*, generoſo in Hiſpania genere ortus, adjutor *Columbi* in exquirendis detegendisque inſulæ Hiſpaniolæ fodinis auri, inſtante anno 1500, ipſe expeditionem, juſſu Regis præmunitus, in novum orbem ſuſcepit. Comitabatur illum *Americus Veſputius*, dives Florentiæ mercator, rei nauticæ & aſtronomicæ peritus, ſocius itineris, vel, ſi mavis, *Ojedæ* ſubjectus. Hic in ephemeridibus ſuis poſthæc plurimas congeſſit fictiones, ſibique immerito laudem eam tribuit, qua plerumque ornatur ab iis, qui cum ipſo tradunt, inveniſſe eum continentis oram ac primas regiones primum. Quantum vero ii, qui ſic ſentiunt, a veritate aberrent, Autor, ſeſe peculiari Diſſertatione docuiſſe, refert. Non eſt noſtrum, ſeriem expeditionum reliquarum, in Americam ſuſceptarum, repetere vel enarrare per modum compendii. Hiſpanorum crudelitatem, in

Marginal references: Pag. 100 ſeq. (at "originem detectionis"); 117 ſeq. (at "quem ex Placentia"); 120. (at "Bartholomæus"); 129. (at "A. 1492"); 133. (at "Cum repetiiſſet"); 147. (at "congeſſit fictiones").

in priſtinos Americæ incolas exercitam, copioſe Autor paſſim
Pag. 170 ediſſerit. Braſiliæ nomen impoſuerunt Luſitani ob multitudi-
ſeq. nem ligni, quod veteres appellarant *barſel* & *braſel*, id eſt, du-
316. rum inſtar *ferri*, ibi inventam. De Luſitanorum aliarumque
nationum poſſeſſionibus, intra Americam acquiſitis,poſtquam ex-
poſuerat Autor diſtincte & ſolide, oratio ejus ad notitiam de
413 ſeq. Gronlandia & Yslandia ſuppeditandam deflectit. Loco Indicis
acceſſit catalogus librorum & copia & argumento rariori præ-
ſtabilium, quibus eminet *Zachariæ Chatelanii* officina.

SACRI JUDÆORUM RITUS ANTIQUI, SEcundum res geſtas & dogmata illorum, ad Codicis ſacri utriusque Fœderis illuſtrationem deſcripti a M. JO. LEONH. RECKENBERGERO, Ampliſſ. Ord. Philoſ. in Academia Jenenſi Adjuncto.

Jenæ, impenſis viduæ Jo. Rudolphi Crœkeri, 1740, 8.
Alph. 2 plag. 4, Tab. æn. 11.

Diligentiſſimus Autor in præmiſſa ad Senatum Ratisponenſem Dedicatione debitas huic pro beneficiis, ſibi per tria luſtra præſtitis, perſolvit gratias. Ex Præfatione autem ad Lectores apparet, ordinem chronologicum in deſcribendis Judæorum ritibus ab Autore eſſe ſervatum, & ſelectus ubique habitam rationem; quod utrumque maxime erat neceſſarium, quia ritus ſemper migrare ſolent, &, qui in uno luſtro fuerunt in uſu, non itidem in altero valuerunt. Et, licet valde incerta ſit antiquiorum rituum hiſtoria, ac propter cognationem rituum apud alias gentes variis obnoxia difficultatibus, (ut taceamus linguam & ſtilum veterum Judæorum obſcurum præſertim in Gemara,) iſtas tamen ſuperare allaboravit Autoris diligentia, judicium ſæpe exercentis in conciliandis diverſis Talmudiſtarum ſententiis, non raro etiam falſa Judæorum dogmata data occaſione refutantis, & præſertim copioſi in Capite de Meſſia, oſtendentis etiam ſæpiſſime, ubi ipſi Judæorum doctores in his vel illis rebus inter ſe diſcrepent, errores autem eorum penitus deſtruendos Theologis relinquentis, & judicium de his rebus ſuſpendentis. In Paragraphis XI prioribus ideo quædam vulgaria & trita præmiſiſſe
videtur

Digitized by Google

videtur Autor, ut ad ſubſequentem tractationem ſibi per illa pararet tranſitum, recte monens §. 21, debere ſibi ſcriptorem antiquitatum a religionis controverſiis temperare, et illos, quos pertractat, ritus ex veterum Judæorum teſtimoniis probare, teſteſque hiſtoriæ illius, quam narrat, præſtantiſſimos, eosque, ſi fieri poſſit, æquævos, eligere: quod præſtare non poſſit, niſi notitia Chronologiæ, Hiſtoriæ, Geographiæ, & Chorographiæ ſacræ, item ſtudio Rabbinico & Talmudico, probe ſit imbutus; nec anguſtos ſibi differendi cancellos figere, ſed ad ſtatum eccleſiaſticum, politicum, œconomicum, ad naturam cœli, aeris, &c. reſpicere, quia, licet hæ res non omnes ſint ritus, arctum tamen cum ritibus habeant nexum, & influxum quaſi in illos, ut temere omitti non debeant etiam phyſica. Ideo & Autor de temperamento Judæorum cholerico-melancholico agens, cauſas hoc modo anticipat, cur hi vel illi ritus apud Judæos invaluerint; recte etiam judicat, experientiam teſtari, Judæos vetuſtiores ſemper eſſe ſapientiores recentioribus. Et, licet multa antiquitatum Judaicarum monumenta perierint, multa tamen adhuc ſuperſunt, ex quibus Autor Codici ſacro multum fœneratus eſt lucis, admittens etiam interdum recentiorum Judæorum teſtimonia. Potiſſimum autem Talmud Hieroſolymitanum & Babylonicum, quæ duabus partibus conſtant, *Miſchnah* ſcilicet & *Gemara*, vocavit in ſubſidium, etſi de ætate & autoribus utriusque Talmudis certam ſententiam ferre non audeat, indicans tantum, Babylonicum Talmud majoris æſtimari a Judæis, quam Hieroſolymitanum, & ipſi Scripturæ S. præferri. Agit etiam de origine operis Talmudici ex mente Judæorum, non approbans illos, qui nimiis illud laudibus cumulant, nec illos, qui nimium deprimunt, ſed media incedens via, & potiores Tractatuum quorundam Talmudicorum translatores, librosque Judæorum rituales, recenſens. Quia autem ſcriptoribus Vet. & Nov. Teſtamenti ſæpe opus fuit ad ritus aliarum gentium, præſertim Judæorum, reſpicere; facile patet,

Digitized by Google

rituum ejuſmodi gentium cognitionem valde eſſe neceſſariam. Tuetur vero Clariſſ. Autor illorum ſententiam, qui, contenta Talmudis non a Jeſu Nazareno accepta, ſed ab ipſis Judæis longo poſt Chriſti tempora intervallo excogitata, ſtatuunt. Opus quippe Talmudicum cum longe recentius ſit Chriſti ætate, hac etiam occaſione Celeb. *Opfergeltium*, in contraria ſententia verſantem, refutat, etſi non adeo validis, ut nobis videtur, argumentis. Agit etiam de *Maimonidis* ſcriptis, & Autoris hujus nævis, de libris R. *Aben Ben Aſcher* Rabbinicis, libro *Sohar*, *Bereſchit Rabba*, & de Commentatoribus Judaicis in Vet. Teſt., nec non de illis, qui collectanea conſtitutionum Talmudicarum ediderunt. Sed utique, monente Autore, cautione opus eſt in lectione ſcriptorum Judaicorum, quia ſæpe falluntur & fallunt, atque varia fingunt. Ritus tamen eorum a gentilibus originem non habuerunt, ut quidem putat *Marshamus*, cujus opinio non firmior eſt, quam *Spenceri* de Zabiis, Philoſophis. Non ſolum autem veteres, ſed etiam recentiores, ſcriptores, qui antiquitates explicarunt, præcipuos & notiſſimos indicat Clariſſ. Autor, etſi nullo fere ſelectu habito; & miratu dignum eſt, inter recentiores antiquitatum Ebraicarum ſcriptores non eum *Relandi* meminiſſe. At rectiſſime ad rituum ſacrorum cognitionem paraphraſes Chaldaicas & libros Apocryphos commendat. Theologiæ autem & Philologiæ ſtudioſis, quibus præ ceteris rituum veterum cognitio prodeſt, eo eſt reſpiciendum, ut alienæ a Judæorum religione fidei ſcriptores caute legant, quia ſæpe non veritati, ſed odio in Judæos, dare ſolent locum. Phraſes Talmudicæ, quas Autor *pag. 42* cum Biblicis contendit, an exacte iisdem reſpondeant, aliorum relinquimus judicio; facile tamen accedimus ejus ſententiæ, non ſolum ritus veterum, ſed & recentiorum, Judæorum noſſe, valde neceſſarium & utile judicantis. Hiſtoriam autem populi in tres periodos dividit, & de illius populi hiſtoria ante legem *Moſis*, de eadem ſub lege, & tandem ſub temporibus Meſſiæ, agit, verum Dei cultum ab eo ipſo hominibus, quibus frequentiſſime apparuit, revelatum eſſe, recte ſtatuens, ſolide etiam agens de ſacrificiis, & eorum ratione, quæ divinæ ſint originis, & jam *Adami* tempore in mortis Meſſiæ

Digitized by Google

Meſſiæ futuræ memoriam ordinarie, non extraordinaria tantum, ut *Lightfootus* putat, occaſione, fuerint oblata. Hic etiam diſquiritur, an *Abel* & *Cain* ſacerdotes fuerint, quod Autor affirmat. Dum autem *pag. 53* de paradiſo terreſtri agit, non immerito forſitan miretur aliquis, mentionem non fieri ſcripti *Huetiani* de paradiſo terreſtri. Num hominibus ante diluvium carne veſci fuerit licitum, non definire audet Autor, probabile tamen putans, homines ante diluvium præter aquam & lac etiam vinum bibiſſe, ſed argumenta non ſatis valida afferens. Poſt diluvium a filiis tribus *Noachi* omnes populi originem habuerunt, familiæ autem *Abrahami* potiſſimum Deus Meſſiam promiſit. Autor inde paucis de poſteris *Abrahami*, *Iſaaco*, *Jacobo*, & *Joſepho*, agit, monens, tempore *Judæ* jus vitæ & necis fuiſſe apud patres familias, *Gen. XXXVIII*, *24*, recenſens quoque domeſticas Judæorum occupationes, & de cautione eorum in matrimoniis contrahendis, ſepeliendisque mortuis, quædam tradens, item de ratione polygamiæ, de ritibus luctus funebris, de hiſtoria & ætate *Jobi*, nec non de ejus in Philoſophia, ſpeciatim Phyſica & Matheſi, cognitione, de *Moſis* nativitate & rebus geſtis, Iſraelitarum itineribus, *Aaronis* autoritate & morte, agens. De veſtibus Iſraelitarum, cur non inveteraſſe dicantur, nihil definit. Quæ huc usque ex hiſtoria Biblica narravit, omnia pertinent ad primam periodum ante legem. Pergens deinde *Cap. 2* ad geſta ſub lege *Moſis*, a legis promulgatione ad templum ſecundum, & porro ab hoc tempore ad adventum Meſſiæ, in qua periodo Deus populo ſuo moralibus, eccleſiaſticis, & forenſibus, legibus conſuluit, hac occaſione traditiones quasdam Judæorum de ratione tabularum legis refert, varia tabernaculi ſancti nomina adducit, & ideo illud ordinatum eſſe putat, quia populus majeſtatem Dei ferre non potuerit. Pertractat etiam quæſtionem, num licuerit Judæis excelſis uti, vel non; utrum vero negativæ, an affirmativæ, ſententiæ potius adſtipuletur, non indicat, neque ſententiam ſuam prodit, num Ægyptii fuerint primi templorum autores, vel non. De partibus & ſtructura tabernaculi etiam nonnulla diſſerit, ſimul tangens controverſiam, num columnæ tabernaculi ex ligno, vel ære, fuerint,

 ſuſpen-

Digitized by Google

ſuſpendens tamen & hic judicium ſuum. Agit deinde de vaſis tabernaculi & de altari, atque igne ſacro, de æde ſancta & ejus menſura, de vaſis ſancti, nimirum 1) altari ſuffitus, 2) menſa panum propoſitionis, 3) lychnucho atque cornu olei ſacri, & codice juris regii; item de vaſis ſanctiſſimi, 1) arca fœderis, & thuribulo aureo, ubi, arcam unicam tantum fuiſſe, variis argumentis probat, recenſens etiam contenta arcæ, nimirum duas legis tabulas; 2) amphoram Mannæ & virgam Aaronis. Agit deinde de ſitu caſtrorum, & de imaginibus vexillorum ſingularum tribuum, de columna ignis, de arcæ ante exercitum geſtatione, de feſtorum ordinatione atque legibus eccleſiaſticis, de ſacerdotio, quod ante exitum Iſraelitarum ex Ægypto ad nullas certas perſonas, ſed ad primogenitum familiæ, utplurimum reſtrictum fuit. Recenſet poſthæc ſacerdotum genera & requiſita, item eorum ætatem & inſtitutionem, nec non 176 vitia corporis, quibus ad ſacerdotium inutiles reddebantur, monens etiam, ſacerdotes ipſa nativitate factos eſſe. Inde varia de Pontifice maximo, & ejus collegis, habet, de veſtibus ejus & ſacerdotum, de Urim & Thumim, de inauguratione & unctione ſacerdotum, atque præparatione olei, de conjugio Pontificis maximi & ſacerdotum, indicans ſimul, in quo ſummi Pontificis dignitas conſtiterit, & quibus rebus ipſe & ſacerdotes fuerint polluti, item de ſacerdotum officiis & privilegiis, eorumque ſuſtentatione, agens. Levitarum familias, ordines, veſtes, atque munus, deſcribit paucis. Differebant autem eorum officia in deſerto ab illis, quæ poſtea præſtabant, & ideo varios reditus & immunitates habebant, addebanturque illis, *Nethinæi* tanquam adjutores, infimæ conditionis homines, qui ligna findebant ad ſacrificia, & aquam hauriebant. Pergit deinde Autor ad deſcribendam oblationum rationem & differentiam, item animalium ſacrificandorum ſpecies, &, quibus vitiis quadrupeda immunda reputata fuerint, quotque ſpecies ſacrificiorum viguerint, docet, ſingulorum rationem exponens, nimirum holocauſtorum, ſacrificii pro peccato, explicans etiam, quid ſint ſacrificia fixa, adſcendentia & deſcendentia, ſacrificia pro reatu, ſacrificia pacifica, quibuscum fere conveniebant ſacrificia primogenita. Addit differentiam inter animalia munda & immunda,

Digitized by Google

da, de quorum decimatione quoque agit, & ſacrificiis agnum paſchalem accenſendum eſſe affirmat. Oblationes autem incruentæ olim magis in uſu fuerunt, quam cruentæ. Rationem & ſpecies fertorum deinde deſcribit Autor, & præparationem manipuli paſchalis, atque olei, quod, ſi optimum eſſe debebat, ex Tekoah petebatur. De oblatione thuris, mellis, fermenti, & farinæ, varia etiam habet, &, quid circa panes propoſitionis & pentecoſtales requiſitum fuerit, quidque ex illis ad ſacerdotes redierit, indicat; nec omittit rationem offerendi panis euchariſtici & Naziræi, & offerendi libamina ex vino. Cumque ſacrificia ſacris potiſſimum temporibus offerri conſueverint, horum etiam ſpecies & leges recenſentur, ſpeciatim vero tempus & modus celebrandi feſti Paſchatos deſcribitur, quod feſtum ſubſequebatur cœna paſchalis & azymorum comeſtio. Aliter tamen celebrabatur Paſcha ſecundum, ac primum. Inde feſtivitas pentecoſtalis deſcribitur, & varia iſtius nomina recenſentur. Hanc potiſſimum panes pentecoſtales & ſacrificia illuſtrem reddebant. Atque his eorum, quæ ad feſtum tabernaculorum ſpectant, enarratio, & illius varia nomina, ſubjunguntur. Feſta autem novi anni, expiationis parvæ & magnæ, & initii anni civilis, non tam celebria erant, quam tria priora. Pauciſſimis igitur ſacrificia, in illis facta, deſcribuntur, & rationes, cur ſingula feſta inſtituta ſint, ſimul afferuntur. In feſto expiationis ſummus Pontifex maxime occupatus erat, peculiaribus veſtibus indutus, & varia offerebat ſacrificia publica & privata, hircoque emiſſario populi peccata imprecabatur, &, in ſanctiſſimum ingreſſus, ſacra peragebat, populus autem per totum hunc diem jejuniis & pœnitentiæ vacare tenebatur. Annus vero Sabbathicus ad feſta non quotannis celebranda pertinet, & varia quibusdam exhibebat beneficia. Nonnulla quoque monentur de anno Jubilæo, qui anno quinquageſimo quolibet recurrebat. Inde pergit Autor ad feſta menſtrua, novilunium ſcilicet vel neomenian, porro ad hebdomadale feſtum, nimirum Sabbathum. Quatuor autem potiſſimum magni æſtimabantur Sabbatha, quæ Autor indicat, requiſita Sabbathi percenſens, quæque in illo fuerint licita, exponens. Luſtrationes quoque Judæorum deſcribit, &

& gradus immunditiei, leges, ſigna, indolemque lepræ hominum & rerum. Indicatur etiam primitivorum & primitiarum differentia & ratio, ut & decimarum, nec non de votis, præſertim Naziræorum, aliisque votorum ſpeciebus, præcipue *Pauli*, agitur; qua occaſione *pag. 279* Autor declarat, ſe ad eorum accedere ſententiam, qui, *Jephtam* filiam ſuam non immolaſſe, ſtatuant. Votorum ſpecies etiam fuerunt anathemata & inſtituta Rechabitarum. Agitur inde de eſu Judæis illicito, &, num *Noacho* edere ſanguinem & carnem crudam licuerit, disquiritur. Recenſentur quoque ſeptem præcepta *Noachidarum*, & quid præterea Deus Judæos prohibuerit, nimirum varii matrimonii gradus, idololatria, ſodomia, blasphemia, homicidia, damna, & rapina. Indicantur proſelytorum requiſita, jura varia, nomina, & quomodo initiati fuerint. Deſcribuntur etiam jura & ritus Leviratûs, ſed verſio, quæ de loco *Devt. XXV, 9*, ſuppeditatur, contra genium linguæ eſſe videtur. Huic tractationi ſubjungitur alia de cauſis divortii, repudii, & pœnis læſæ virginitatis. Tranſit deinde Autor ad deſcriptionem judiciorum apud Judæos, præſertim Synedrii magni, & requiſita aſſeſſorum iſtius judicii exponit, atque præcipua Synedrii membra recenſet, quibusnam de rebus ſtatuere potuerint, quo loco convenerint, & quamdiu ſtatis diebus judicium, quotque præſides, habuerint, disquirens. Synedrii quoque minoris ratio, tempus congregationis, & judicandi poteſtas, atque ordo judicum, exponitur, item de triumvirali aliisque judiciis, & ratione judicum & judicandorum, de collectione ſuffragiorum, ut & de juramentorum ſpeciebus & ritibus, agitur. An tortura apud Judæos in uſu fuerit, adhuc in dubio eſt. Variæ autem pœnæ capitales & non capitales apud illos vigebant, & variæ excommunicationis ſpecies. Tractatur poſtea de pœnis homicidarum, & mulierum adulterarum. Inde recenſentur animalium mundorum & immundorum ſpecies, &, quænam bellorum gerendorum & Regum conſtituendorum fuerit ratio, eisque facta prohibitio, oſtenditur. Exponuntur res, ſub *Moſe, Aarone, Joſua, Saule, Davide*, & *Salomone*, geſtæ, templique *Salomonei* ſtructura in monte Moria, & vaſa in illo uſurpata, nec non altaria templi, & mare æneum, deſcribuntur, conferturque templum primum cum ſecundo,

do, &, quænam Ephemeriarum, Levitarum, & ſtationariorum, fuerit ratio, quæque circa ſacrificia & victimas obſervari debuerint, docetur. Inde, quis, quomodo, & quando, excubias agere, & quomodo Ephemeriæ præparari debuerint, indicatur, adminiſtrantiumque munia in ſacrificiis peragendis, & muſica, & requiſita illorum, qui benedictionem ſacerdotalem impertiri voluerint, recenſentur. Deinde Autor originem, uſum, & jura, Synagogarum atque ſcholarum, ritusque precum atque ſupplicationum, & varias ſpecies earundem, cum jejuniis conjunctarum, nec non celebrationem Sabbathi & noviluniorum, deſcribit. Sed cultus Judæorum interdum cum magna idololatria fuit conjunctus, ideoque illi in captivitatem Babylonicam detruſi, ex qua reverſi imagines valde abhorruerunt. Indicat etiam Autor, in quotnam partes diviſa fuerit Terra ſancta, & quantæ fertilitatis, quibusque urbibus, maribus, montibus, &c. conſpicua, fuerit, præſertim de urbe Hieroſolymis agens, quæ ter devaſtata eſt. Ipſe autem populus Judaicus ſub diverſo regimine Regum, Judicum, &c. fuit, & Aſſyriacam atque Babylonicam captivitatem perpeſſus eſt. Requiſita quoque Regum populi Judaici, & eorum inauguratio, deſcribitur, &, quænam jura habuerint, quidque præſtare debuerint Reges, qualisque honor & quæ officia illis a populo fuerint exhibita, quænam tributa ac ſemiſicli perſoluti, quoque odio publicanos Judæi proſecuti ſint, exponitur. Suppeditatur notitia diviſionis dierum, ſeptimanarum, menſium, & annorum, apud Judæos, intercalandi ratio, atque ærarum Judaicarum termini, exponuntur, deſcriptio item tabernaculorum & rituum in feſto tabernaculorum exhibetur. De aliis etiam diebus feſtis agitur, nimirum Encæniis, feſto Purim, &c. nec non de jejuniis & noviluniis; quam tractationem excipit circumciſionis & ejus rituum & legum deſcriptio, &, quæ menſuræ aridorum & liquidorum, pecuniæ, fœderum, & contractuum, ratio fuerit, indicatur. Hinc militiæ Judæorum ſtatum deſcribit Autor, docens, quæ fuerint militum requiſita & arma, & in quo conſtiterit bellorum æquitas & juſtitia, itemque modus illa gerendi, quæ diſciplina militaris, quod exploratorum officium, quomodo obſeſſiones fuerint inſtitutæ, quæ militum præmia & prædæ diſtribuendæ ratio, addens etiam

quædam

quædam de licitis matrimoniis & ſponſalibus, itemque nuptiarum feſtivitate. Recenſentur inde conjugum officia, & liberorum educatio, hæreditatumque leges, & ſervorum conditio. De habitaculorum variis partibus, veſtimentorum vulgarium & ſacrorum, e. g. fimbriarum & phylacteriorum, variis generibus, de panis confectione, & cibis licitis ac potibus, quosque ritus obſervaverint Judæi menſæ aſſidentes, & quæ eorum occupationes domeſticæ fuerint, quomodo ſibi invicem occurrentes ſe ſalutaverint, & peregrinationes inſtituerint, de variis ſtudiorum & negotiationum apud illos generibus, quomodo meſſem & trituram peregerint, atque hortos coluerint, varia afferuntur. De diverſis pecoris ſpeciebus, & quomodo pecus tractaverint, ludos & venationes inſtituerint, de Judæorum peculiaribus morbis & remediis, quomodo ſuos ad mortem præparaverint, teſtamentum condiderint, & ſepulturam curaverint, quæque fuerit ſepulcrorum diverſitas & forma, de funerum ritibus antiquis & hodiernorum Judæorum ridiculis, de funerali luctu, & quomodo illum ſignificaverint, quinam & quamdiu lugere debuerint, deque lugentium requiſitis, multa docte adduntur. Adjungitur deinde tractatio de Judæorum theologia & fidei articulis, de 365 eorum præceptis negativis, & 248 affirmativis, pro numero membrorum humani corporis, &, Judæos non ſolum theoretica Theologiæ, ſed & practica, inculcaſſe, docetur. Monetur tamen ſimul, Theologiam veterum Judæorum valde differre a Theologia Judæorum hodiernorum. Jam docemur de legis diviſione & Prophetarum, de ratione ſcribendi & literarum, librorum ſacrorum numero, & quam accurationem Judæi in deſcribendo Codice ſacro adhibuerint; de potioribus Scripturæ S. verſionibus, Samaritana, Chaldaicis, Græca, & Scripturæ S. corruptione, deque tribus potioribus Judæorum ſectis, Phariſæorum, Eſſæorum, & Sadducæorum, eorumque peculiaribus dogmatibus, præſertim Phariſæorum, & quantum hi Scripturam S. corruperint. Traduntur etiam quædam de diſſenſu Hillelianorum & Schammæanorum, &, quid Herodiani ſtatuerint, atque Samaritani, quibuscum comparantur hodiernæ Judæorum ſectæ, nimirum Rabbanitarum, Karaitarum, docetur; differentia traditionum Talmudicarum & Cabbaliſticarum, itemque ſcopus & partes Theologiæ Judaicæ, indicantur,

Digitized by Google

cantur, &, quomodo illam docuerint aperte & per ſymbola atque parabolas, item quomodo acroamaticam Theologiæ tractationem & catecheſin inſtituerint, exponitur. De introductis quibusdam a recentioribus Judæis fidei articulis, & eorum ſumma, de variis Theologiæ Judaicæ ſpeciebus, nimirum maſoretica, exegetica, dogmatica, & polemica, in qua potiſſimum Chriſtianos impugnant, & Chriſtum blasphemiis proſcindunt, multa docte proferuntur. Quinam ex Judæis de Theologia hiſtorica ſcripſerint, quid tradat Theologia eorum liturgica, aſcetica, & homiletica, & in quo Theologia eorum Cabbaliſtica conſiſtat, ſuccincte docemur. Exponitur etiam, quomodo doctores Judæorum per titulos a ſe invicem diſtulerint, & a diſcipulis in pretio fuerint habiti, qualis fuerit diſcipulorum conditio, quique apud Judæos docuerint, quibusnam cerimoniis collati fuerint honores diſcipulis, & an Salvator noſter ſummos inter Judæos honores adeptus ſit. Mentio etiam fit conditionis & officii ſcribarum & peritorum legis, eorumque methodi docendi. *Caput*, quod ſequitur, *ſecundum* agit de credendis, quid Judæi de Deo & aliis rebus docuerint, quam abominabiles ſententias foverint, quam execrandas blasphemias ſparſerint contra Apoſtolos, novum fœdus, Chriſtum, Chriſtianos, &c. quidque Judæi de animæ creatione, *μετεμψυχώσει*, angelis bonis & malis, æterna ſalute & damnatione, paradiſo & inferno, illorumque locorum ſynonymis, quænam pœnæ ſint in inferno ſuſtinendæ, & quomodo tandem infernus deſtruendus ſit, quam perverſe ſentiant Judæi de ſtatu mortuorum, indicatur. Articulum de reſurrectione mortuorum fundamentalem eſſe, cenſent, & illos, qui hanc doctrinam negant, ab æterna ſalute excludunt, & hæreticis annumerant. Quomodo corpus reſurgentibus formetur, eorum cognitio de Deo augeatur, qui judicio extremo obnoxii ſint, & quis ſit veri Meſſiæ adhuc deliteſcentis ſtatus, & revelandi illius modus, quæ de duplici Meſſia Judæorum ſit ſententia, & quid per Gog & Magog intelligant, quantosque honores & divitias a Meſſia ſuo, adhuc manifeſtando in hoc mundo, exſpectent, quænam gentes ad Meſſiam ſint convertendæ, quamdiu Meſſias ſit regnaturus, & an mortalis, vel non, quisnam ſit ſtatus hominum poſt adventum Meſ-

Digitized by Google

ſiæ viventium, & quamdiu ſuperſtites futuri ſint in hac vita, quænam res antea amiſſæ illis reſtitui deberent, quomodo urbs Hieroſolyma ſit inſtauranda, & Meſſias juſtos in altera vita ſit remuneraturus honore & deliciis copioſe ac erudite explicatur. Indicat etiam Autor, quibus modis peccata remitti credant Judæi, docens, homini recte eos tribuere liberum arbitrium, ſpernere & contumeliis afficere magiſtratum Chriſtianorum, illumque muneribus corrumpere ſtudere, & propter tributa, quæ Chriſtianis ſolvunt, illos in æternam damnationem conjici putare. A perjurio Judæi facile abſolvuntur, ideo illis non eſt fidendum, licet jusjurandum edant; in reſervationibus etiam mentalibus ſunt fallaciſſimi. Indicantur quoque ciborum & potus genera, quibus Judæis uti licet. *Sectio 2 Capitis 2* agit de agendis, ſive Theologia Judæorum morali, quæ potiſſimum traditur in Tractatu Talmudico *Pirke Abbot*, ſive *Capitula patrum*. In hac Theologia requirunt, ut homo præ ceteris animam ſuam, virtutum vitiorumque genera, cognoſcat. Virtutes ex animæ ſanitate, malas actiones ex illius infirmitate, provenire ſtatuunt. Quomodo homines corporis & animæ ſanitati conſulere, & affectibus ſuis imperare, debeant, quænam ſint virtutum & vitiorum ſpecies, mire philoſophantur. Peccatum originale negant Judæi perperam, recte autem abſolutum Dei decretum. Quænam doctrina moralis ad rudiores pertineat, quomodo homines erga Deum & alios amorem ſuum exercere debeant, & quid felicitatem conſequendam impediat, non inepte docent. Otium, ſuperbiam, luxuriem, libidinem, iram, avaritiam, & invidiam, ſeptem peccata præcipua eſſe ſtatuunt. Quodlibet horum peccatorum ſeorſim deſcribitur, ac de ſex rebus, quas odio ſe habere dicit Deus, & de peccatis clamantibus, docte exponitur. Indicantur etiam media generalia & ſpecialia, per quæ Judæi ex peccatis aliquem eluctari poſſe ſtatuunt. Præſertim ad peccata ſupprimenda commendatur miſericordia & gratia Dei, quam ſi quis impetraverit, illum deinde varias virtutes poſſe conſequi, docent.

Hæc ſunt potiora momenta, ab Autore Clariſſimo pertractata. Sequitur Index locorum Vet. & Nov. Teſtamenti, & Index rerum. Vitia typographica ſatis ſunt frequentia

Digitized by Google

tia in hoc ſcripto; ipſe autem Doctiſſ. Autor interdum nimis obſcure loquitur, ut in Præfat. *pag. 8* & *9*, & in ipſo Opere *pag. 351, 393, 607, 620, 650, 667*, & nimis dubiam prodit mentem, ut *pag. 17, 18, 75, 76, 78, 79, 124, 210, 282, 283, 326, 355, 360, 365, 370, 374, 385, 386, 391, 401, 402, 410, 411, 418, 422, 438, 459, 490, 518, 535, 557, 581, 587, 600, 601, 603, 608, 613, 617*, &c. *Pag. 8* potiorem in ordine œconomico ſpeciem, nimirum dominos, omittit; *pag. 25* negare videtur, Chriſtum Phariſæos ſolide refutaſſe; & *pag. 42* locum *1 Cor. XII, 29*, & loca Talmudica, huc non ſatis apte trahi poſſe cenſemus, nec locum *Syracidis*. *Pag. 44* ita loquitur Celeb. Autor, ac ſi *Buxtorffiana* Synagogæ Judaicæ non niſi Germanicam editionem noſſet. Tempora, perſonas, & modos, ſæpius permutat, e. g. *obtulerit & dicaverat pag. 49*, & *pag. 35: finem ſecundarium eſſe, primarius iſtarum ſcopus fuiſſet.* Conf. *pag. 303, 344, 402, 562, 601, 607, 609, 614, 618, 619, 620, 647, 648, 668, 669, 671.* Non adeo certum eſt, ut videtur Cl. Autori *pag. 51*, *Abelem* eo in loco a *Caino* trucidatum eſſe, ubi ſacrificium facturus erat, nec, quod *pag. 53* docetur, paradiſum usque ad tempus diluvii univerſalis duraſſe, probabile eſt. *Pag. 55* non ſatis probat, homines ante diluvium etiam bibiſſe vinum. *Pag. 59* dicit, *Elieſerem* adjuratum eſſe, ut uxorem filio domini ſui duceret, ſed addi debuiſſet, non *quamcunque*, ſed ex *Iſaaci* familia. *Pag. 69*, unde habeat, quod præpoſitis inflictæ ſint plagæ, ut illas deinde ſervis infligerent, neſcimus, nec id factum eſſe credimus. *Pag. 120* locum, in *nota (a)* adductum, perperam huc trahere videtur, & *pag. 123* minus recte Judæis & B. *Danzio* de Urim & Thummim eandem tribuit ſententiam. Nam Judæi intelligebant illuminationem quandam externam, B. *Danzius* autem internam. Nec *pag 292* ſatis probavit, quod *Jo. III, 5, Tit. III, 5, 2 Cor. V, 16, 17, Jo. III, 3-10, 1 Petr. I, 23, II, 2, Luc. XIV, 26*, per infantem modo genitum intelligantur proſelyti. *Pag. 294* perperam 70 interpretibus & *Luthero* eandem tribuit verſionem, ſed *Lutheri* verſio ambigua eſt. *Pag. 392* ad occidentalem, ſed *pag. 394* ad orientalem, plagam ſacrificia mactata eſſe dicit, ideoque ſibi contradicit. *Pag. 445* locum *Matth. XIII, 23*, pro fertilitate Palæſtinæ allegat, qui tamen locus ex parabola deſumtus

eſt, ideoque certam vim argumentandi non habet. *Pag. 513*, Deum immediate pro Iſraelitis ſine militibus pugnaſſe, putat, ſed non ſatis probat. *Pag. 518* locum *Epheſ. VI, 16*, perperam de telis venenatis explicare videtur. *Pag. 512* gloſſa paragraphi *404* non reſpondet paragrapho, nec *pag. 576 not.* (*a*) convenit cum paragrapho ipſo de ſuſtentatione capium, uti *pag. 719* rubrica eſt phyſica, paragraphus vero moralis. *Pag. 588* menſes 12 pro 12 hebdomadibus poſuiſſe videtur. *Pag. 575* non ſatis accurate legem forenſem & cerimonialem a lege morali diſtinguit; nam, quæ de illis dicuntur, etiam de hac prædicari poſſunt. Utilior etiam ſine dubio hæc opera fuiſſet auditoribus, ſi Autor tot lubricas Judæorum traditiones, & abſurdas hiſtorias, omiſiſſet, veras autem antiquitates & ritus ad illuſtranda Scripturæ Sacræ loca frequentius applicaſſet, ut *Relandus*, *Lamy*, & alii antiquitatum Judaicarum ſcriptores, optimo conſilio fecerunt. Adhæc obſervavimus, Cl. Autorem interdum materias divellere, &, quæ uno loco tractare debuiſſet, diverſis locis tractare, e contrario materias diverſas ſæpe conjungere, quæ ſeparatæ videntur; item ſæpe conſuetudines extraordinarias & rariſſimas cum ordinariis confundere, & pro ordinariis venditare, e. g. *pag. 567*. Quid *pag. 111* ſignificet hoc: *qui ſe auſi ſunt*, *pag. 156 ſacrificium ſpontale*, *pag. 588 calceorum indutus*, *pag. 631 gentilibus videntibus*, *pag. 583 inſcitus*, *pag. 489 concinuerunt*, *pag. 648 doctores a diſcipulis admodum venerati ſunt*; neſcimus cum ignariſſimis. Ceterum varios uſus hic liber habet, præſertim quod de dogmatibus Judæorum hic copioſius, quam in aliis Compendiis Antiquitatum Judaicarum, actum eſt.

LETTRES SUR LA RELIGION ESSENTIELLE à l'homme diſtinguée de ce qui n'en eſt que l'acceſſoire, &c.

id eſt,

EPISTOLÆ DE RELIGIONE, HOMINI ACcommodatiſſima, ſecreta ab eo, quod non niſi acceſſorium eſt.

Par-

Partes II.

Amſtelodami, proſtant apud Jo. Wetſtein & W. Smith, 1738, 8. Plag. 20½.

Socinianam doctrinam, paſſim novis periſtromatibus ornatam, hiſce Epiſtolis, ſat eleganter ſcriptis, ineſſe, ac inibi utramque facere paginam, lectores, opinionum theologicarum haud rudes, haud inficiabuntur. In *Parte priori* Autor id operam dedit, ut myſteria ex religione revelata exſtirparet, ac procul eſſe juberet, ut omnes homines ad æternam beatitudinem pervenire doceret, ut ſatisfactionem ac redemtionem Chriſti tolleret & amoveret, ut fiduciam naturalem (*la bonne foi*), integritati mentis junctam, fidei juſtificanti ſubſtitueret. Eum in finem ſummam illam Dei perfectionem fundamenti loco ponit, quam barbare *omniſufficientiam* nonnulli appellant, perfectionem illam, qua Deus omnem perfectionem, & phyſicam & moralem, eamque infinitam, poſſidet per ſuam immutabilem naturam. Mirabuntur lectores, de Dei ſanctitate hic nihil doceri, jus ac dominium Dei in res creatas, legem ejus tum naturalem, tum poſitivam, juſtitiam ejusdem & ſapientiam infinitam, vel omitti, vel leviter attingi, vel definitione imaginaria eludi. In *Parte poſteriori* Autor in ipſas literas ſacras, harumque inſpirationem atque originem, admodum eſt injurius. Ubique autem, data occaſione, is controverſiarum theologicarum molem & multitudinem crepat. Quis, quæſumus, credet, controverſias de ſingulis propoſitionibus theologicis agitari? Et, ſi vel maxime hoc fieret, quid tum? Anne ulla ſententia eſt tam inſulſa, quin illam Philoſophus aliquis pro vera reputaverit? Num cuncti mortalium evidentiſſima Autoris dogmata amplectuntur vel approbabunt? Ipſe hoc deſperat, diſſerens *P. II pag.* 196 hunc in modum: *Ingenue fatendum eſt, religionem ejusmodi, qualem hiſce literis delineavi, cuilibet hominum haud fore aptam, placituram quippe oppido paucis.* Eadem levitate interpretationes ſacrarum literarum diverſas & contradictionis plenas veluti intemperiem cœli triſtiſſimam, ubi omnia pontus & aer, immane quantum ſtupet. Ipſe autem quamplurima dicta haud aliter intelligit, ac reliqui mor-

Digitized by Google

mortalium, licet haud belligeret cum Commentatorum agmini-
bus, vel lingua Græca, ac interpretibus Græcis, vel Gallicis, vel
P. II Latinis. Nonne enim ea, quæ ſacer Codex tradit, dividit in
pag. 70. ea, quæ ſunt clara & evidentia, quorſum facta & propoſitiones
bene multas refert, ac in ea, quæ ſunt minus clara, minusque
evidentia? Sed ei in animo erat, incarnationem Chriſti, ejus ſa-
tisfactionem ſeu redemtionem, atque omnia myſteria, profliga-
re. Quare primam illam veritatem inſulſe vocat *metamorpho-*
174 ſeq. *ſin*, ſecundam vocat dogma *ſubſtitutionis*, *emtionis*, ac *venditio-*
nis, omnesque lacertos movet, ut illud proſternat, tertiam vero
paſſim refellere ſtudet, ratus, eam & indoli hominum, & Dei
naturæ, repugnare. Opinatur præterea, Chriſtum eſſe non niſi
viæ ducem, qui hominibus ſuppeditaverit perfectionis obti-
77 ſeq. nendæ conſilia, eumque duntaxat ſimplicia omnibusque paten-
P. II tia præcepta ſeu conſilia tradidiſſe. Sacras literas a Deo eſſe
pag. 202 profectas per modum directionis, & quantum ad fundamenta
ſeq. rerum attinet, credit; negat vero, eas eſſe afflatu divino ita
conditas, ut verba ſingula, ſyllabæ, accentusque, exinde fuerint
orti. Unde porro colligit, formulas loquendi olim uſitatas per-
multis in propoſitionibus jam tum evaſiſſe obſcuras, nec amplius
poſſe intelligi. Largitur præterea, verbis ſacrarum literarum
ineſſe ea, quæ contradictionis ſint plena, invicemque haud con-
cordent. Nonne vero hujus rei culpa ex ejus ſcito & conſulto
in Deum redundat? Deum voluiſſe per verba ſacrarum litera-
rum ſalutem hominis efficere, eamque deſtinaſſe, haud inficia-
tur. Simul vero id etiam fieri potuiſſe exiſtimat, ut directio-
ni divinæ haud reſponderit eventus. Nonne ſapientiſſimus ad-
minicula ſic ordinat ac componit, ut ea ſemper poſſint ad finem
eſſe accommodata? Anne datur nonnihil in Codice ſacro, quod
ab hoc fine vel eſt, vel fuit, alienum? Et quodnam, quæſumus, eſt
illud? Scriptores reliqui Latini Græcique intelligentiam noſtram
haud reſpuunt. Quam itaque ob cauſam, quam ob veri ſpeciem,
exiſtimandum eſt, ſacras literas paſſim ita eſſe obſcuras, ut de-
ſint præſidia, quibus genuinum earum ſenſum, in rebus potio-
ribus ad minimum, aſſequi liceat? Noli vero in animum in-
ducere, Lector, ut credas, Autorem protuliſſe tantum ea, qui-
bus

Digitized by Google

bus peſtis ac venenum inhæreat. Id enim quo minus ſtatuamus, prohibent varia conſulta, in medium ab ipſo allata, tum ſolida, tum ſua pulchritudine commendabilia. Deme enim illud doctrinæ oraculum, quo Chriſtum credimus pie exiſtere θεάνθρωπον, quo novimus illum ſua obedientia ac cruciatibus diriſſimis perlatis nos e poteſtate tenebrarum & cacodæmonis redemiſſe, quo credimus, peccata ante commiſſa ob promerita ejus, vera fide apprehenſa, deleri ac condonari nobis; tum reliqua, quæ Autor diſſeruit, ſuis laudibus eſſe digna, facile largieris. Quis vero tam eſt excors, ut ſibi haud facile perſuadeat, Autorem reliquam ſyſtematis ſui compagem ita inſtruxiſſe, ut illud doctrinæ divinæ oraculum robuſtius poſſit labefactare atque evertere? Si, ipſum *Conradi Dippelii* veſtigia preſſiſſe, crediderimus, nihil forte a veritate alienum judicabimus, inprimis cum in eos, qui res ſacras moderantur, ac devotionem pietatemque publice ſibi habent commendatam, Clericos puta, idem falſe invehatur. In Procemio ad *Partem* Epiſtolarum *poſteriorem* ita diſſerit: *Quidam hominum ordo umbram pro veritate arripit. Compertum ſatis habemus, eos, qui in numero devotorum ac Clericorum nomina ſua profitentur, non ſemper eſſe æquiſſimos, ſive ad ipſorum judicia, ſive ad eorundem actiones, reſpicias; eos eſſe nec ſolidiſſimos, nec ceteris tractabiliores in vitæ hujus commercio. Accuſantur ipſi potius vitiorum, ſoliditati ac modeſtiæ oppoſitorum, quorumcunque. Contendunt permulti, nullum hominum genus eſſe ad perſequenda commoda & emolumenta ſua aſperius, inflexibilius, pervicacius, ac ad vindictam effuſius, ab eis repetendam, qui ipſos læſere, vel infortunato eventu moleſti fuere. Hoc tamen genus hominum eſt piis exercitiis, ſanctis meditationibus, ac fervidis precibus, occupatum. Quomodo hæc inter ſeſe conſonant?* Sed quis, integram ſocietatem ejuſdem indolis eſſe, ac in uno ludo omnes ad malitiam edoctos, crediderit? Anne reliqui mortalium ſalubriori inſtituto vitam peragunt? Nonne multi ſunt vocati, pauci vero electi? Id vero intendit, id agit, id anhelat Noſter, ut quisque ſibi ſit ad felicitatem perpetuam dux, autor, & comes, ſuadens, ut ea, quorum veritatem unusquisque aſſequi poteſt, pie in uſus ſuos adhibeat, reliqua ſeponat. Ipſe pro-

profecto doctrinas ponit eas fundamenti loco, quæ ita comparatæ ſunt, ut homines a ſectandis Clericis, tres religionis modulos per Europam profitentibus, penitus abſtrahant & abducant. Contendit præterea, religionem ſingulorum guſtibus eſſe relinquendam & metiendam, in Præfatione *ad Partem ſecundam* ſic diſſerens: *Guſtus ita animatus anne eſt prohibitus in eis, quæ ad religionem attinent, oportetne illam eſſe aſylum falſi, compoſitionis, quam mundus rejicit, & quam ſeſe profligare jactitat?* Si quis Jurisprudentiam civilem a diverſorum guſtibus derivet, ac ea ſeponat jura, quæ a ſeſe intelligi negat, quodnam inde monſtrum Jurisprudentiæ enaſcetur? Theologis haud opus eſſe exiſtimat
Pag. 27. Autor in re publica, docens, homines, licet haud conſulant vocem magiſtri, per ſenſionem ſuam ac ideas proprias ad cognitionem Numinis ac attributorum eſſentialium ejusdem pervenire poſſe. In *nota* adjecta denuo aſſerit, non aſſeri, unumquemvis hominum viribus mentis tantum valere, ut interventu earum ſine adjumento alterius cognitionem eam poſſit acquire-
110 ſeq. re. Alibi quoque tradit, plurimos hominum a natali ſuo inde ad obitum non cogitare, quo fine & ad quem ſcopum exiſtere cœperint. En contradictionis molem! De legibus Dei, de obligatione, qua homines ad eas adſtringuntur, de actionum cum eis conformitate vel difformitate, de ſanctitate Dei, peccatis haud favente, de præmiis pœnisque, ſi naturales actionum effectus exceperis, altum eſt penes eum ſilentium. Nonne ſæpius Numen ſupremum ſera pœna, quæ utique ab arbitrio ejus dependet, nec citra ullum interventum cum hac vel illa hominis actione cohæret, ſcelera & maleficia improbat & coercet? Exemplis vita humana abundat. Ii, qui erroribus gravioribus in religione ſeſe alligarunt, ea ſæpius non potuerunt non animadvertere. Sed in ſyſtemate doctrinarum Autoris veritati nullus eſt locus. Ipſe potius ex eo, quod Deus deſtinavit hominibus felicitatem, ac de rebus creatis pronuntiavit peracta
50. creatione, omnia eſſe bona, colligit, Deum deſiſtere bonum eſſe, niſi omnes mortalium tandem redderet felices. Quo ipſo profligat pœnas infernales ſempiternas. At num ideo quis ad felicitatem ſempiternam neceſſario admittitur, quia dicitur eſſe bonus?

Nonne

Nonne *Paulus* res omnes creatas perhibuit eſſe *bonas 1 Tim. IV, 4*, quæ, addita gratiarum actione, in uſum adhibentur? Ubinam Deus dixit, ſeſe deſtinaſſe omnes ſaluti æternæ, præter & extra ordinem ac œconomiam ſalutis? A deſtinatione ad certum eventum, ordine & adminiculo neglecto, argumentum haud procedit. Glandes ſingulæ deſtinatæ ſunt propagando quercuum generi. Sed, niſi ordo propagationis obſervetur, deſtinatio illa eventum, qui poterat obtineri, haud ſortitur. Mammæ ſunt deſtinatæ lactandis pullis infantibusque, ſed ordine certo interveniente, quo neglecto vel interverſo, lactatio ipſa haud conſequitur. Autor exiſtimat, homines, quia deſiderio felicitatis univerſali feruntur, ad eam, hac vita perfunctos, pervenire. At illi ratiocinationi deeſt nervus. Id inde efficitur, dari felicitatem ejusmodi; præterea nihil. Ex appetentia cibi & potus univerſali nil amplius ſequitur, quam dari cibum & potum, quo ea poſſit ſedari exſtinguique, ordine certo adhibito. Neminem vero fame vel ſiti interire, id exinde nondum conficitur. Ita etiam deſiderium animi haud exſatiari poteſt, niſi ordo divinitus præſcriptus ſervetur, & in uſum traducatur. Autor credit, dari homines lethargo animi laborantes, qui haud ſentiant amplius peccatorum ſuorum gravitates, ac pœnas naturales, ex eis fluentes. His, niſi ad alium ſeſe converterint ſtatum & ordinem, num felicitatem æternam promittet? Dolorem exiſtimat eſſe adminiculum, quo ad medendum defectui ordinis inducamur. Sed num is, qui lethargo illo torpet, dolorem illum ſentit? Si vero in ſtatu illo perſtiterit, num æternum beatus reddi poteſt? Ipſe porro tradit, dari relationem inter objecta ſpiritualia & facultates hominis ſpirituales (id eſt, naturaliter intellectuales). Unde colligit, vires naturæ ad obtinendam ſempiternam felicitatem ſufficere. Religionem homini aptam & ejus eſſentiæ propriam credit ſuperſtructam eſſe veritatibus & ſimplicibus & evidentibus, ut omnes mortales ſint ad acquieſcendum in ea obligati. At illa ceſſavit, & homines obligati ſunt ad id pro vero & bono habendum, quod autor veritatis ad felicitatem eorum promovendam patefecit. Et quænam illa ſunt evidentia, illa ſimplicia? Mancipia, laboribus intenta, & ii, qui lethargo

Pag. 25. 26.

43. 44.

16. 17.

animi laborant, non norunt illa, nec diſtincte comprehendunt. Multa videntur huic & illi evidentia ac ſimplicia, quæ aliis longe apparent difficillima. Veritates, quo ſunt ſimpliciores & evidentiores, eo plus judicii & ingenii requirunt. Teſtamur principia Arithmeticæ univerſalis, Algebræ, ac Trigonometriæ planæ ac ſphæricæ. Autor injuſtum committi credit, ſi quis id alteri tollere vel adimere ſtudeat, quod huic fuerit judicio magiſtratus attributum, aut ſi quis promiſſum violet. Dari poſt hanc vitam gaudia & beatitudinem hominum, colligit ex inju-
Pag. 30. ſtitia, quæ in tribunalibus ſoleat a judicibus admitti. Notio-
33. nem juſtitiæ attemperat ad opinionem ſuam, qua inductus de-
37. finit, Deum ſeſe penitus a delictis puniendis abſtinere, ac pec-
41. catori nihilo ſecius parcere poſſe. Juſtitiam credit poſitam eſſe
in æqualitate & proportione. At quare omiſit æqualitatem ſeu proportionem præmii ſeu mercedis cum actionibus, legi divinæ vel conformatis, vel repugnantibus? Si enim Deus nullum eventum, dolore plenum, cum actionibus, legi divinæ proæretice reclamantibus, copulavit, ac peccata illa citra illius doloris ſenſum dimittit impunita, ubi tum illa proportio, illa æqualitas,
43. locum tuebitur? Pœnas equidem Autor ſtatuit non niſi naturales, quæ conſiſtant in dolore vel corporis, vel animi, vel utriusque. Dolorem illum exiſtimat eſſe conſecutionem neglecti ordinis facultatum, quæ ſpiritibus corporibusque inſint, quem certe dolorem cenſet eſſe adminiculum, quo homines ad medendum defectui ordinis violati inducantur. Sed induci eo debent quidem ad emendanda prave acta; quis vero dixerit, id ſemper & ubique fieri? Num omnes dolorem illum ſentiunt? Num ordinem illum, ad quem totus homo eſt componendus, ex ſuo ingenio norunt? Num ordo, ab homine excogitatus, eſt idem ac is, quem Deus homini præſtituit? Num omnes mortales intelligunt ordinem corporis facultatum genuinum ſeu ſanitatem? Cur itaque, ſi quivis eum ad unguem in numerato habet, tantum ſtudii ponendum eſt in addiſcendis artis medicæ conſultis? Sed quis negabit, ordinem, ad quem mentium facultas attemperanda, intellectu eſſe difficiliorem, ac amplioris eſſe nexus, cohærentem quippe cum omni temporum perpetuitate?

Inter

Digitized by Google

Inter hæc Autor delabitur ad novam juſtitiæ definitionem. Juſtitiam enim Dei exiſtimat eſſe voluntatem conſtantem redu- Pag. 47.
cendi res creatas ex turbido vitæ genere per reſtitutionem ordinis ad veram felicitatem. Addit, eam ratione originis eſſe bonitatem ſapientia directrice eximiam. At vero, ſi ſapientiæ hic locus eſt, ipſi quoque locus erit ordini, ſecundum quem illa ſalutis reparatio contingere poteſt. Qui fingunt ordinem alium ac eum, quem Deus approbavit ſapientiſſimus, ii nec ſibi, nec aliis, conſulunt. Ordo divinitus ſtabilitus ita fert, ut ii, qui intra certum temporis intervallum in ordinem & ad frugem haud redeunt, cruciatibus ab æterno in æternum exponantur, ut vermis eorum haud moriatur, ut præſtet, eos nunquam exſtitiſſe, ut judicio nullo, quod noviſſimo & ultimo ſit poſterius, poſſint abſolvi. Deus nil dat odio, nil dat amori fœmineo ac præpoſtero. Ille ſemper recta incedit. Sceptrum regni ejus eſt ſceptrum æquitatis ac rectæ, ad ſanctitatem compoſitæ, actionis. Qui nimium parcit malis, is deeſt bonis. Fruſtra itaque Autor, pœnas omnes collineare ad reparandum hominis bonum, credit. Dicere debuerat, ad illuſtranda bona, hominibus 49.
conceſſa, ac in exempla ſanctitatis ſuæ. Nonne in multis malum tam alte inſedit, ut curari haud poſſint? Nonne inter ſtatum beatitudinis ac infelicitatis ſempiternæ intervallum eſt ſtabilitum, quod animi defunctorum tranſire haud poſſunt? Fruſtra opponitur bonitas ſanctitati, & ſuave miſericordiæ humanæ commentum ordini divinitus præſtituto. Autor utilitatem & felicitatem pro rebus eisdem habet. Ducem viæ prædicat Chri- 96 ſeq.
ſtum, incarnationem ejus negat. *Juſtitiam* Chriſti fidelibus *im-* 163 ſeq.
putatam ferre nequit, eo quod myſteriis haud favet. Si quis vero ea pro myſteriis reputet, quæ ipſi videntur evidentia, quid, quæſo, tandem ſupererit ex revelata doctrina? Ubi enim doctrinæ æſtimantur vario guſtu, hoc ipſum facile uſu venire poteſt. Chriſti ſatisfactionem vicariam negat & ridet. Nonne ita ſtabilit juſtitiam propriam, cum tollit alienam? Ubi eſt redemtor, (ita enim ratiocinatur,) ibi locum habet emtio & venditio, ibi Deus pater eſt venditor. En futilia opinionum monſtra. 167.
Qui ſuum redimit, num is venditionem ideo daturus eſt effe-

Digitized by Google

Pag. 169. ſtui? Autor irridet redemtionem eam, qua Chriſtus nos pretio infinito redemit, ita diſſerens: Deo cur aliquid ſolvatur, quippe qui rei nullius indiget? Sed hic ratio habenda eſt ſanctitatis divinæ, quæ malum pœnis vacare haud ſinit. Qui enim ille bonum duntaxat approbat, qui malum dimittit impunitum? Autor in eo eſt multus & aſſiduus, ut *ſyſtema ſubſtitutionis*
172 ſeq. evertat. Nonnulla tamen dogmata ſatis vera immiſcet. Nil
123 ſeq. magis, quam religionem, expendendum eſſe, docet. Demonſtrat egregie, ineſſe animis hominum conſcientiam actionum, in
117. hac vita editarum, poſt corporis mortem. Nec diffitetur, fu-
126 ſeq. turam eſſe boni malique exerciti compenſationem. De myſte-
127 ſeq. riis autem ita diſſerit, ut dubitandum ſit, ipſum inventurum eſſe ſectatores. Prava enim notione laborat myſteriorum, quæ putat eſſe propoſitiones plane incognitas, plane obſcuras, fu-
150. tiles, & inutiles, quæ indoli hominum repugnent. Fidem definit ſalutarem ex *Ebr. XI, 6.* Caput & fundamentum religionis
143. collocat in dexteritate ac probitate, ac in voluntate, id eſt, *en*
145. *bonne foi.* Salſe irridet inſtitutiones catecheticas & quatuor
146 ſeq. fidei gradus, qui in catechiſmo inculcantur. Quæ Deo uti-
51. litatem haud pariunt, ea dari, locum certe in religione
52. habere, negat. Deum non poſſe offendi injuſtitia hominum, autumat, commiſcens offenſiones phyſicas & moraliter imperfectas cum improbatione Dei, qua peccatum nequit habere pro virtute. Pœnas naturales tantum a Deo probari, credit. Reli-
53. gio revelata & naturalis, ulterius exculta, ſunt ipſi unum idem-
60. que. Uſum facultatum animæ poſt corporis mortem ſupereſſe,
61 ſeq. videtur præcipere ac docere. Veritatem ſacri Codicis, ex miraculis & prædictionum eventu comprobari ſolitam, difficulta-
64 ſeq. tibus inextricabilibus involutam putat, quas recenſet. Eum infinitis interpretationibus eſſe obnoxium, clamat. Chriſtum homines docuiſſe veritates evidentes & ſimplices, ac nemini non
77. examen permiſiſſe doctrinæ ſuæ, fingit. At cur diſcipuli nonnulla non poterant intelligere, antequam facultates animæ ipſorum a Spiritu ſancto illuſtrarentur & augerentur? Re-
86. velationem comparat cum educatione, qua infantes ad futuram frugem formentur. Sed num ii, qui educantur, omnia, ipſis a parenti-

rentibus & præceptoribus inſtillari ſolita ob futuros uſus, ſtatim pervident tanquam res evidentes & manifeſtas? Parabolam Chriſti de divite epulone & *Lazaro* egregiis ſane meditationibus perfundit. Pag. 100 ſeq. Fidei juſtificationis ſyſtema eludere conatur, tanquam inimicum Dei ſimplicitati, omniſufficientiæ, Theologiæ naturali, 174 ſeq. infinitudini Dei, perfectioni, veritatibus aliis claris, ac præcipue ei ſententiæ, quæ dictitat, Deum nobis bona ſua gratuito conferre. At nonne Deus, nævos infantum graviores caſtigari, immorigerosque in civitate puniri, juſſit? Nonne igitur Deus pœnas poſitivas approbavit? An gratuita donorum Dei largitio tollit vicariam Chriſti ſatisfactionem, munerum omnium fontem & pulchritudinem? Anne ſufficit, doluiſſe de peccatis ante actis? An dolor ille tollit ea? Sed omittimus reliqua, non defuturos ſperantes, qui ſyſtema religionis noſtræ ab hoc novo doctore defendant.

FONS MEDICATUS HAGÆ SCHAUMBURGICÆ exili preſſoque ſermone deſcriptus, Autore JO. CHRISTIANO RABE, Celſ. Com. Schaumburgo-Lippiæi Conſil. & Archiatri, Phil. & Med. Doct.

Lemgoviæ, ex officina Meyeriana, 1740, 8.
Plag. 2.

Quantum de fonte hoc, non ita pridem anno 1734 invento, ſcire omnium refert, candide docteque Cl. Autor exponit. Quo conſilio ſitum adſpectumque ejusdem, tum & expe- §. 1. 2.
rimentorum, cum aqua ipſa & materia ab evaporatione reſidua 3. 4.
non minus, quam ochra, inſtitutorum, ſucceſſum enarrat, atque 5.
ex iis, auram his aquis tenuiſſimam foſſilium, eamque volaticam, 6.
vitriolicam, ferri participem, quam vulgo vocant ſpiritum vitriolicum volatilem, non vero vitriolum & acidum corporeum atque adſpectabile, porro ſal alcali volaticum viſum, illudque exiguum, acido tamen potius, particulas ferreas, ſal vulgare, terramque ipſi æmulam, ineſſe, inſignem præterea puri-
tatem levitatemque accedere, argumentatur. Quamvis vero ori- 7.
go diſcrepantium horum elementorum, & in aquas coeundi ra-

 tio,

Digitized by Google

tio, non ſatis conſtet, nec ab illis, tanquam a ſola & genuina
cauſa effectus in corpore humano, fido evidentique ratiocinio
Pag. 8. intelligi, aut certo prædici, queant, expertam tamen fontis Ha-
gienſis virtutem arguunt curationes, ab anno 1735 ad annum
1739 in quatuor millibus hominum variæ ætatis dignitatisque
9. adhibitæ. Omnium maxime & potentiſſime urinam ciet, ner-
visque ejus ductu exſertis haud raro ſtimulum addit. Lenius
aliis alvum movet, aliis ſolutius fundit. Qua ex cauſa permul-
tis atque gravibus etiam & pertinacibus alias morbis, quos No-
ſter omnes enumerat, medetur. Potare ſolent has aquas frigi-
diſſimas ſine noxa, alii tepefactas, item cum lacte mixtas. Te-
pidæ adhibentur balneo, idque præſtantiſſimo cum fructu. Ca-
lefactarum vapor oculis admittitur, aliisque partibus, quæ etiam
frigidis perinde ac tepidis lavantur, vel linteis madefactis tegun-
10. tur. Ut adeo, hunc fontem Aquas Spadanas maxime æmulari,
Cl. Autor demonſtret.

SPECIMEN HISTORIÆ AERIS, IN QUO PRÆcipua de aere, ejusque proprietatibus, inventa, experimentis comprobata, recenſentur, conſcriptum a JO. CHRISTOPHORO HEILBRONNER.

Lipſiæ, apud Jo. Fridericum Gleditſchium, 1740, 4.

Plag. 4.

Doctiſſimus Autor id agit, ut præcipuas aeris proprietates commemoret, rationes, quibus eæ comprobantur, adducat in medium, atque inprimis experimenta, quæ eo pertinent, habito delectu, ex præſtantiſſimis ſcriptoribus colligat, & identidem recentiorum quoque Phyſicorum ſententias atque explicationes enarret. Hanc itaque commentandi rationem ſecutus, aeris ſibi hiſtoriam ſcripſiſſe videtur, vel potius ejus ſpecimen, cum pleraque ſtrictim tantum attingat, permulta etiam ob ipſam hanc cauſam, ne limites ſpeciminis excedant, ſilentio prætermittat. Quapropter, qui hiſtoricam eorum, quæ Phyſici huc usque & Mathematici de aere tradiderunt, cognitionem ſibi comparare ſtudent, eam non fruſtra ex hoc libello petent.

Digitized by Google

tent. Initio enim de inſtrumentis, quæ ad eruendas effectuum, §. 3.
ab aere profectorum, cauſas adhiberi ſolent, eorumque veris inventoribus, agitur, poſtea vero oſtenditur, fluidum eſſe aerem, 5.
neque tamen ad numerum vaporum atque exhalationum referri 6.
debere, ob vapores autem atque exhalationes, quæ cum iſto 7.
permiſcentur, heterogeneum evadere, terram undique ambire, 8.
atque in ipſis corporibus ineſſe, præter reliquas vero ejus fa- 9.
cultates vim elaſticam atque gravitatem maximam attentionem 10.
mereri, particulas denique aeris ſibi invicem pariter, atque cor- 11.
poribus aliis, facile adhærere. Quarum occaſione poſitionum elegantiſſima omnis generis experimenta, a præſtantiſſimis Phyſicis per totam fere Europam inſtituta, breviter indicantur.

FREE THOUGHTS CONCERNING SOULS, &c.

hoc eſt,

COGITATIONES LIBERÆ DE ANIMA, QUAtuor Tentaminibus comprehenſæ: I) de anima humana in ſua natura conſiderata; II) de eadem, in quantum cum animabus brutorum comparatur; III) de ſtatu præexiſtentiæ animarum; IV) de ſtatu earum futuro. Accedit Tentamen de creatione, per Autorem libri, inſcripti:
the impartial Inquiry &c.

Londini, apud R. Robinſon, 1734, 8.

Plag. 23 dimid.

Liber hic, quamvis nec argumenti novitate inſignis, neque adeo multis acute ſolideque cogitatis refertus, non tamen plane indignus eſt, qui legatur ab harum rerum ſtudioſis. Nos potiora dabimus momenta. Primum Tentamen in *XIII Sectiones* diviſum eſt. Quarum *prima* oſtendit, diſtinctionem animæ ſenſitivæ a rationali, quam *Ariſtoteles* commentus eſt, nullo innixam eſſe fundamento. Quod ut efficiat, ad conſcientiam noſtram provocat, utpote quæ, unicum tantummodo principium perceptionis nobis ineſſe, declaret. Amplius vero id ex duobus cogitandi modis primariis, ſenſatione & volitione, elucere exiſti-

exiſtimat. Senſationem docet eſſe vel ſimplicem, qua tum exiſtentiam noſtram, tum actionem quandam paſſionemque internam, tum aliam quandam notionem, ab externis derivatam objectis, percipiamus; vel compoſitam, ſive comparativam, qua convenientiam vel pugnam duarum idearum, inter ſe comparatarum, percipimus. Hæc ipſa ſi in duabus verſetur ideis, intuitio, ſi in tribus, pluribusve, ratiocinatio, dicitur. Omnes hæ ſenſationum ſpecies, utcunque diverſæ, quo minus ab unica ſentiendi facultate ortum habeant, nihil impedit. Par eſto judicium de volitione, & facultate exequendi, a multis cum volendi facultate male confuſa. Idem ergo principium cogitans & ſenſitivum eſt & rationale. At hic quæſtio oritur, utrum illud ſit aliquid a corpore diſtinctum, nec ne. Si anima eſſet particula corporis, ſedem ſuam haberet inter ſpiritus animales in cerebro habitans, ac vel unica particula, vel ex pluribus aliis compoſita, eſſet. Neutrum vero fieri poſſe, *Sectione III* pervincit Autor. Primum enim, animam non eſſe particulam unicam in cerebro collocatam, ex eo manifeſtum eſt, quod particula unica tot ac tam varias ſenſationes ſimul percipere non poteſt, id quod tamen in anima humana contingit ſæpius. Cum enim ſenſationes ex impreſſione quarundam particularum ſpirituum animalium oriantur, quarum numerus cum inſigni multitudine ac varietate objectorum proportionem habet; fieri non poſſe credit Autor, ut, ſi quævis particula corporis æque magna ſit atque altera, vel ad ejus magnitudinem proxime accedat, eadem tam varias ſenſationes, ab aliis particulis impreſſione quadam communicatas, ſimul ac eodem tempore accipere queat. Hanc ipſam autem æqualem particularum magnitudinem Autor in transcurſu rationibus nonnullis, ſed iis, ſi quid videmus, admodum infirmis, adſtruit. Primo enim, ſi materiam æternam ſtatuas, adeoque cuivis particulæ æqualem exiſtendi neceſſitatem tribuas, omni alio reſpectu eas inter ſe æquales te perhibere oportere, ſibi perſuadet. 2) Nullam in natura rerum rationem eſſe, cur particulæ magnitudine ſint inæquales: minutiſſimas enim, quas videas, partes nondum eſſe primas ac originarias, quibus corpus conſtet, neque optimo microſcopio veram

partium

Digitized by Google

partium harum figuram; multo minus inæqualitatem detegi poſſe. 3) Supervacaneum eſſe, inæqualitatem & æqualitatem comminiſci ac propugnare, quando omnes naturæ operationes, quicquid conſtituas, æque commode explicari queant. Immo experientiæ inæqualitatem adverſari, cum natura ſimpliciſſimis ſemper inſtrumentis utatur. Porro autem animam non eſſe aggregatum ex multis particulis, vel ſpiritibus ipſis animalibus, ex eo apparet, quod principium cogitans fixum quid eſt, ſpiritus autem animales in perpetuo motu fluxuque ſunt. Præterea illud eſt unum quid; alias enim ſenſationes noſtræ male cohærerent. Motus etiam in ente, cogitandi vi non inſtructo, præter motum alium nihil producere poteſt, quo tamen cogitatio non abſolvitur. Colores ac ſoni, qui motu particularum effici videntur, proprie loquendo non in objectis viſus ac auditus, ſed cogitationes animæ ſunt, ac ens quoddam ſupponunt ſenſationum ejusmodi capax. Utcunque ſpiritus animales unitos ac conjunctos ſtatuas, pro ſe quisque tamen ſuam naturam ſuasque qualitates retinet, &, ſi qua conſcius eſſet, vel ſentire poſſet, unam modo objecti partem ſentiret; quo ipſo nondum efficeretur ſenſus integri objecti, nihilque in eo ineſſet, quod reliquas objecti partes uniret, ac inter ſe contenderet. Quibus poſitis, relinquitur, animam eſſe a corpore vere diſtinctam. Quoniam autem anima tum in ſpiritus animales agit, tum mediantibus iisdem objecta percipit, intermediæ naturæ inter naturam Dei atque corporis Autori eſſe videtur, id quod autoritate *Lockii*, Anglorum Philoſophi, confirmat. Quæ cum ita ſint, conſequitur, animam, etiam a corpore ſeparatam, tam internam de ſua exiſtentia ſenſationem, quam aliam quamcunque externam, atque eam tanto quidem fortiorem, habere, quanto magis ea tum temporis non imaginibus, ſed objectis ipſis, excitatur. Hæc eadem autem objectorum qualitati convenientior erit. Neque exiſtimandum eſt, viſionem auditionemque adeo ab ipſis videndi audiendique organis pendere, ut prorſus ceſſet, organis, quæ diximus, remotis; quin potius animam haud ſecus atque nunc, immo fortius, afficiet. Ex quo elicitur, eam iisdem commotionibus objectam eſſe, aliisque omnibus prædictam faculta-

Sect. IV. V.

Digitized by Google

tibus, quæ independenter a corpore poſſidet. Ergo etiam corpora pro arbitrio movebit; minime tamen eorum materiam penetrare poterit, quod naturæ ejus, corpori quodammodo affinis, adverſatur omnino, ſed impreſſioni ejusdem ſubjecta erit; ita tamen, ut propter ea ſolida non ſit, neque oculis uſurpetur. Soliditas nempe, in quantum hac voce negatur, penetrari quid a materia, non eſt attributum materiæ proprium ac peculiare. Hoc enim ſenſu Deus ipſe ens maxime ſolidum eſt. At enim vero anima, cum corpore conjuncta, licet in permultis a corpore dependeat, plurima tamen ſine ejus ope exequitur, quorum nonnulla Autor, prouti inciderunt, enumerat *Sectione VI*, ac *Sectione VII* in naturam externæ, *Sectione VIII* internæ, ſenſationis breviter inquirit. *Sectione IX* de memoria agit, ac rerum extra nos poſitarum recordationem, perinde atque primam earum ſenſationem, a cerebro pendere, ſtatuit. Externa enim objecta movere organa ſentiendi vel immediate, vel mediate, atque imagines quasdam in iisdem effingere, ſimul autem ope harum motum ſpirituum animalium in nervis ciere, contendit, qui eodem momento aliis, in cavitatibus cerebri contentis, communicetur, ac in ſuperficie illarum novas imagines depingat, quæ, dum ſpiritus animales verſus ſedem animæ reflectant, ſenſitivam facultatem excitent. Hic motus continuatus, ſi Autorem audias, efficit, ut retineamus res memoriæ mandatas. Si anima ideas impreſſas denuo excitare cupit, ſpiritus animales in linea recta verſus imagines iſtas movet, quo ipſo ejus diverſitates ſentit, easque diſtinguit. Ideæ igitur rerum externarum non in anima inhærent, ſed a cerebro & ſpiritibus animalibus pendent, ſæpiusque, his male ſe habentibus, obliterantur, adeoque in ſtatu ſeparato locum non habent. Quæ *Sectione X* de imaginatione, *Sectione XI* de intuitione & ratiocinatione, *Sectione XII* de facultate volendi, & *Sectione XIII* de facultate exequendi, diſputat, notiora ſunt in vulgus, quam ut enarrari mereantur. Denique *Sectione XIV* ex deſiderio & ſpe perpetuæ durationis, quæ in anima ineſt, arguit, eam deſtrui atque in nihilum redigi non poſſe. *Tentamine II* carere potuiſſemus. Certe enim Autor opera in eo abutitur, dum, bruta

ta multo inferiora hominibus eſſe, ac tum memoria, tum imaginatione, cujus vim genere dicendi admodum declamatorio deſcribit, iisdem cedere, demonſtrat, denique, inſtinctum naturalem in brutis cum viribus animæ humanæ comparari non poſſe, oſtendit. Sic etiam, eo non monente, quilibet, credimus, novit, bruta, licet ope ſenſuum res diſtinguant, connexionem tamen terminorum ac propoſitionum ignorare, ac ratione ratiocinandique facultate deſtituta eſſe. Quid, quæſumus, attinet, docere fuſius, bruta, quicquid in pictura vel muſica pulchrum eſt, non internoſcere? ea loqui natura non poſſe? ſonos, quos edere didicerunt, loquelam proprie vocari non oportere, ea literarum vim ac figuras non capere, ac, quantumvis ex inſtinctu naturæ agant & moliantur, ad hominis libere deliberatoque agentis nobilitatem non accedere? Vulgaria hæc ſunt, ac ſplendido *liberarum* meditationum nomine indigna. *Tentamine III* contra præexiſtentiam animarum pugnat, ac iis reſpondet, qui neque generationem, neque creationem, novam earum admittunt. Sicuti enim ſolis puriſſimo ſplendori nihil accedit, ſi etiam viliſſima quæque eodem illuſtret; ſic etiam nihil prohibere, inquit, quo minus animæ vitiorum tabe poſtea contaminatæ a Deo creentur. Præterea, animam, ut ens nobilius, corpore juniorem eſſe, æque facile credi poſſe putat, ac domum ante ædificatam eſſe, quam dominus in eam ſit introductus. Dubio iſti, animas in corpus veluti in carcerem detrudi, atque in partem multarum, quæ corpus affligunt, calamitatum venire, hanc in ſententiam occurrit, ut, animas brutorum, quas pariter præexiſtere putant diſſentientes, non melioris conditionis eſſe, oſtendat, atque hinc arguat, & has & illas a Deo ad hunc ſtatum deſtinatas, malisque æqualia bona, quibus fruantur, oppoſita eſſe. Non etiam valere, quod objicitur, oſtendit, cum bonitate Dei pugnare, animas ad minimum non ſimul cum materia creatas eſſe. Bonitatem enim cum libertate & ſapientia conjungendam eſſe, cui conveniens ſit domum antea præparare, quam poſſeſſor in eam introducatur. De futuro animæ ſtatu *Tentamine III* exponit; ac *prima* quidem *Sectione* externas ejusdem ſenſationes, modumque illarum, deſcribit. Cum, proprie

Ttt 2 loquendo,

loquendo, non oculus atque auris, ſed harum, inprimis autem nervorum, his connexorum, ope anima, audiat, atque videat, apparere putat Autor, illis reſectis, extremitates nervorum, immo, his etiam abſentibus, ſpiritus animales, in cerebro contentos, denique, craſſiori ſubſtantia cerebri remota, ſpiritus, quos diximus, aliasque particulas, animam afficere, eamque adeo a corpore ſeparatam conſuetarum olim ſenſationum capacem eſſe. Sed quare anima in præſenti de ſtructura ſituque partis illius cerebri, quam inhabitat, nihil plane novit, ſi absque externis organis ſentire poteſt? Reſpondet Autor, ſimilitudine ab oculo deſumta. Sicuti hujus tunica retina albicans eſt, ut imagines eo purius diſtinctiusque depingantur: uvea autem nigricans, quæ radios transmittit quidem, at non reflectit, ne attentio diſturbetur; ita etiam interna cerebri ſuperficies, cavitatibus, ubi commune ſenſorium eſt, proxima, alba, recipiendisque imaginibus apta, interior autem ſuperficies animæ inſenſibilis eſt. Qua de cauſa cavitates cerebri intricatæ anfractuoſæque ſunt, ut ſpiritus animales iis adeo infringantur, infirmentur, ac confundantur, ut eo numero locove convenire nequeant, quo animæ hujus internæ ſuperficiei perceptionem communicent. Equidem anima vim habet dirigendi ſpiritus animales in linea recta verſus cavitates illas; at pauci, ſi id efficere debeat, tum requiruntur; alias enim motus eorum turbidos, ab affectibus concitatos, ſedare poſſet. Interim tamen anima ſine cerebro recordari rerum antea perceptarum nequit. In audiendo enim videndoque patiebatur magis; at in reminiſcendo agit, excitando iterum ideas, cerebro impreſſas, nec ſibi inhærentes. Quapropter probabile videtur Autori, reliqua entia ſpiritualia, ad unum omnia, ſolo Deo excepto, corporibus eſſe prædita, quorum ope ſentiant, atque recordentur. Animæ brutorum, utpote tantum ſenſitivæ, quatenus corpori junctæ, perfectæ ſolum ſunt. Et, quoniam nulla ſuppetit ratio, quamobrem eodem ſint privandæ, probabile eſt, eas ex uno migrare in aliud, donec forte aliquando cum quodam interitus experte, licet non per reſurrectionem, conjungantur, quam tamen transmigrationem humanis tribuere animabus, abſurdum eſt. Datur igitur ſtatus interme-

Digitized by Google

termedius animarum humanarum ſeparatarum, quem, cum dæmonibus etiam a *Juda* tribuatur, plurimorumque Patrum conſenſu firmetur, ſtatuere nihil prohibet. Non autem ſomno ſopiuntur animæ, licet immateriales ſint, ſed univerſe de recte praveque geſtis cogitant, intellectualibusque aliis, nobisque nunc ignotis, objectis contemplandis ſunt intentæ. Neque vero huic ſententiæ Scriptura Sacra adverſatur. Quicquid enim de animabus ſub altari clamantibus, tum & de variis nationibus in cœlo commorantibus, legitur, figurate dictum eſt. In parabola de divite ᾅδης ſtatum miſeriæ, & flamma morſus conſcientiæ, notat. Utcunque eſt, parabola ob morum emendationem, non ad doctrinam quandam inculcandam, comparata eſt. Paradiſus in verbis Servatoris ſenſum habebat, quo vocem intelligebat latro cum Judæis, adeoque ſonabat ſtatum felicitatis medium, quo haud dubie ipſe etiam Servator fruitus eſt, multo poſt crucifixionem in cœlum evectus. *Paulus* deſiderat, tutela Chriſti propiori gaudere. Sicuti etiam Terra, Venus, cum reliquis planetis, non minus præſens eſt Soli, quam Mercurius, quamvis ei propior; ita corpus Chriſti glorificatum, Soli comparatum *Apoc. XXI, 23*, ſuo ſplendore non minus cœleſtes animas, quam longius paullo remotas, illuſtrabit. *Stephanus* quidem cœleſtem videbat gloriam, ſed non propterea ſtatim in eam recipiebatur. *Salomon Eccl. XII, 7*, ſolum de certo quodam & fixo ſtatu loquitur, ſpecialem autem ejus rationem non definit. Denique doctrina hæc Seculo XV quæſtus cauſa in Concilio Florentino damnata Autori videtur. Ceterum ex eo, quod anima ſine corpore rerum ante actarum recordari nequeat, confirmat Autor, conjunctionem ejus cum corpore ante diem noviſſimum certo conſecuturam. Quod ad modum locumque pœnarum præmiorumque æternorum attinet, & Poetarum ſcripta, & ipſius, ſi recte capiatur, *Mohammedicæ* religionis præcepta, & ipſe ſacer Codex, nihil proprie de eodem enuntiant, ſed omnia translatis loquendi rationibus involvunt. Nihil igitur certi ex iis concludi poteſt, præter hoc, proportionem inter facta & præmia pœnasve exactiſſimam interceſſuram eſſe. Id certum eſſe putat, viſionem Dei non in ſola, quod multis videtur, ſpeculatione

conſiſtere, ſed ſenſationibus etiam, imo affectibus gratis, iisdemque innoxiis, copulatam eſſe, cognitionemque noſtram non niſi per gradus incrementa capere. *Tentamen* de creatione maxime *Spinoſiſtis* oppoſitum eſt. Creatio notat productionem vel novæ formæ, vel novæ ſubſtantiæ. Formam non ab æterno eſſe, Autor vulgatis argumentis, ab initio hiſtoriæ, inventione Scripturæ, & Chronologiæ, graduali incremento hominum, montium contra decremento, numeri infiniti contradictione, mutatione denique continua orbis rerumque creatarum, oſtendit. Dehinc creationis, altero ſenſu acceptæ, poſſibilitatem & certitudinem demonſtrandam ſumit. Illa apparet 1) ex poſſibilitate producendi novas formes, quæ non minus, quam ſubſtantia ipſa, ex nihilo oriuntur, 2) ex æterni entis exiſtentia. Quodlibet exiſtens habet in ſe cauſam vel rationem continuatæ ſuæ exiſtentiæ, quæ vi quadam abſolvitur. Hæc vis in Deo cauſa eſt exiſtentiæ aliorum entium. Præterea vis tum in exiſtendo, tum in agendo, abſolute independens eſt. Hinc, dum novam ſubſtantiam ex nihilo produxit, effecit, ut effectus hic a nullo alio ente pendeat, nullaque materia eam in rem uſus eſt, a qua opus ſuum dependeat. *Certitudinem* demonſtrat 1) ex perfectione naturæ entis independentis. Hoc ſumma gaudet ſufficientia ac potentia, quæ in toto univerſo nullibi apparet. Quin potius, cum id tum totum, tum qua partes, nullam vim conſervandæ exiſtentiæ ſuæ in ſe ipſo habeat, adhæc majores perfectiones recipiat, id quod enti neceſſario repugnat, in tempore cœpiſſe manifeſtum eſt. 2) Ex actuali penetratione univerſi viſibilis facta a natura quadam perfectiori. Penetrationem hanc confirmat *gravitatio* verſus centrum, quæ numero particularum, quibus corpus conſiſtit, conveniens eſt, ac ſecundum diverſum ſitum variat. Hæc autem gravitatio, ejusque diverſitas proportionata, non poteſt non pendere a cauſa, univerſi materialis ſubſtantiam pervadente, motusque ejus pro diverſo ſitu dirigente. Tale itaque ens inferius, qua ipſam etiam exiſtentiam, æternum eſſe nequit. Amplius id ex natura *diſtantiæ* adſtruitur. Spatium, in quo magna corpora univerſo vicina moventur, materia vacuum eſt. Non tamen merum nihil eſſe poteſt. Corpora enim,

inter

Digitized by Google

inter quæ nihil intercedit, coaleſcere oportet. Idem vero ſpatium, cauſa diſtantiæ corporum, motum eorum non impedit. E. corpora hæc a ſpatio ſuo penetrantur. Quod cum menſurari queat, certe non ens rationis, ſed reale quid, perfectiſſimæque naturæ, eſt. Denique ex cohæſione partium, quando ex fluido ſolidum quid fieri debet, probatur. Internam cauſam particulas disjunctas tam firmiter coagmentare oportet, adeoque penetrare earum ſubſtantiam. Hoc ens penetrans non poteſt non eſſe ipſe creator, Deus. Aut nos vehementer fallimur, aut Spinoſiſta ſuam hypotheſin magis corroborari, quam deſtrui, dicet. 3) Ex reali diſtinctione & pluralitate entium, cujus demonſtratio ex modo allatis arceſſitur; 4) ex immortali animæ humanæ natura. Si nempe animæ ab æterno exſtitiſſent, haud dubie generalis ſaltem notio ſtatus priſtini nobis ineſſet. Quam cum nemo unus in ſe ſentiat; magno argumento eſſe cenſet Autor, eas in tempore creatas eſſe. 5) Ex ipſis diſſentientium principiis. Ponunt hi, univerſum materiale unicam eſſe ſubſtantiam, eamque mere paſſivam. Motum ergo paſſionem eſſe, uni parti ab altera communicatam, concedant, neceſſe eſt. Hinc arguit Autor: Si univerſum unica æterna ſubſtantia eſt, vel ab æterno in motu, vel in quiete, fuit. Si hoc, nunquam ſine libero quodam agendi principio moveri potuit, quale adverſarii non concedunt. Si illud, nunquam a motu ceſſare poteſt. Is enim neceſſarium materiæ attributum eſſet, quod tamen de paſſiva & ad utrumque indifferenti materia prædicare inconveniens eſt. Cum ergo materia neque ab æterno moveri, neque quieſcere, potuerit; relinquitur, eam creatam eſſe. His ita diſputatis, objectionibus, quibus creationi occurrunt, ſatisfacit Autor. At vulgares illæ ſunt, nec novi quid iis opponit, cui recenſendo immoremur. Ceterum Autor eſt *S. Colliber*, disquiſitione de exiſtentia & natura Dei, aliisque ſcriptis, notus.

I CONGRESSI LITTERARI D'OGGIDI, &c.
hoc eſt,
CONTROVERSIÆ LITERARIÆ HODIERNÆ; Autore JACOBO LADERCHIO, Congregationis Oratorii Romæ.

Vene-

Digitized by Google

Venetiis, typis Jo. Baptiſtæ Recurti, 1734, 4.

Plag. 17.

Pauli gladium, non ſpiritus, ſed autoritatis & ſupplicii, in eos ſtringendum credit Cel. Autor, qui doctrinas, ab eccleſia ſua approbatas, in controverſiam dubiumque revocare audent. Sunt ſane homines, qui argumentis nolunt convinci, licet erroribus ſint implicati. Dantur homines, qui famam ac exiſtimationem ſuam periiſſe credunt, ſi veritati vel argumentis victricibus aſſenſum externum palmamque conceſſerint. Sed redit ſemper quæſtio, an illi ipſi, an adverſariorum vel ratio agendi, vel negligentia & cœcitas, vel ambitio otiive cupiditas, ſint in cauſa, cur tot exempla pervicaciæ in ſentiendo exſtent. Qui minis, vi, & ferro, diſſentientes, ne hiſcant, ne muſſitent amplius, adigunt, cauſæ ſuæ haud egregie conſulunt. Suſpicionem enim relinquunt, argumenta haud eſſe ipſis valida, quibus veritatem propugnent. Nec animum ipſum illi lucrifaciunt, qui vim externam loco argumentorum opponunt. Silentium obtinent ea ratione, & intus refragantem ſimul adverſarii mentem loco præmii reportant, quæ, occaſione data, rurſus erumpit ac latrat. Aſſenſus enim non vult cogi, ſed humanitate, manſuetudine, & argumentis, conciliari. Objicis fortaſſe,
Pag. 2. exiſtere multos, qui ſint inhabiles veritati indagandæ, vel admittendæ, principiis ſemel contrariis imbuti. Sed, prout ingenia ferunt, argumenta ſunt temperanda. Ægris enim cibus contrarius non eſt imperandus, ſed ad eorum ſalutem eligendus & miſcendus eſt ille, qui rationibus ipſorum eſt conformis. Dantur enim morbi, ut corporum, ſic animorum. Autor ex eorum eſt numero, qui controverſias vi, proſcriptionibus, & gladio, compeſcendas frænandasque volunt, immemor moniti, a Chriſto & *Paulo* profecti: *neceſſum eſſe, ut ſcandala eveniant; hæreſes non poſſe non ingruere, ut ſinceri probentur ac ſpectentur.* Inprimis operam ſibi datam credit, ut Janſeniſtis os obturet, eisque vim externam eſſe opponendam moneat. Janſeniſ-
3 ſeq. mum credit Calviniſmum eſſe occultum ac colore variegatum.

Ut

Digitized by Google

Ut hoc obtineat, collationem inter utrumque inſtituit ſatis violentam, quam faſtidiunt & improbant Janſeniſtæ. Miracula defunctorum, Sanctos, eorumque reliquias, haud repudiant Janſeniſtæ, miracula & reliquias ſui *Pariſi* jactantes. Id vero præcipue urget Autor, decreta Pontificum non poſſe retractari, Pag. 12.
haud eſſe diſputandum cum Janſeniſtis, rem definitam non 21.
poſſe revocari, ipſos eſſe a communione eccleſiæ Romanæ expellendos. Quod ut evincat, Patrum loca & teſtimonia cumulat, ſuoque aptat ſcopo. Scriptum profecto multum ſpirat eloquentiæ, ac Janſeniſtis ita eſt oppoſitum, ut opiniones ſuas cum conſultis hiſce in concordiam difficulter ſint redacturi.

FUNDAMENTA LINGUÆ HEBRÆÆ, SUIS undique rationibus ſolide firmata, ſeu Grammatica Hebræa philoſophica, in uſum Auditorum adornata a FRID. CHRIST. KOCH, Philoſ. Mag.

Jenæ, ſumtibus viduæ Crœkerianæ, 1740, 8.
Alph. 1 plag. 16.

Linguas ab arbitrio ac uſu tyranno, non a rationibus, pendere, conſuetudo ſentiendi docet pervulgata. Cum vero arbitrii ipſius in actum adducti rationes dentur, nec id diuturnum eſſe poſſit, cui non ſubeſt ratio; manifeſtum ſane eſt, ſermonem humanum ac linguas ſuis inniti rationibus. Id vero prorſus aliam ad quæſtionem pertinet, an homini ſint rationes illæ notæ. Viciſſitudines enim rerum, quarum pars in arbitrio & uſu eſt ſita, ita ſolent eſſe comparatæ, ut origo & minutulæ mutationum exiguarum, e quibus mutationes ſenſim magnæ oriuntur, rationes vel haud animadvertantur, vel oblivione conterantur. Quod ipſum Cl. Autor probe expendit. Ipſe enim non id agit, ut ipſam linguam Hebraicam ex primis ſuis principiis methodo apodictica demonſtret; ſed potius in eo eſt occupatus, ut regulas, ex indubia linguæ experientia formatas, nexu evolvere ſtudeat accurato, de reliquo exiſtimans, in addiſcendis per artem linguis, eaque in primis He-

bræa, methodum demonſtrativam ſeu ſcientificam minus eſſe ſpernendam. Diſſertationem proluſoriam, publice ventilatam, Operi præmiſit, cui eſt titulus: *de Methodo ſcientifica in addiſcendis per artem linguis haud contemnenda, & de analyſi vocum Hebræarum rite inſtituenda.* In ea it demonſtratum, ſcribi poſſe Grammaticam Hebræam philoſophicam, earumque regularum applicationem, quarum rationes ſuppetunt, vocat analyſin grammaticam, in qua evolvuntur ac eruuntur partes, quæ ad formationem & conſtructionem terminorum qua talem reſpiciunt. In quolibet termino diſtingui poſſunt duo, 1) ſonus, & 2) idea, ſeu ſignificatus, & in hoc tria, nempe verbum, nomen, particula. In nomine rurſus diſcernuntur genus, numerus, ſtatus, præfixa, & ſuffixa. In verbo attendas neceſſe eſt ad conjugationem, modum, tempus, numerum, & perſonam, atque ſuffixa. Poterant hæc brevius ediſſeri. Præmittuntur deinde tractationi generalia quædam, quæ ad ideam linguæ & Grammatices, in primis Hebrææ, ſpectant. Exponit in eis de natura & notis ſignorum. Vox ipſi eſt oris ſonus, ex quo cognoſci poteſt cogitatio. An ἐγγαςριμύθυς, proprie ſic dictos, dari credat, haud definit. *Signa idearum* vocat *terminos*, hosque judicat complecti 1) ſonum oris, 2) ideam. Omittimus reliqua, quæ grammaticis libellis linguarum diverſiſſimarum ſunt communia. Intexit quædam de munere & officio translatorum, ſeu interpretum, *pag. 12 ſeq.* Tria requiri ad *idiotiſmum*, ſolide monet, 1) ut jam adſit ſeries idearum, invicem connexarum, per plures terminos, inter ſe conſtructos, exprimenda, 2) ut modum calleamus, quo eadem in aliis linguis per plures terminos, certo invicem modo combinatos, tradatur, 3) ut is modus conſtruendi voces ad hanc idearum ſeriem ſignificandam, qui in hac lingua reperitur, in aliis, quibuscum comparatur, minus ſit uſitatus. Linguæ Hebrææ prærogativam collocat in antiquitate, brevitate, perfectione, & ſanctitate. Perfectionis pars eſt, quod illa exhibet ſigna vocalium brevium ac longarum, immo breviſſimarum. De ortu ſignorum vocalium ſic ſentit: *Iis aſſentio, qui punctorum antiquitati favent, eaque ſaltem obſignationi Codicis Vet. Teſt. æqualia eſſe ſtatuunt,*

Digitized by Google

ſtatuunt, niſi ad primordia ipſius ſcriptionis ortum illorum referre velis. Diſtinguenda ſunt duo: 1) an codices MSti exſtent, e quibus hæc controverſia poſſit decidi; 2) an hæc puncta vocalia, nec ulla alia, quibus recentiora fuerint ſubſtituta, ſint libris Biblicis Hebraicis ætate æqualia. Teſtimonia hic nos deſtituunt hiſtorica. Ratio itaque in ſentiendo ſic eſt ſubducenda, ne ſcopo librorum divinorum quid detrahamus. *Kübbutzum* Autor pro diphthongo habendum eſſe, inficiatur. *Cholem* & *Schurek* cum puncto, ſuperius adjuncto, habet pro geminato *Kübbutz.* Ubi de vocalibus expoſuit, gradum promovet ad conſonantes, ad alternationem literarum, ad ordinem literarum grammaticum, ad ſigna literarum variata, finalia, & dilatabilia, Hebræorum artem numerandi, ad numeros cardinales & ordinales, ad ſpecies conſonantium, motas & quieſcentes, radicales & ſerviles. Inde progreditur ad ſyllabam. Diphthongos linguæ Hebrææ agnoſcit nullas, doctrinam de mora ſyllabæ ſimplici & compoſita retinet, omnique ſyllabæ tres temporis moras in pronuntiando attribuit, de tono nonnihil adjungit, eumque exiſtimat eſſe ſonum morarum, tribus plurium. Accentus Hebræorum per *θεοπνευςίαν* eſſe appoſitos credit, eo quod ipſi ad ſenſum rite determinandum nimium quantum faciant. Vocem *Makkeph* ex מְנַקַּב Syriaco, quod *copulatum* notat, dictam eſſe, cum Cel. *Danzio* credit *pag. 144.* Tum vero differit de ſignis ſeu notis quibusdam, quæ ſigna literarum, in ſyllaba conſtitutarum, afficiunt. Orditur de *Schua* ſimplici & compoſito. Quare id ſub quieſcentibus locum haud inveniat, rationem reddit, æque oſtendens, cur punctum *Mappik* ſoli literæ ה imprimatur. De *Patach furtivo* ac *Metegh* agit modo ſatis protrito, ac notas affert, quibus *Metegh* laxum & ſtrictum diſcerni invicem poſſit. Subjungit diſcrimen illud, quod inter *Kametz chatuph* & *Kametz longum* intercedit. Moram eſſe *τῷ Metegh* adſcribendam, negat *pag. 185.* Porro tranſit ad doctrinam de *Dageſch* leni ac forti. Ediſſerit deinceps mutationes, quæ in ipſis Hebræorum vocibus occurrere poſſunt, nimirum circa literas, & ſpeciatim circa vocales in termino. Hæc de punctorum mutatione doctrina,

 (ad

Digitized by Google

(ad conſonantes enim pauca pertinent,) accuratiſſime omnium traditur, licet alii malint eam breviori compendio tractari. Et huc usque *Pars* Grammatices *prior* defluxit. In *poſteriori* percenſentur ea, quæ ad partes orationis ſpectant. Locum *Gen. IV, 7,* לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ ita exponit, quaſi vox עֹנֶשׁ, *pœna,* exciderit per ellipſin ante vocem חַטָּאת, hunc in modum: *ante oſtium,* id eſt, proxime, *peccatum,* ſeu potius peccati pœna, *cubat,* ſive te exſpectat. Quæ ellipſeos ratio nobis, velut inſolita, minus probatur. Si vox רֹבֵץ ad *Cainum* refertur, ſponte ſua fluunt cuncta. Vox פְּנִינִים, ipſo judice, denotat objectum, multis ſuperficiebus inſtructum, ſeu gemmas pretioſas, multis faciebus reſplendeſcentes. Notas nominum propriorum recenſet. Quæ de genere nominum profert, ſunt tritiſſima. De numero duali & plurali, de ſtatu, ſignisque caſuum, plane & luculente exponit. Voculam את pro nomine habet, eamque *eſſentiæ* eſſe deſignatricem, cum aliis exiſtimat. Nomina, judice ipſo, poſſunt ac ſuo jure debent eſſe radices ſuorum verborum, ac ab illis hæc ſunt derivanda. At apud Hebræos verba ſunt plurimam partem radices, vel quod nomina manſerunt nobis ignota, vel quod verba ampliorem uſum fundunt. Quæ de eruendo uno radicis ſignificatu formali attulit, ſunt breviora, quam ut inde diluceat, cur via, quam Cel. *Albertus Schultens* iniit, tantopere a via hebraizandi metaphyſica diſſideat, ut plerisque viſum. Cum formas nominum percenſuit, judicium de Cl. *Simonis Arcano formarum* profert hunc in modum: *Num unquam Hebræi in conſtituenda ſua lingua feliciorem hancce ſortem attigerint, ut terminis, in uno aliquo tertio generali invicem conſpirantibus, una adjudicata ſit, vel forma nuda, vel aucta, de eo dubitare licet, experientia repugnat, nec allata ſpecimina, niſi coacte ſatis, id confirmare videntur. - - Interim egregia permulta ex illo Cl.* Simonis *libro addiſcere licet.* Doctrinam de pronominibus & verbis, eorumque formatione ac notis, Cl. Autor tam exquiſite tradidit, ut nemo accuratius. Noſtrum eſt, ipſi de exantlato feliciter labore congratulari.

DE

Digitized by Google

DE VITA ET OBITU VIRI CLARISSIMI, CHRISTIANI AUGUSTI SALIGII, Phil. D. & Lycei Wolfenbut. Conrectoris, Epiſtola, ad Virum Ampliſſimum, JUSTUM MICHAELEM THOMÆ, perſcripta a JO. ARNOLDO BALLENSTEDIO.

Helmſtadii, typis Jo. Drimborn, 1739, 4.

Plag. 4½.

Haud ignotus exſtitit beatæ memoriæ *Saligius Actis* noſtris, natus patre *Chriſtiano Saligio*, paſtore cœtus Domerslebienſis in Ducatu Magdeburgico A. 1692. Gens *Saligia* quondam in Belgio floruit, turbis, religionis cauſa ibi motis, ſolum vertere coacta. Ipſe per decennium verſatus fuit in Academia & Halenſi & Jenenſi. In ſocietate *Thomaſiana* Italis libris decerpendis, & in compendium redigendis, multum navavit operæ. Debetur ei recenſio libri, quem vocant *Joannis Bodini Colloquium heptaplomeres*, quæ *Thomaſii* Cogitationibus de caſibus juridicis ac philoſophicis eſt inſerta. Spirat diligentiam ejus Diſſertatio, Halæ habita, cui titulus: *Philoſophumena veterum & recentiorum de anima, & ejus immortalitate.* Wolferbuttelæ Bibliotheca ſtudioſe uſus eſt Ducali, ejusque cimeliis ſcripta ſua exornavit. Teſtes ejus rei ſunt monumenta, quæ lucem in publicam ipſe emiſit. Prodiit Wolferbuttelæ A. 1723, 4, liber ejus *de Eutychianiſmo ante Eutychen*, de quo diſſeruimus *A. 1724 Menſ. Sept. pag. 420 ſeq. Neſtorianiſmi* in eo ſimul traditur hiſtoria, quæ effecit, ut in *Neſtorianiſmi* crimen Autor illam ob cauſam apud glorioſiſſimæ memoriæ Ducem, *Auguſtum Guilielmum*, vocaretur. Idem ac *Saligius* ſenſit paullo poſt *Paulus Erneſtus Jablonskius* in *Exercitatione de Neſtorianiſmo*, Berolini edita. Sed Lipſiæ *Carol. Gottlob Hoffmannus*, Præſide S. Rev. *Henrico Klauſingio*, *Saligii* rationes expendit in Diſſ. *de eo, quod Neſtoriana controverſia non ſit logomachia.* Reſpondit *Hoffmanno Saligius* in *Eutychianiſmi hiſtoria*, Opere magno, nondum edito. Scripſit porro *de Diptychis veterum* volumen, Halæ editum A. 1731, 4, quod indi-

Pag. 6. 12. 16. 17. 18.

indicavimus laudavimusque *A. 1732 Menſ. Mart. pag. 113.* Hiſtoriam deinde Auguſtanæ Confeſſionis plenam (*vollſtændige Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeſſion, und derſelben Apologie,*) edi-
Pag. 23. dit per *Partes*, quarum *prima* exiit in dias luminis auras Halæ A. 1730,4, *ſecunda* vero ibidem A. 1733,4. Adjunxit ex Hiſto-
24. ria literaria *Petri Pauli Vergerii* vitam, fata, & ſcripta. *Tertia* ſucceſſit A. 1735, qua magnam multorum in ſeſe offenſionem concitavit, heroum & reformatorum quia nævos liberius detexerat, *Caſpari Schwenckfeldii* ac aliorum Fanaticorum præconia amplificaverat, vitam eorum & errores excuſarat, ſuſpicionem monumentorum fide indignorum, ab ipſo vel fictorum, vel minus recte adhibitorum, commoverat. Verum falſitatis crimen injuſte ei fuit intentatum. *Pars quarta* ad finem fuit perducta; *quintæ* quo minus colophon addi poſſet, mors exſtitit impedimento. *Nodum prædeſtinationis ſolutum* Batavi jam edere parant, ab eo profectum. Errant, qui ei attribuunt ſcriptum: *Linguæ Apoſtolorum diſſectæ, redintegratæ a* Micha Erich Soleicht. Autor enim ejus eſt *Joachimus Henricus Eichholts*, Diaconus tum Eſchershuſæ, vici intra præfecturam Wickenſen in Ducatu Brunſuico-Luneburgico Wolferbuttelano, nunc Superintendens Harzburgicus, qui *Tobiæ Eckardo* reſpondere ſuarum duxit partium, licet Vindiciæ illæ publicam haud adſpexerint lucem. *Saligius* in Hiſtoria eccleſiaſtica non multum abludebat a tramite *Gothofredi Arnoldi*, orthodoxis minus favens, fanaticis & hæreticis vindicias parans, paradoxorum amator, Critices in eis, quæ aliis videntur immota, ſtudioſus, verſionis *Lutheri* Biblicæ rigidus cenſor, eccleſiaſtarum favore vacuus, patronorum haud anxius indagator, ſummus Philologus, antiquitatum, inprimis Chriſtianarum, apprime gnarus, vir indefeſſæ lectionis & operæ, Philoſophus eclecticus, Theologus liberior, & libertati ſentiendi indulgens, immobilis opinionis ſemel arreptæ approbator, qui diutius vitam potuiſſet exigere, ni ab inimicis preſſus, a cenſoribus (*) male eſſet habitus, laborisque privati

(*) Edictum Cenſorum *M. Domitii Ænobarbi* & *L. Licinii Craſſi* inter alia: *Hæc nova, quæ præter conſuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur.*

Digitized by Google

privati nimium patiens, publici paullo impatientior, exſtitiſſet. Sed ita ſumus homines, ut faculæ maculis ſoleant eſſe in vita hac fragili diſtinctæ. Illas in Viro Clariſſimo laudamus, & ſuis Pag. 28. elogiis dignas judicamus; haſce vero meritis ejus condonamus. Obiit vir, muniis ſuis major, fortunaque meliori dignus, anno præcipiti 1738, ex febre intermittente tertiana, ut creditum fuit, maligna, quacum ſumma virium labefactatio & coma vigiliis grave, in paralyſin & mortem abiens, fuerunt conjuncta. Egregie de *Saligii* fama meruit *Ballenſtedius*, Vir manſuetiorum Muſarum ſtudioſiſſimus, tum veritatis, tum humanitatis, & ſimul in defunctum pietatis, quod factu & conjunctu plerumque difficile eſt, eleganter memor. Quæ per Commentatiuncularum modum hiſce *Actis* B. *Saligius* inſerenda curavit paſſim, illa ex literis initialibus facile innoteſcunt.

DOCTRINA POLYCARPI DE PRÆCIPUIS Chriſtianæ fidei capitibus. Accedit Demonſtratio veritatis & divinæ originis librorum Nov. Teſt. ex Clementis Romani teſtimoniis de Apoſtolis Jeſu Chriſti, Autore JACOBO HENRICO BALTHASARO, S. Theol. D. & Prof. Publ. in Acad. Gryphiswald. Conſiſtorii Regii Aſſeſſore, & Paſtore Jacobæo.

Jenæ, ſumtibus Chriſt. Franc. Buchii, 1738, 8.

Plag. 19.

Antiquitate ſi veritas eminet, commendatione exſplendeſcit non contemnenda. Deus enim tam benignus exiſtit in genus humanum, ut mentes hominum veritate prius, quam erroribus, imbui voluerit. Quam ob cauſam gentes, ut religioni ſuæ antiquitatis laudem conciliarent, in tradendæ Chronologiæ ſuæ originibus modum omnem exceſſerunt. Uſui igitur publico conſuluit Autor S. Reverendus, dum *Clementem Romanum* primi, *Polycarpum* vero ſecundi, Seculi doctores præſtantiſſimos tanquam veritatis Evangelicæ teſtes ac confeſſores exhibuit

Digitized by Google

hibuit in libro hoc, qui Diſſertationes nonnullas Academicas, in
unum volumen collectas, complectitur. In Præfatione ediſſeritur
Pag. 7. vita S. *Polycarpi*, ejusque Epiſtola, ad Philippenſes ſcripta, pro
genuina habetur. Ex hac, ex Epiſtola Smyrnenſium, & ex *Ire-
næo*, concinnavit Noſter illud fidei catholicæ compendium, quod
cum orbe Chriſtiano communicat. *Caput I* de Scriptura ſa-
cra eſt inſcriptum, quo oſtenditur ejus origo per θεοπνευστίαν,
veritas & certitudo, vis normæ, perfectio, latio laicis con-
ceſſa, uſus & efficacia, immo abuſus. Ex eodem *Polycarpo*, li-
brum *Tobiæ* non eſſe canonicum, perſpicitur. Ipſe ſingulos
fere Nov. Teſt. libros laudavit, ac nonnulla ex eis delibavit. Pe-
tulanter itaque & falſo *Gothofredus Arnoldus* in *Hiſt. Eccl. P. I Lib.*
14 ſeq. *I Cap. 5 pag. 49* aliis ivit perſuaſum, *Clementem*, *Polycarpum*, &
alios ejus ætatis, duntaxat libros Vet. Teſt. excitare. *Capite
ſecundo* de Deo triuno exponitur, demonſtrata ex *Polycarpo* Tri-
nitatis doctrina, ac adoratione, ſoli Deo præſtanda, *pag. 79 ſeq.*
106 ſeq. *Capite tertio* continetur doctrina de Filio Dei, ejus perſonalita-
te, deitate, humana natura, ſtatu utroque, officio triplici, ſa-
tisfactione vicaria, & deprecatione pro hominibus, regnoque
122 ſeq. minus chiliaſtico. Arianiſmus, ex *Polycarpo* exſculptus,
ab erroribus, removetur. *Caput IV* de eccleſia agit,
de miniſterio eccleſiaſtico, de magiſtratu politico, de ſtatu
œconomico & conjugio, de morte, reſurrectione, judicio ex-
tremo, & vita æterna. De ætate *Clementis Romani*, ejusque Epi-
ſtolæ γνησιότητι, teſtimoniis ejus de Apoſtolorum vita & teſti-
222 ſeq. monio, immo martyriis tandem, diſſeritur ſatis copioſe, ac de-
monſtratio additur de veritate librorum Nov. Teſt. & divinæ
eorum originis. Agit ubique S. Rev. Autor Theologum veritatis
& doctrinæ caſtioris amantem, in judicando nihil dantem temeri-
tati, ſed rationibus ubique utentem iis, quæ adverſus diſſentienti-
um tela robur ſervent invictum. Si ex reliquis quoque eccleſiæ pri-
mæ Patribus ſyſtemata ejusmodi dogmatica tenuerimus compoſita,
veritas & orthodoxia majori effulgebunt luce, ac hiſtoria dogma-
tum Theologiæ poſitivæ latius eniteſcet, qua maximam partem
adhuc caremus. Sed Criticos, *Balthaſaro* pares, inſtitutum
illud exigit atque requirit.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi IV Sectio XII.

ABREGE' CHRONOLOGIQUE ET HISTORIQUE DE l'Origine, du progrés, & de l'état actuel de la Maiſon du Roi & de toutes les Troupes de France, &c.

id eſt,

EPITOME CHRONOLOGICA ET HISTORICA de Origine, progreſſu, & ſtatu Domus Regiæ, ac omnium copiarum Galliæ, pedeſtrium ac equeſtrium & deſultoriarum, una cum annotationibus, hiſtoriæ ipſarum inſervientibus, & ephemeridibus hiſtoricis obſidionum, præliorum, conflictuum, & inſultuum; Autore SIMONE LA MORAL LE PIPPRE DE NOEUFVILLE, Canonico Collegiatæ Ædis ad S. Virginis apud Condros, Eleemoſynario Ordinis S. Michaelis Elect. Colonienſis. Tomus primus, complectens milites, cuſtodiæ corporis addictos, & prætorios.

Leodii, apud Everhardum Kints, 1734, 4 maj.

Alph. 4 plag. 5, cum Tabula æri inciſa, quæ exhibet Ludovicum XV, Regem Galliæ.

Opus ſplendidiſſime editum, Regique Galliarum Auguſtiſſimo & Chriſtianiſſimo inſcriptum, gloriæ Gallorum eſt documentum haud vile. Potentia enim Regum, & robur

 gentis,

Digitized by Google

gentis, maximam partem ex virtute copiarum cognoſci ſolet. Autor S. Rev. in Præfatione ardui conatus ſui difficultates haud prætermittit intactas, ratus, fieri potuiſſe, ut nonnunquam in via ab aliis minus trita offenderit & impegerit. Cum Criticis moleſte ſedulis ſeſe ideo conflictaturum, negat. Juſtos potius rerum æſtimatores obſecrat, ut candide & ſincere indicent nævos, ab ipſo admiſſos, ut, ſi qua ſucceſſura ſit editio Operis ſecunda, eorum in locum ſubſtitui poſſint rectiora. Ingenui pectoris hæc ſunt monumenta, quibus a malevola vitilitigatorum turba nihil eſt pertimeſcendum. Refellit cenſuram eorum, qui a perſona viri eccleſiaſtici alienum putant, res bellicas tractare, remittens illos ad illud *Terentianum*: *Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.* Bellum certe juſtum haud ſecus Deo judice gaudet, ac temporum pacis ſerenitas. Sacræ literæ commemorant ſatis bellorum, in quibus exponendis Theologi non poſſunt non eſſe occupati. Si Autor militiam attigiſſet nunquam, ſi doceret artem militandi, præliandi, inſidias & cuniculos ſtruendi, ſtrategemata, obſidionis præcepta, & aciei inſtruendæ modos, cenſuris illis eſſet fortaſſe locus. At, cum ipſe ſummorum militiæ præfectorum natalitia inſignia, glorioſa facta, fata, & viciſſitudines, hiſtorice exponat, multosque egregios viros eximat oblivioni, objectio & obtrectatio, in eum evibrata, inani ictu corruit. Gratiæ potius habendæ ſunt Autori, qui, pelagus aliis intentatum ingreſſus, familiarum illuſtrium gloriæ conſuluit, poſterosque earum ad æmulationem virtutum, a majoribus feliciter excultarum, inflammavit. Lubet id quoque ſignificare, Noſtrum, occaſione flagitante, nonnihil emendaſſe in eis, quæ P. *Daniel* hinc inde in libro de Militia Gallica erravit. Summam hujus *Tomi* ſi delibare e re eſt publica, omittendum non exiſtimamus, inveniri hic originem & inſtitutionem quatuor centuriarum, quæ vocantur a Romanis corporis ſummatum cuſtodes; ordinem chronologicum omnium præfectorum, qui præfuere eis, centurionum nempe & primariorum & ſecundariorum, ac vexilliferorum; ephemeridem hiſtoricam harum centuriarum, ex eo tempore deductam, quo illæ redactæ fuerunt in ſocietates aciem ſequen-

ſequentes (*compagnies d' Ordonnance*), ac facinora commemo-
rabilia in obſidionibus æque ac præliis ediderunt inde a *Ludo-
vici XI* regno uſque ad obitum ſummi Monarchæ *Ludovici
XIV*. Id credimus in vulgus conſtare, *domum regiam* dici in
Gallia agmen ſatellitum ac militum prætoriorum, qui Regem
regiamque familiam tegunt ac tuentur. *Carolus VII* elegit cen-
turiam Scotorum in ſatellitium, & hæc quidem videtur in nu-
mero quatuor illarum centuriarum vetuſtiſſima, a *Roberto Pa-* Pag. 2.
tilloco, duce militum fortiſſimo, allecta. Nomen ipſis olim
hæſit *ſagittariorum Regis*, ſiquidem ipſi arcubus ac ſagittis do-
mi militiæque erant inſtructi. Inſtitutio hæc haud longe ab A.
1441 eſt determinanda, ſcilicet figenda in A. 1445, teſte char-
ta *Ludovici XII*, Regis, ad A. 1507. *Sagittarii* 80, nunc appel- 3.
lari ſoliti *Gardes de la Manche*, ante *Carolum VII* jam in nume-
ro armatorum fuerunt cenſi. *Carolus* vero eorum auxit nume-
rum ad 180, quæ centuria ſubſtitit ad *Franciſcum I*, qui eam 5.
reduxit ad 100 Scotos, ne quid intereſſet inter eam & tres re-
liquas centurias corporis ſui cuſtodum. Scotis id eximii da-
tum, ut uſque ad A. 1561 centuriones omnium corporis re-
gii cuſtodum Scoticorum eſſent Scoti. *Joannes D'O*, Dominus
de Maillebois, fuit primus natione Gallus, qui centuriæ Sco-
torum præfuit. *Henricum IV* Scoticæ centuriæ admodum fa-
viſſe, teſtis eſt ejus edictum, ab *Horeſtono*, nobili Scoto, in 8.
Scotia Gallica (*Ecoſſe Françoiſe*), A. 1607 edita, evulgatum.
Quid Reges tempore ſubſecuto immutaverint in *domo regia*,
copioſe Autor exponit, additque recenſioni ſingularum centu-
riarum præfectos, qui eis præfuere. Mareſchallorum Galliæ 15.
dignitatem obtinuere centuriones Scotici ſatellitii nonnulli, no-
minatim *Robertus Stuartus*, Comes Bellemontanus, Dominus *Al-
biniaci*, & *Annus Julius*, Dux Noallienſis. Inſignia familiæ
cujusque natalitia, ſeu potius gentilitia, quæ exquiri potuere, ſuis
ubique locis ſunt inſerta, & deſcriptione luculentiori adjecta, hi-
ſtoricisque notitiis, productis in lucem, illuſtrata. Qui ſtudii He-
raldici amœnitatibus retinentur, ii ægre ab hiſce monumentis
ſeſe abſtinebunt.

ספר רות מפורש,

id eſt,

LIBER RUTH, ILLUSTRATUS DUPLICI QUIdem interpretatione, quarum altera verba ſacra, in fonte exhibita, de verbo ad verbum exprimit, altera ſecundum idiotiſmos linguæ ſanctæ, præeunte B.D. DANZII Interprete Ebræo, inſtituitur, item Analyſi Cap. I ad mentem Inſtitutionum Grammaticæ Ebrææ ejusdem B. DANZII adornata; brevibusque Notis philologicis, ac tam facili ratione, expoſitus, ut ſine præceptoris opera viam ad ſolidam ſermonis Ebræi notitiam monſtret. In uſum Auditorum ſuorum ſic conſcriptus a M. ANDREA CONRADO WERNER, Gymnaſii Stadenſis Rectore.

Hamburgi, apud Jo. Wilh. Brandtium, 1740, 4.

Plag. 14.

Eſt hic libellus eum in finem conſcriptus, ut tirones, ad mercaturam bonarum artium, ſeu ad Gymnaſia, profecti, inde ſcientiam ſuam, elementis Ebraicæ linguæ ſuperſtructam, augere & confirmare poſſint. Præmittitur *Capitibus* ſingulis tabula, quæ hiſtoriam, ejusque ſummam, in partes diſtributam, repræſentat. Sequuntur eam translationes duæ, altera ad verbum facta, altera ad amuſſim Interpretis *Danziani* elaborata, locisque, excitatis inde, aucta. Tum exhibentur lectori notæ philologicæ, viris inſervituræ magis, quam tironibus. Accedit in fine ſpecimen duplicis verſionis in tria priora *Geneſios Capita*, ut Autor Cl. exploret eruditorum ſuffragia. Ipſi enim conſtitutum eſt, ni alii aliter ſuaſerint, translationem Bibliorum Ebraicorum dare novam. Cum vero B. *Jo. Andr. Danzius* in Interprete ſuo obſervationes, longiſſimo collectas tempore, rationibusque ſubnixas haud contemnendis, produxerit, nulli dubitamus, quin translatio, ad ejus ductum ſuſcepta, poſſit eſſe eccleſiis ſaluberrima. Caremus ſane in hunc diem translatione ejusmodi Latina, quæ idiotiſmos Ebraici ſermonis curate & nervoſe exprimat. Id vero rogamus Virum Clariſſ. ſi quid conſiliis noſtris videatur tribuendum,

Digitized by Google

buendum, ut 1) puras & caſtigatas voces Latinas dictionemque & puram & planam adhibeat; 2) ut *Capitibus* nonnullis adjungat citationes, e *Danzio* depromtas; 3) ut Interpretem *Danzii* in fronte præmittat, & hac ratione conſulat lectoribus quibuscunque, & fundamentum translationis ſimul ad poſteros transmittat; 4) ut ab incertis ſibi caveat intexendis. Pace Viri Cl. exempla addemus. Ipſe vocem תּוֹלְדוֹת *Gen. II, 4,* transtulit per *nativitates* cœlorum & terræ. Mallemus, adhibita fuiſſet vox *natales*, *origines*, *productiones*, *formæ*, &c. An *arbor deſiderabilis v. 9* dicatur ſatis terſe & pure, dubitamus. *Arbor deliciis plena*, *deſiderio digna*, *deſideranda*, *exoptata*, poteſt ſubſtitui fortaſſe. Arbor vitæ עץ החיים ab ipſo vocatur *arbor viventium v. 9.* At in *Apocalypſi* eadem vocatur *lignum vitæ.* Quare *arbor* illa fuit *vitæ conciliatrix*, dicenda potius *arbor vitæ*, quam *viventium.* Reſtat præterea quæſtio, an עֵץ, *lignum*, ibi deſignet unam arborem, an arborum numerum & multitudinem. In *v. 14 Chiddekelem* fluvium Autor Cl. vocavit *ambulantem.* Deſideramus hic vocem Latinam. Flumen פְּרָת appellavit *Euphraten.* Mallemus, retineretur vox *Phrath*, rati, flumen פרת ubique fere alias eſſe Syriæ Orontem, quem quippe Syri adhuc vocant *Fer* & *Fert.* Dubitamus præterea, an *v. 13* per שֹׁהַם intelligi poſſit *Sardonyx.* Iſthæc *II, 20: Non invenit adjutorium correſpondens ſibi*, videntur nobis emendatius puriusque tranferri poſſe. Adminiculum hic caſte poſitum fuit pro *adjutrice.* Illud vero כְּנֶגְדּוֹ videtur transferendum: *convenienter parti ejus genitali.* צֵלָע *v. 21* per *coſtam* ſolet verti. At ſignificatus famoſus indicio eſt, *latus* notari. Calliditatem ſerpentis anteponi verſutis animantibus agreſtibus *III, 1,* mirum videri poterat. *Serpens* ille fuit ipſe cacodæmon, quemadmodum ex vinculo *v. 14* & *15* perſpicitur. Hujus calliditas dicitur viciſſe prudentiam cujuscunque rei viventis in agro. Deſignatur ſimul homo ipſe, qui tum nec in urbe, nec in villa, ſed in rure aperto, morabatur cum uxore. Arborem dixit Cl. Autor *v. 6 concupiſcibilem*, quam dixiſſemus *ſumme concupiſcendam*, *Ciceronem* imitantes. Nec credimus, loco accuſativi, cum infinitivo jungendi, poſſe adhiberi voculam *quod* cum conjun-

Digitized by Google

ctivo promiſcue. Quæri præterea poteſt, an חֲגֹרוֹת *v. 7* ſint
cingula. Scopus *Adami*, & occultatio ejuſdem, videntur ſuade-
re, ut *tuguriola*, corpus ab aeris injuria defendentia, per vo-
cem illam intelligamus. Vox porro מִתְהַלֵּךְ nobis videtur
non ad Jehovam *v. 8*, ſed ad קוֹל, referenda, ut deſignetur
oraculum, hortum perſonans, ſeu *pervadens.* Vox תְּשׁוּקָה *v. 16*
ſolet reddi per *appetitum.* At ſcopus & complexus orationis
ſignificat *ſtudium, quo quis actiones ſuas ad alterius nutum con-
format promta voluntate.* Verum hæc pace Viri Clariſſimi di-
cta volumus, a dictatorio animo prorſus alieni. In Notis ad li-
Pag. 14. brum *Ruth* diſſeruit ille de incerto ejus autore, de tempore
conſcriptionis, probabiliter in quietem, ab *Ebudo* inſtauratam,
collocandæ, & de conjugiis Ebræorum cum Moabiticis uxoribus,
16. haud excuſate contractis. Suffixum maſculinum, fœminis tri-
butum, credit notam eſſe virilis animi, in calamitatibus demon-
ſtrati. Voculam הֲלָהֵן *v. 13* vertit: *an propter illa, ſuperius a
me commemorata?* Pæne fuiſſemus obliti grammaticæ analyſeos,
quam Autor ſingulis ſubjecit Capitibus. Vocem תֵּעָגֵנָה *v. 13*
ex עגן *exſpectavit* maluit deducere. מַרְגְּלוֹת *III, 14*, ſunt, ipſo
judice, *tegumenta pedum.* Significatui huic omnino favet analo-
gia, & adjecta vox גִּלִּית, *retegito.* Vocem יִלָּפֵת *III, 8*, ex-
73. poſuit *huc illuc ſe vertit.* Malleinus, expreſſiſſet ſenſum vocis
per *cohorruit.* Ex לפת eſt יַלֶּפֶת *morbus elephas*, articulos &
juncturas rigore ſtringens. Per *Boaſum*, ex *Salmone* natum,
IV, 21, cum *Lyra* Autor Cl. ſignificatos credit avum, filium, &
91. nepotem. Cum vero ratione eadem exiſtimari poſſit *Obed* &
Naheſſon poſitus fuiſſe trinus, expoſitio illa nobis videtur eſſe
durior. Expediendum potius arbitramur illum nodum chro-
nologicum hoc modo. Expeditioni Iſraelitarum per Arabiam
& Moabitida interfuit *Naheſſon, Amminadabi* filius, *Num. X, 14,
I, 7, 1 Par. II, 10. Salma*, ejus filius, ex *Rahab* illa famoſa ſuſce-
pit *Boaſum*, hic ex *Rutha* ſuſtulit *Obedum*, *Obedus* genuit *Iſai*,
Iſai Davidem. Anno autem 480 ab exitu Iſraelidarum ex Ægy-
pto a *Salomone* templum fuit exſtructum *1 Reg. VI, 1.* Intra hoc
ſpatium vixerunt *Amminadab, Naheſſon, Salmon, Boas, Obed,
Iſai, David, Salomon.* Homines ejus ævi fuerunt annoſiores
ac

ac diuturniori robore. Quare nihil abſoni inde colligendum, ſi plures perſonæ haud enumerantur eis, quas ſacer Codex memoravit. De reliquo non eſt omittendum, Judæos jam profeſſos fuiſſe λατρείαν, δουλείαν, & ὑπερδουλείαν, & hanc a Judæis ad Pontificios tranſiiſſe diſtinctionem. Pag. 59.

Entwurf einer Erfindungskunſt, als der Vernunfftkunſt erſter Abſchnitt, 2c.

hoc eſt,

COMPENDIOSA EXPOSITIO HEVRISTICES, Logices practicæ Pars prima, in qua continentur regulæ, quæ ad diſcendam & retinendam veritatem generatim ducunt, adornata a MICH. CHRISTOPH. HANOVIO, Philoſ. Mag. & Prof. P. in Ill. Athenæo Gedan. & Magnifici Senatus Bibliothecario.

Dantiſci, impenſis typisque Schreiberianis, 1739, 8.

Plag. 12.

Hevriſtices Elementa adhuc fuerunt deſiderata, tandem aliquando tentata & congeſta a Cl. Autore, meditationi & inventioni veritatum novarum inſervitura. Quot dantur ſcientiæ, tot ſpeciales dari poſſunt Hevriſtices formæ ſpeciesque. Autori ſatis fuit in præſens, generalia dediſſe & expoſuiſſe dogmata, quibus in detegenda veritate, præcipue logica, uti ſolent eruditi, & quorum uſus ſeſe per ſingulas diſciplinas longe lateque diffundit. Exemplis regulæ hæ poſſunt confirmari; at hæc ab expoſitione hac fuerunt ſejuncta, & prælectionibus reſervata. Præmiſit Autor iſagogen in artem logicam, in qua egit de Logica utente, de ejus requiſitis, defectibus vulgaribus, de prærogativa artis logicæ præ uſu intellectus vulgari, de diviſione artis logicæ docentis atque diſcentis, ac de aliquot præmonendis. Progreditur deinde ad *Caput primum* de univerſali arte logica diſcente generatim tractanda. *Capite ſecundo* exponit de arte audiendi, ejusque neceſſitate & modo, de audiendis bonis & fide dignis magiſtris, eorumque criteriis, de habilitate proficiendi ex auditu, & de ejus notis, de ardore diſcendi,

Digitized by Google

ctivo promiſcue. Quæri præterea poteſt, an חֲגוֹרֹת *v. 7* ſint *cingula.* Scopus *Adami,* & occultatio ejusdem, videntur ſuadere, ut *turguriola*, corpus ab aeris injuria defendentia, per vocem illam intelligamus. Vox porro מִתְהַלֵּךְ nobis videtur non ad Jehovam *v. 8,* ſed ad קוֹל, referenda, ut deſignetur *oraculum, hortum perſonans,* ſeu *pervadens.* Vox תְּשׁוּקָה *v. 16* ſolet reddi per *appetitum.* At ſcopus & complexus orationis ſignificat *ſtudium, quo quis actiones ſuas ad alterius nutum conformat promta voluntate.* Verum hæc pace Viri Clariſſimi dicta volumus, a dictatorio animo prorſus alieni. In Notis ad li-
Pag. 14. brum *Ruth* differuit ille de incerto ejus autore, de tempore conſcriptionis, probabiliter in quietem, ab *Ebudo* inſtauratam, collocandæ, & de conjugiis Ebræorum cum Moabiticis uxoribus,
16. haud excuſate contractis. Suffixum maſculinum, fœminis tributum, credit notam eſſe virilis animi, in calamitatibus demonſtrati. Voculam הֲלָהֵן *v. 13* vertit: *an propter illa, ſuperius a me commemorata?* Pæne fuiſſemus obliti grammaticæ analyſeos, quam Autor ſingulis ſubjecit Capitibus. Vocem תֵּעָגֵנָה *v. 13* ex עגן *exſpectavit* maluit deducere. מַרְגְּלוֹת *III, 14,* ſunt, ipſo judice, *tegumenta pedum.* Significatui huic omnino favet analogia, & adjecta vox גִּלִּית, *retegito.* Vocem יִלָּפֵת *III, 8,* ex-
73. poſuit *huc illuc ſe vertit.* Mallemus, expreſſiſſet ſenſum vocis per *cohorruit.* Ex לפת eſt יַלֶּפֶת *morbus elephas*, articulos & juncturas rigore ſtringens. Per *Boaſum*, ex *Salmone* natum, *IV, 21,* cum *Lyra* Autor Cl. ſignificatos credit avum, filium, &
91. nepotem. Cum vero ratione eadem exiſtimari poſſit *Obed* & *Naheſſon* poſitus fuiſſe trinus, expoſitio illa nobis videtur eſſe durior. Expediendum potius arbitramur illum nodum chronologicum hoc modo. Expeditioni Iſraelitarum per Arabiam & Moabitida interfuit *Naheſſon, Amminadabi* filius, *Num. X, 14, I, 7, 1 Par. II, 10. Salma*, ejus filius, ex *Rahab* illa famoſa ſuſcepit *Boaſum*, hic ex *Rutha* ſuſtulit *Obedum, Obedus* genuit *Iſai*, *Iſai Davidem.* Anno autem 480 ab exitu Iſraelidarum ex Ægypto a *Salomone* templum fuit exſtructum *1 Reg. VI, 1.* Intra hoc ſpatium vixerunt *Amminadab, Naheſſon, Salmon, Boas, Obed, Iſai, David, Salomon.* Homines ejus ævi fuerunt annoſiores ac

Digitized by Google

ac diuturniori robore. Quare nihil abſoni inde colligendum, ſi plures perſonæ haud enumerantur eis, quas ſacer Codex memoravit. De reliquo non eſt omittendum, Judæos jam profeſſos fuiſſe λατρείαν, δουλείαν, & ὑπερδουλείαν, & hanc a Judæis ad Pontificios tranſiiſſe diſtinctionem. Pag. 59.

Entwurf einer Erfindungskunſt, als der Vernunfftkunſt erſter Abſchnitt, ꝛc.

hoc eſt,

COMPENDIOSA EXPOSITIO HEVRISTICES, Logices practicæ Pars prima, in qua continentur regulæ, quæ ad diſcendam & retinendam veritatem generatim ducunt, adornata a MICH. CHRISTOPH. HANOVIO, Philoſ. Mag. & Prof. P. in Ill. Athenæo Gedan. & Magnifici Senatus Bibliothecario.

Dantiſci, impenſis typisque Schreiberianis, 1739, 8.

Plag. 12.

Hevriſtices Elementa adhuc fuerunt deſiderata, tandem aliquando tentata & congeſta a Cl. Autore, meditationi & inventioni veritatum novarum inſervitura. Quot dantur ſcientiæ, tot ſpeciales dari poſſunt Hevriſtices formæ ſpeciesque. Autori ſatis fuit in præſens, generalia dediſſe & expoſuiſſe dogmata, quibus in detegenda veritate, præcipue logica, uti ſolent eruditi, & quorum uſus ſeſe per ſingulas diſciplinas longe lateque diffundit. Exemplis regulæ hæ poſſunt confirmari; at hæc ab expoſitione hac fuerunt ſejuncta, & prælectionibus reſervata. Præmiſit Autor iſagogen in artem logicam, in qua egit de Logica utente, de ejus requiſitis, defectibus vulgaribus, de prærogativa artis logicæ præ uſu intellectus vulgari, de diviſione artis logicæ docentis atque diſcentis, ac de aliquot præmonendis. Progreditur deinde ad *Caput primum* de univerſali arte logica diſcente generatim tractanda. *Capite ſecundo* exponit de arte audiendi, ejusque neceſſitate & modo, de audiendis bonis & fide dignis magiſtris, eorumque criteriis, de habilitate proficiendi ex auditu, & de ejus notis, de ardore diſcendi,

Pag. 21. di, & audiendi ratione fructuoſa. *Capite ſecundo* expoſuit de
arte legendi libros bonos, cur legendum ſit, quinam libri præ-
cipue ſint legendi, de notis librorum bonorum, de lectione
fructifera, de linguis excolendis, de diſcenda Hiſtoria, de re-
quiſitis dogmatum diſcendorum, præſidiisque ad diſcendam
28. praxin accommodatis. *Capite tertio* ſeſe accingit ad experientiæ
leges ſollicite adhibendas, quid ſit experientia & obſervatio, de-
30. finit, ejusque determinat objecta, nempe effectus ſingularium
præſentiumque rerum, qui ſentiuntur extrinſecus reſpectu ſta-
tus noſtri, citra artificioſa inſtrumenta in medium adhibita. Re-
cenſet porro requiſita experientiæ indubitatæ, & vitium ſubre-
ptionis attingit. Bifariam demonſtrat; propoſitionem, expe-
34. rientiæ ſuperſtructam, niti ratiocinio. Diſtinguit experientiam
propriam ab aliena, internam ab externa, naturalem a ſuper-
naturali & ſpirituali, perdocet experientiæ internæ, ejusque vul-
garis, leges, experientiæ internæ rarioris leges enumerat, in-
38. dicat notas explorandi ſubreptionem internam, quid ſenſio &
idea, imaginatio, & phantaſma, ſit, determinat, traditque ſignum
diſcernendi ideas & phantaſmata. Ediſſerit uſus phantaſmatum
41. & in præteritis, & in futuris. Supernaturalis experientiæ leges
haſce tradit. Ipſa 1) haud exoritur ex uſu naturalium animæ
virium; 2) neceſſaria eſt ad obtinendam felicitatem ſupremam;
3) ratione originis concordat Dei perfectionibus, tum in verbis,
tum in rebus; 4) ratione argumenti haud diſſidet ab aliis ve-
43. ritatibus; 5) a nobis per phantaſiam arbitrio congruentem haud
eſt producta: 6) ex legibus, ſecundum quas anima edit ope-
rationes, haud eſt explicabilis; 7) per adjuncta miracula, per
eventum, per effectus, prodit vim ſupernaturalem. Homini-
bus fanaticis & Prophetis novis hæc probe ſunt inculcanda. Hinc
Cl. Autor promovet gradum ad leges experientiæ ſpiritualis e-
44. diſſerendas. Dabimus hic locum omnem, qui huc ſpectat:
*Quoniam experientia ſpiritualis adminiculo & interventu nititur,
ac ſupra naturam poſita eſt, ſiquidem ea proficiſcitur ex revela-
tione divina, eapropter eadem hic locum inveniunt, quæ de expe-
rientia ſpirituali allata ſunt, ipſa vero exiſtit vel in intellectu,
vel in voluntate, ſeu partim in fide, partim in vita. In intel-*

lectu

ctu oritur per auditum ac lectum Dei verbum 1) *cognitio veritatum revelatarum*, 2) *convictio de veritate, divinitate, neceſſitate, ſalubritate, & pondere earum*, 3) *invictus & plenus aſſenſus, qui ſolet myſteriis divinis attribui univerſis, & perſentitur. In voluntate oritur & præſto eſt* 4) *veneratio harum veritatum præ aliis, & firma in eas fiducia*, 5) *voluptas & amor erga easdem*, 6) *ardor & aſſiduus conatus congruenter illis vivendi, ac perpetuæ preces ad opem divinam conſequendam*, 7) *quotidianum in ſanctitate incrementum*, 8) *quotidianum ſui examen & pœnitentia de peccatis commiſſis, una cum imploratione remiſſionis, tandem* 9) *plena requies & voluptas & hilaritas animi in rebus utriusque fortunæ.* Ex hiſce ſignis diſcere queunt Myſtici & hypocritæ, an ipſi ſint in ſtatu regenerationis ac renovationis conſtituti. Oſtendit poſthæc Cl. Autor, quomodo aliena experientia interna ſit utendum. Senſoria deinde expendit externa Pag. 48.
& generalia, exponit ſenſionis externæ principia, fallacias ſenſuum indicat, experientiæ externæ, tum vulgaris, tum rarioris, leges determinat, obſervationibus artificialibus exponendis ope- 15.
ram navat, earumque enumerat leges. Alienæ experientiæ ex- 54.
ternæ uſum commemorat, & *Capite quinto* artem experimentalem declarat. Docet ejus principia, imitationem experimentorum, immutationem, naturæ imitationem, fundamenta enarrat experimentorum certiorum & conſilio faciendorum. Tradit porro, quid ſint experimenta, alienus uſus eorundem quid exigat, & quomodo experimenta aliorum ſint emendanda. *Ca-* 63.
pite ſexto perdocet inventionem notionum, earum exponit notas, & conſtantes & variantes, modum oſtendit reducendi no- 67.
tas inconſtantes ad conſtantes, diſtinguit communes a propriis, faciliores a difficilioribus, ſufficientes minusque ſufficientes diſcernit, ideas & cognitionem definit, edocet artem inveniendi ideas & a priori & a poſteriori, tum claras, tum diſtinctas, non 74.
ſolum completas, ſed etiam determinatas, eſſentiales & extraeſſentiales, atque adæquatas. Tradit triplicem modum formandi notiones, exhibet artem inveniendi realitatem notionum, 78.
ac de inventione idearum Scholion adjungit. *Capite ſeptimo* tradit artem inveniendi principia & principiata, cauſas & cauſata,

 diviſio-

Digitized by Google

diviſionem cauſarum, fundamenta inventionis cauſarum, artem
Pag. 85. e datis effectibus eruendi cauſas efficientes, deſignandi cauſam
efficientem a priori, inveniendi cauſas inſtrumentales, miniſte-
riales, ſocias, inveniendi data efficiente actionem ejus, eruen-
di vim e datis actionibus, inveniendi regulas & leges actionum,
inveniendi ex data efficiente effectus & uſus, inveniendi fines
a priori æque ac a poſteriori, e datis finibus detegendi admi-
nicula, tum a poſteriori, tum a priori, inveniendi cauſas impul-
ſivas, e dato materiato detegendi materiam, aptandique mate-
98. riam. Suppeditat deinde artem inveniendi objecta dato agen-
te, inveniendi adjuncta ſubjecti dati, dato formato inveniendi
102. formam; ſigni ſignatique inventionem determinat; & *Capite octa-
vo* docet modum, quo inveniendæ ſunt definitiones. Quem in
finem oſtendit artem inveniendi vocum ſignificatus, idearum
ſigna, & definitiones, tum nominales, tum reales, ſeu genericas,
112. atque deſcriptiones. *Capite nono* ediſſerit inventionem diviſio-
num, regulas dividendi ſubminiſtrat, diviſiones dividit, diſtin-
ctionum inveniendarum artem expromit, tradit artem invenien-
di partitiones ac notiones, nec non ſubdiviſiones. *Capite de-
cimo* oſtendit artem inveniendi propoſitiones ac judicia, tum a
121. priori, tum a poſteriori. Comprobat modum reducendi judi-
cia intuitiva ad univerſalia, detegit determinandi enuntiatio-
num artem, monſtrat modum tollendi debilitatem enuntiatio-
num, recenſet enuntiationem compoſitam, exponit immedia-
tas conſecutiones, artem inveniendi enuntiationem compoſitam
exhibet, modumque reducendi enuntiationes compoſitas ad ſim-
plices docet. Tradit inventionem axiomatum & poſtulatorum,
theorematum & problematum, conſectariorum atque ſcholio-
rum. Tum ad ſyllogiſmum, omneſque ejus ſpecies, ſeſe conver-
tit, &, quid partibus inventoris ſit tribuendum, docet. *Ca-
148. pite duodecimo* exponit de inventione deductionis, demon-
ſtrationis, probationiſque, & directæ & indirectæ, deductione
ad abſurdum, tum mixta, tum ſimplici. *Capite tertio decimo*
docet Vir Cl., quomodo artificia hevriſtica reddi poſſint facilio-
156. ra. Magni ſane momenti hoc eſt *Caput*. Diſpiciendum eſt in-
primis, an id, quod inveniendum, vel aliquid, ex quo hoc
pendet,

Digitized by Google

pendet, ſit ex claſſe τῶν ἀδυνάτων. Pars veritatum, quibus- Pag. 157.
cum illud cohæret, quod eſt inveniendum, probe eſt perſpicienda. Dividi poſſunt nota & ignota univerſa in reductionem & oppoſitionem. Inter nota & ignota oportet inveniatur æquatio. Exemplis algebraicis hæc poſſunt illuſtrari. Æquatio per diſtributionem ſuo gaudet uſu. Per eam ignotum quodque diſtribuitur, & per partes in notitiam deducitur. Ita deſcenditur ad ſingularia. Cum vero ad univerſalia adſcenditur, & caſus ſingulares copia laborant, adhibetur æquatio per abſtractionem.
Si qui lectores Algebram ignorant, ii diſtincta carebunt cogni- 160.
tione, inter hæc Cl. Autoris adminicula verſaturi legendo. Et eam ob cauſam exemplis paſſim inventiones allatæ, earumque rationes, fuiſſent illuſtrandæ. Analogiam ſi invenire ſtudemus, res ſæpius ignota & obſcura ſenſim prodit in lucem. Conſideratio oppoſitionis, diſſimilitudinis, nexusque cauſalis, magnum
hic uſum promittit. *Capite* tandem *quarto decimo* de inventio- 162.
ne probabilitatis exponit. Eruenda quidem primo loco eſt rei 165.
poſſibilitas, deinde ad requiſita veritatis exquirenda animus eſt appellendus, tum numerandi ſunt gradus probabilitatis non ſolum, ſed etiam ponderandi. Probabilitas arithmetica eſt vel ſim-
plex, vel compoſita, vel creſcens, vel decreſcens. Datur quoque 169.
probabilitas geometrica ob notas veritatis, pondere æquali præditas. Enumerat deinde momenta requiſitorum veritatis ma-
jora, & ſupplet ea, quæ in *Logica probabilium Kabliana* deſunt. 172.
Tradit porro apocalyptographiæ rudimenta. Alii vocant artem decifratoriam, de qua *Breithauptii*, Profeſſoris Helmſtadienſis, ex-
ſtat libellus. *Capite ultimo* ediſſerit artem mnemonicam, tum ope- 177.
ra amplificationis, tum per emendationem & facilitationem, peragi ſolitam. Ipſa enim memoria vel extenditur, vel intenditur.
Artificia mnemonica attingit idem. Multum hic pendet ab in- 182.
dole cujusque, & a ſignis, quibus maxime aſſueti ſumus. Dedimus ex libro utiliſſimo ſummam fideliſſimam, avide exſpectantes *Sectionem alteram*. Subjicienda hæc ſunt in poſterum Logicis prælectionibus, rite inſtillatis. Ita enim accidet, ut Logices uſum homines ſentiant ampliſſimum, & ſuo merito excellentem.

Digitized by Google

Vernünfftige und gründliche Gedancken von den Kräfften des menſchlichen Verſtandes und deren richtigem Gebrauch in der Erkänntniß der Wahrheit, ꝛc.

hoc eſt,

RATIONALES ET SOLIDÆ COGITATIONES DE Viribus intellectus humani, & recto earum uſu in cognitione veritatis, Autore P. AHLWARDT.

Gryphiswaldiæ ac Lipſiæ, impenſis Jo. Jac. Weitbrecht, 1741, 8. Alph. 1 plag. 13.

Novæ Logicæ denuo in lucem prodit ſpecimen, methodo mathematica ſcriptum, e recentiorum inventis concinnatum. In doctrina de ideis ac judiciis Cl. Autor ſequitur filum Ill. *Chriſtiani Wolfii* Ariadnæum. In ſyllogiſtica doctrina varios ratiocinandi modos ex *Rüdigeriano Senſu veri & falſi* repetit. Eruditio ex Autoris ſententia haud diſcrepat a Philoſophia.
Pag. 15. *Capitibus octo* & *viginti* abſolvit univerſam ipſe ſuam tractationem. *Primo* expoſuit de Logica generatim, *ſecundo* de intellectu, ejusque viribus, *tertio* de veritate & eis, quæ veritati ſunt oppoſita. *Quarto Capite* diſſeruit de abſtractionibus, ac ideis abſtractis; *quinto* de terminis vocibusve; *ſexto* de definitionibus, ac deſcriptionibus; *ſeptimo* de diviſionibus; *octavo* de comparatione idearum, & ideis, tum conſentientibus, tum diſcrepantibus; *nono* de judiciis, atque propoſitionibus; *decimo* de ratiocinationibus generatim; *undecimo* de ſyllogiſmis verbalibus; *duodecimo* de immediatis ſyllogiſmis metaphyſicis; *decimo tertio* de mediatis metaphyſicis, ac ſpeciatim de ordinariis ſyllogiſmis. *Capite quarto decimo* aperit exhibetque ſyllogiſmos mathematicos; *quinto decimo* ſubminiſtrat formam ſyllogiſmorum diſciplinalium; *ſexto decimo* agit generatim de probabilitate; *ſeptimo decimo* de hiſtorica veriſimilitudine; *octavo decimo* de probabilitate hermenevtica; *nono decimo* de probabilitate phyſica; *vigeſimo* de probabilitate politica; ac *vigeſimo primo* de practica. *Capite ſecundo & vigeſimo* expoſuit de compoſitis & apparentibus ſyllogiſmis; *tertio & vigeſimo* de methodo & meditatione; *quarto & vigeſimo*

Digitized by Google

& vigeſimo de meditatione ſynthetica, tum certa, tum probabili, *quinto & vigeſimo* de methodo analytica, tum firma, tum veroſimili, *ſexto & vigeſimo* de veritatum cum aliis communicatione. Tandem *ſeptimo & vigeſimo Capite* ſubminiſtrat regulas veritatibus, quæ ab aliis ſunt propoſitæ, opera noſtra dijudicandis, atque *octavo & vigeſimo* de legibus diſputationum exercendarum cogitata ſuppeditat ſua Cl. Autor. Hæc libri eſt ſumma, in hiſce cardo ejus vertitur. Præmonenda non ſunt quotidiani commatis. Oſtendit hic Autor, homini ineſſe animam, cui inſint vires & cognoſcendi, & deſiderandi, vel averſandi, & tenendi ſenſiones gratas ingratasque. Deſiderio præire judicat cognitionem de bono, vel vero, vel ap- Pag. 4.
parente. At, ſi deſiderium id debeatur inſtinctui cuidam naturali, an cognitio ejusmodi antea exſtiterit, dubitamus. Gloriam Dei finem hominis eſſe ultimum, ſolide monet. Digno- 7.
ſcit bonum verum ab imaginario hac ratione. Illud cum promovenda Dei gloria conjunctiſſimum eſſe docet; hoc haud æque. Cum vero intellectus falli & fallere poſſit (*§. 9*), idcirco inſulſum non eſt dictu, hominem in modo & argumento amplificationis gloriæ divinæ falli ac fallere poſſe, *Jo. XVI*, 2. Diſtinguendum itaque eſt inter gloriam Dei per ſeſe ſpectatam, & inter notionem, quam homo de illa ſuo informat animo. Hæc certe non eſt criterium, ſed illa. At illa non ineſt ſemper menti humanæ. Unde patet, criterium hoc vacillare. Quod ipſum largitur Autor *§. 11*. Ut intelligat homo, ſeſe ad intel- 9.
lectus perfectionem comparandam eſſe obſtrictum, ipſe argumentum depromit ex eo, quod quisque debet felicitatem ſuam ac gloriam Dei promovere. Ni fallimur, hinc id ſaltem conſequitur, hominis eſſe, tantum diligentiæ ad vires intellectus excolendas adhibere, quantum illi felicitati hominis gloriæque Dei amplificandæ uſui eſſe poteſt. Cognitionem mathematicam idem annumerat philoſophicæ. Cognitionis doctæ, ſeu Phi- 11.
loſophiæ, uſum eſſe tantum, ut humanum genus eo carere nequeat, ſolide oſtendit. Uſus vero ille non niſi rationis cultura poteſt obtineri, &, licet cognitio philoſophica ſit difficilis acquiſitu, vituperanda tamen non eſt. Ordinem ſcien- 17.
tiarum philoſophicarum recenſet congruenter Philoſophiæ *Wolfiana*,

ſianæ, additque ſcientias reliquas, quæ facultatum nomine ac
Pag. 27. Philoſophiæ veniunt appellatione. Logicæ primas in ordine de-
fert, plane ab eis abhorrens, qui in Logicæ naturalis, haud ex-
cultæ, uſu cum Ven. *Joachimo Langio* acquieſcendum eſſe
muſſitant. Hiſtoriam Logices primis deguſtat labris, in eo halu-
33. cinatus, quod *Avicennam* & *Averroen* Seculo nono floruiſſe tra-
didit. Copioſiora ſunt, quæ Ven. *Walchius* in *Parergis Aca-
demicis pag. 454 ſeq.* attulit. Cogitationem Autor vocat *mu-
tationem intellectus, cujus homo ſibi eſt conſcius.* Eſt utique a-
ctio & virium intellectus finiti viciſſitudo ipſa cogitatio finita.
At Deus quoque cogitat, nec tamen in ipſo ineſt mutatio in-
tellectus. Et quis actionem omnem credet eſſe ſpeciem muta-
38. tionis in ſubſtantia actuoſa? Vim animæ per ſeſe Autor exiſti-
mat eſſe minus determinatam, rationemque, cur nunc hæc,
non alia, cogitemus, quærit in objectis, quæ afficiunt ſenſus
ac intellectum. Affici animam proxime a ſucco nervorum, ſeu
a ſpiritibus animalibus, pronuntiat. Num quid vero intellectus
patiatur, ac recipiat ſenſiones a contactu liquoris nervei citra
ullum alium interventum, ipſe haud definit. Senſionem diſpe-
ſcit in internam atque externam, eamque fundamentum eſſe
42. cogitationum it comprobatum. Senſionem eſſe per ſeſe cer-
tam, cum *Carteſianis* ex voluntate demonſtrat. Attentione
autem ipſam eſſe perficiendam, docet. Ideas diſpertit in pri-
mas, ſeu immediatas, & ſecundas, ſeu ex ideis aliis hauſtas; illas
vocat *memoriales*, haſce vero *reflexas*. Obſervatio eſt, ipſo ju-
51. dice, complexus idearum immediatarum. Leges moderandi ex-
55. perientiam ſubjungit. Ideas porro dividit in imaginativas at-
que intellectivas, in ſimplices & compoſitas, in totales & par-
tiales; compoſitas deinde diſpeſcit in naturales & ab arbitrio
profectas. Idea porro eſt vel concreta, vel abſtracta, clara vel
obſcura, diſtincta vel confuſa. Idea diſtincta eſt vel completa,
vel incompleta, vel abundans, nec non vel adæquata, vel inadæ-
63. quata. Attingit præterea Autor *ideas relativas*, copioſius me-
rito explanandas. Ideæ enim noſtræ omnes ſunt relativæ, ſiqui-
dem a ſenſionibus & ideis reflexis, harumque menſura, gradibus-
que claritatis vel diſtinctionis, pendent. Judicia hominum re-
ferenda

ferenda ſunt ad ſenſiones & ideas quasdam, fundamenti loco poſitas. Præjudicia conſtant ideis relativis minus ſolidis. Judicia, rei conſentanea, reſpectu gaudent ſenſionum verarum ac idearum, ordini rerum congruentium. Judicia politica & moralia pleraque ſunt relativa, trahentia aliquid ex ſenſu jucundo vel injucundo, quem olim ex rebus, vel perſonis, vel percepturi videmur nobis, vel percepimus. Qui hanc de ideis relativis tractationem ſolide & clare diſtincteque expoſuerit, næ is de genere humano admodum merebitur. Veritatem diſtinguit deinde Autor in metaphyſicam, logicam, ethicamque. Cognitionem de rei eſſentia vel exiſtentia ipſe appellat meta- Pag. 82.
phyſicam; cognitionem, qua cauſam rei quis exquirit, vocat diſciplinalem. Illius fundamentum ponit principium contradictionis; hujus vero radicem deſignat principium rationis ſufficientis. Veritas prior, ſeu cognitio metaphyſica, vocatur alias *abſoluta*; diſciplinalis vero *contingens*. At datur quoque ter- 89.
tia, nempe *mixta* ex utraque, ſcilicet *moralis applicatoria*. Qui enim morales edit actiones, agit pro arbitrio & libertate, & ſimul ſequitur regulas morales, quæ per ſeſe ad veritatem ſpectant abſolutam. Libertatem applicatam nolimus ex claſſe rerum contingentium eximere. Et eam ob rationem in exercendis actionibus moralibus ineſt aliquid mixtum. Veritatem deinde Autor evincit eſſe neceſſariam, immutabilem, unicam, & æternam, cogique neſciam. Ad eſſentiam ejus hæc ſpectant. Si itaque Deus ex pluribus poſſibilibus rerum ſeriebus elegit eam, quam prænovit ſcopo ſuo convenientiſſimam; inde ſequitur, actiones, a libertate ſpirituum applicanda pendentes, ſimul fuiſſe prævisas, ideo autem haud eſſe neceſſarias; ſeriem tamen ipſam ex hypotheſi electionis factæ eſſe certam, eſſentiam vero ejus 478.
eſſe æternam, neceſſariam, immutabilem, & in ſuo genere unicam. Hæc momenta qui intelligunt, illi largientur, exiſtere in mundo ordinem & veritatem metaphyſicam. Qui vero hæc vel improbant, vel tollunt, eis mundus nihil eſt aliud ac indigeſta moles, chaos, & maſſa, cæca ſorte & bruto caſu inſignis, monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen & ordinis fulcrum ademtum. Unde intelligitur, Cl. Autorem in caſtris

eorum

eorum militare, qui præſcientiam futurorum contingentium moralium Deo tribuunt, quippe citra quam nequit Dei ſapientia menſuram implere actionum, vel de fine, ob quem mundus fuit creatus, continuo eſſe certa. Reliqua tractatio Autoris ita eſt comparata, ut ſit lucida, ordine procedat, ſoliditatem complectatur, vel certe æmuletur. Si quid videatur emendari poſſe, id ad ſummam rei haud attinet, nec veritatum congeriei eſt de-
Pag. 458. trimento. Cum enim *ſenſum verborum myſticum* ac *typicum* putat unum eſſe eundemque, nobis quidem haud facere ſatis videtur. At quis ipſum exuit jure condendi definitionem nominalem ſenſus typici, quæ latius patet definitione noſtra?

VIA AD COGNITIONEM VERITATIS DEmonſtrativam, Auditoribus monſtrata a MARTINO PILGERO, Prorectore & Profeſſore Philoſophiæ Publico.

Tremoniæ, ex officina Bædekeriana, 1740, 8.

Plag. 13.

Eam, quam Cl. Autor jam antea evulgavit, Logicam fundamenti hic loco ponit, ac inde porro progreditur ad Logicam hanc, congruenter methodo rigidæ ſcriptam, ſtabiliendam, firmiusque compaginandam. Adſcivit huc propoſitiones non
Pag. 13. paucas ontologicas. Nexum, & in rebus & in cogitationibus obvium, & ſolide & diligenter executus fuit. Nexum dividit in materialem & formalem. Ille reſpicit ea, quæ connectun-
36. tur, eſtque vel idealis, vel mixtus, vel verbalis. Idealem diſtribuit in ratiocinativum & applicatorium, quorum ille ſpectat ad ideas connexas ejusdem latitudinis, hic ad ideas latitudinis diverſæ. Ideas ſubordinatas vocat, quarum una ut latior, altera ut anguſtior connexa ſpectatur, ejusque rationem ſufficientem continet. Ad has referendus eſt nexus applicatorius. Ideas
39. involventes vocat ideas ejusdem latitudinis connexas, easque dari in nexu ratiocinativo comprobat, e. g. inter eſſentialia con-
46. ſtitutiva & conſecutiva. In formali nexu attendimus ad modum, quo res connectuntur. Hic vero eſt vel neceſſarius, vel contingens.

Digitized by Google

gens. Illi quicquid oppoſitum eſt, contradictionem involvit. Hic involvit poſſibilia oppoſita. Nexus ratione cognitionis noſtræ eſt vel certus, vel probabilis. Nexus, per ſenſus vel internos, vel externos, cognitus, vocatur ab Autore ſenſualis; ſi interventu rei alterius cognoſcitur, dicitur *nexus a priori.* De iis, quæ dicuntur pugnare, quæ dicuntur diſparata, & oppoſita, fuſe exponit idem. Pugnam illam rurſus diſpeſcit in materialem & formalem, prouti attendimus vel ad ea, quæ ſibi repugnant, vel ad modum, quo ea ſibi mutuo repugnant. Ratiocinationem, dicit, actum cognoſcendi eſſe a priori. Syllogiſmus ipſi audit ratiocinium, verbis expreſſum. In eo autem datur vel nexus, vel pugna, ſpectarique poteſt vel materialiter, vel formaliter. Syllogiſmum dividit in philoſophicum & applicatorium. Ille eſt, in quo vel nexus ratiocinativus, vel pugna ratiocinativa; hic, in quo nexus applicatorius datur. Pugna enim applicatoria dari haud poteſt. Ratiocinativus eſt vel univerſalis, vel particularis, vel ſingularis. Deſcendit hinc Cl. Autor ad ſyllogiſmos hypotheticos, disjunctivosque, & ad dictum de omni & nullo, quod eſt fundamentum ſyllogiſmorum applicatoriorum, in quibus ſemper tres ideæ præſto eſſe debent, immo tres propoſitiones. Terminos ſyllogiſmi, figuras, & modos, cur hic repetamus, cauſam videmus nullam. Id vero addere juvat, fundamentum figuræ ſecundæ eſſe has propoſitiones: *uno pugnantium poſito, tollitur alterum, &, uno connexorum remoto, alterum removetur.* At figurarum *Ariſtotelicarum* fundamentum eſt dictum de omni & nullo, quod in figura ſecunda exulat. Ergo hæc e numero figurarum *Ariſtotelicarum* eſt eximenda. Idem de figura tertia quoque eſt affirmandum. Figura quarta eſt transpoſita prima, nec re ipſa differt ab illa. Nec ſyllogiſmi ſecundæ ac tertiæ figuræ ſunt applicatorii. Ergo prima eſt perfectiſſima & utiliſſima. Utilitate ſua ſeſe commendat diſtinctio ſyllogiſmi hypothetici in applicatorium & ratiocinativum. In illo valet regula: *Tantum argumentari licet a poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis.* In hoc autem dantur regulæ quatuor: 1) Argumentari licet *a remotione antecedentis ad remotionem conſequentis,*

Pag. 48. 73. 84. 89. 103. 131. 134. 139.

Digitized by Google

2) *a remotione conſequentis ad remotionem antecedentis*, 3) *a poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis*, 4) *a poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis*. Ejusdem diſtinctionis uſus ſeſe in exponendis ſyllogiſmi disjunctivi regulis prodit.
Pag. 151. Oſtendit porro Cl. Autor, in ſyllogiſmo ratiocinativo ex puris negativis etiam aliquid ſequi, ſalva forma, immo ex puris particularibus & ſingularibus. Syllogiſmorum enim ratiocinativorum hæ ſunt regulæ: 1) *Uno connexorum in ſubjecto poſito, alterum in eodem ponitur*; 2) *Uno connexorum in ſubjecto poſito, ab eodem alterum removetur*; 3) *uno pugnantium in ſubjecto poſito, alterum in eodem tollitur*; 4) *uno pugnantium in ſubjecto remoto, alterum ab eodem removetur*. Quindecim vero errores ex Logica *Ariſtotelica* eſſe profligandos, Cl. Autor jure
160. oſtendit. Demonſtrationem vocat ſeriem ſyllogiſmorum demonſtrativorum, ad concluſionem aliquam ponendam inter ſeſe
162. connexorum. Syllogiſmum vero demonſtrativum vocat illum, in quo tam ſecundum præmiſſas, quam ſecundum concluſionem, ad præmiſſas relatam, vel nexus neceſſarius, vel pugna neceſſaria, datur, idque vel ἁπλῶς, vel κατά τι. De reliquo ſolide demonſtrat, demonſtrationem iisdem ratiocinandi legibus
177. niti, quibus ſyllogiſmi nituntur. Adjungit diviſionem, qua demonſtratio ejusmodi eſt vel directa, vel indirecta, ac utriusque profert exempla. Propriæ autem ſunt demonſtrationi ſoliditas, profunditas, perſpicuitas, & ordinis obſervatio, licet ii, qui methodo apodicticæ aſſuefacti haud ſunt, nil niſi tenebras & obſcuritatem Philoſophis demonſtrandi evincendique ſtudioſis objiciant imputentque, merito verentes, ne mercibus ſuis male ſit futurum, ſi ea tantum cœperint eſſe in pretio, quæ propoſitionibus determinatis, & ſerie earum ordinata, nituntur. Noſtrum eſt, Cl. Autori ſpecimen hoc Philoſophiæ *Wolſianæ* gratulari, atque ab eodem præſtantiſſima quæcunque in poſterum exſpectare.

CASPARI A RHEDEN, J. U. D. IDEA HONESTI, promovendæ hominum felicitati conducens.

Bremæ, impenſis Nathanaelis Saurmanni, 1740, 8.
Alph. 1 plag. 5.

Nemo

Digitized by Google

Nemo caſu bonus, diſcenda eſt virtus. Sic *Seneca.* Ad virtutem vero diſcendam quam tardi & inertes ſunt mortales! Studio conſervandi ſeſe, felicitatemque adipiſcendi, flagrant omnes. At voluntatis morbos & remedia ad eos expellendos ægre inſpiciunt, penſique habent. Philoſophi veterum in doctrina morali jam deſudarunt, felices ſane, niſi ſcripta eorum & opiniones innumeris erroribus ſcaterent. De ſummo bono, parte neceſſaria admodum, nullus fere eorum recte ſentit. Stoici virtutem pro ſummo bono habent, quæ virtus ipſorum innititur naturæ. Hæc vero ex ipſorum ſententia eſt fatum, fatum Deus. *Pythagoras, Plato,* aliique, pro ſummo bono commendarunt diſcipulis *aſſimilationem Dei* illam, quæ in inanes meraſque ac inanes abit ſpeculationes. *Ariſtoteles* virtutem optimam & perfectiſſimam in nuda viri ſapientis contemplatione collocavit, in bono theoretico ac ſpeculatione de rebus divinis acquieſcens. *Epicurus* prædicavit *indolentiam*, quid illa ſit & unde emanet, minus curans. *Ciceronis* de Officiis libri, hinc inde conſarcinati, laudem eloquentiæ tuentur, ſapientia carent. *Seneca* Stoam affectatur. De animæ natura & immortalitate plerique vel dubitarunt, vel minus recte ſenſerunt. Poetæ polytheiſmum ac fabulas repetierunt. Originem mali omnes ignorarunt Philoſophi veterum, de amore Dei atque affectibus hominum vage commentati ac ſiniſtre. Nec magna ſunt merita *Platonicorum* & *Ariſtotelicorum*, qui inter Chriſtianos eminuerunt. Autor itaque doctiſſimus, qui doctrinam de moribus Profeſſioni Jurisprudentiæ in Gymnaſio Bremenſium Reformato junxit, & tandem a ſchola ad curiam vocatus fuit, Compendium Philoſophiæ moralis, perpetuis annotationibus ornatum, veſtigia optimorum Philoſophiæ repurgatorum legens, in lucem edidit, ut ſuis prodeſſet, & morbos voluntatis humanæ candide aperiret, eisque afferret medicinam. Hæc in Præfatione ſignificavit. In Præcognitis definitionem Philoſophiæ moralis tradit, & hanc a Jure naturæ ac Politica disjungit. Summa capita attingit, & prænotiones præmittit. Finem Ethices ponit in demonſtratione viæ & rationis, qua poſſit perveniri ad ſummam felicitatem, in poſſeſſione ſummi boni poſitam. Unde ejus elucet præſtantia.

Digitized by Google

De methodo varia, qua illam Philoſophi pertractarunt, delibavit Autor potiora. Ipſe vero cum *Placcio*, *Buddeo*, *Haſſenio*, ac *Lehmanno*, methodum Medicorum ſequitur. Quamobrem exponit primo de homine ipſo, deinde de morbis mentis humanæ, inprimis voluntatis, ejusque ſumma miſeria, tum de ejus ſanitate & vera felicitate, ubi adjicit propenſionum morumque characteres, tandem de remediis morborum & antidotis, quibus quippe morbi voluntatis expelli, & felicitas vera obtineri poſſit. Laudandus eſt conatus. Ut vero hæc munera a doctrina morali philoſophica exſpectemus, haud poſſumus adduci. Felicitatem ſummam ac veram per illam impetrari poſſe, atque huc tendere ac ducere adminicula & remedia ejus, id vero eſt, quod Autor ipſe pernegavit. Immortalitatem animæ colligit
Pag. 18. exinde, quod illa materiæ & partium ſit expers. At hinc duntaxat efficitur, eam per ſemet vel vim creatam deſtrui haud poſſe, ideoque eſſe ἄφθαρτον. Idem pronuntiandum eſt de animis beſtiarum, ac ſimpliciſſimis corporum elementis. Ni conſcientia actionum & ſtatus rationis continuetur, animæ immortalitas ſtare haud poterit. Animæ dari actiones puras, & ſine
20. commercio corporis peractas, ſibi perſuadet. Nec tamen libertatem pro animæ tertia facultate habet. Conjecturam eſſe credit *opinionem, ſeu ratiocinationem ex ſigno proprio.* Obſcuriora hæc nobis videntur. Addendum eſt: *ubi potiora veritatis requiſita præſto ſunt, nonnulla vero deſunt.* De conſcientia Autor ita exponit, ut ipſi ſuffragentur omnes recte ſentientes. Huic doctrinæ ſubdit expoſitionem de facultatibus intellectus, ejusque virtutibus. *Capite ſecundo* diſſerit de voluntate, nobiliſſima illa facultate expetendi bona, & averſandi mala, libereque a-
44. gendi. Libertas vel opponitur coactioni & violentiæ externæ, vel deſignat facultatem moralem agendi, ut lubet, & conſtituit jus, quod vocant, permiſſivum, vel opponitur neceſſitati naturali, in qua ceſſat indifferentia voluntatis ad oppoſita, & ubi, præſentibus omnibus requiſitis ad agendum, haud licet agere, & non agere. Indolem Autor voluntati tribuit *bonifor-*
39. *mem*, id eſt, quæ non poteſt non in bonum ferri, ſive verum, ſive pro tali habitum. Cavendum, ne exiſtimemus,

liber-

Digitized by Google

libertate applicata, hanc indolem & eſſentiam voluntatis tolli poſſe. Libertatem a voluntate diſtingui poſſe negat idem, ratus, dari alioquin facultatem facultatis. Certas eſſe actio- Pag. 45.
nes humanas, ideoque a Deo præſciri poſſe, arbitratur. Et qui Deus poſſet eſſe omniſcius, ni futurorum ſingulorum præſcius eſſet? Harmoniam præſtabilitam fictionibus annumerat, ipſe ſic rationes ad commercium animæ corporisque explicandum ſubducens: *Extrema etiam corporis parte tacta, tangitur ipſa anima. Unio illa abſolvitur mutua actionum & paſſionum reciprocatione, quam vocare ſolent contactum vir-* 51.
tutis. Hunc ſcimus ex experientia, modum cum ignariſſimis ſcimus. Vana hic ſunt, quæ quidam afferunt de Ariſtotelis *ſyſtemate influxus phyſici, & alii de cauſis occaſionalibus.* At, cum præter tria illa ſyſtemata unionis plura dari haud poſſint, illa ſingula eſſe vana, dici ſane haud debebat. Quæ de temperamentis animi corporisque adduntur, ea non ſunt nova. *Capite quarto* tractatur de affectibus. Appetitum quoque dari ſen- 70.
ſitivum, credit. Luctam appetitus ſenſitivi & rationis quærit in loco *Rom. VII, 5, 19, 23,* ubi indubie lucta carnis ac ſpiritus eſt intelligenda. Morbos, voluntati inſidentes, *Cap. 5* percenſet, atque hic amorem purum, Theologiæ myſticæ fictionem, pro- 153.
ſcribit. Odium erga alios, ambitionem, libidinem, avaritiam, 155.
iram, & æmulationem, eſſe malos affectus in ſe & ſua natura, dictitat quidem Autor, at minus ex vero. Manichæiſmum evertit feliciter. Morbos voluntatis copioſe ediſſerit. De ſi- 201.
gnis propenſionum voluntatis fuſius exponit. Sanitatem voluntatis exiſtimat in ſumma felicitate conſiſtere & tranquillitate. Indicia ſummi boni in utramque partem inquirit, idque eſſe Deum, arbitratur. Adminiculum fruendi hoc bono ſummo 235.
collocat in amore. Emendationem intellectus deducit a voluntatis emendatione *pag. 275.* Alibi, utramque fieri ſimul, largitur *pag. 295.* Solide tandem oſtendit, rationi Philoſophorum incognitum eſſe Medicum, ſalutis noſtræ autorem, ac præſidia & adjumenta felicitatis veræ ex latifundiis Philoſophiæ hauriri 310.
non poſſe. Clara & plana bonæque frugis plena hic ſunt fere univerſa.

Digitized by Google

MINEROLOGIA ET LITHOGRAPHIA SUECICANA, das iſt, Abhandlung derer in dem Königreich Schweden befindlichen Mineralien und Steine, ꝛc.

hoc eſt,

TRACTATIO DE MINERALIBUS ET LAPIDIbus, in regno Sueciæ paſſim obviis, Autore MAGNO DE BROMELL, Med. Doct. Regio Archiatro, ac Præſide Regio Collegii Medici, quod Holmiæ floret, olim Suecico ſermone expoſita, nunc ob rei momenta in Germanicum converſa. Præfixa eſt notitia de venis auri, nuper in Suecia repertis. Edidit MICRANDER.

Holmiæ ac Lipſiæ, apud Gothofredum Kieſewetter, 1740, 8. Plag. 12, cum Tab. æn. 1, & variis lapidum figuris, ipſi Operi intextis.

Expoſitum fuit olim de ſumma hujus libelli in *Actis liter. & Scient. Suec. 1730 pag. 111 ſeq.* Notitiam præmiſſam Interpres ex ſchedis *Collingii* Suecicis deſumſit, ſpem faciens, a ſeſe editum iri *Magnalia ſubterranea Suecica* Opere ſpiſſiori. Libellus ipſe *duodecim Capitibus* conſtat. *Primo* agitur de bolo, terraque ſigillata, lacte lunæ, & lithomarga, ſeu lapidis medulla. Idem complectitur tractationem de *umbra*, terra viridi, viridi montano, rufo Anglico, terra Colonienſi, ochra nativa, & cretæ variis generibus, terra Tripolitana, alba argilla porcellana, marga, gur metallico, & torfa. *Secundo* exponitur de ſale, de nitro, de alumine, & vitriolo. *Tertium* inſcriptum eſt de ſulphure, de cera montana, de petroleo, ſeu napo, de ſuccino, ac lithanthracibus. *Quartum* continet enarrationem de talco montano, de lapide ollari, de asbeſtite, amiantho, & lapidibus arenariis. *Quinto* agitur de calce, de lapide ſuillo, ſeu fœtido, de marmore albo & tincto, de gypſite, de marmore metallico, de ſtalactite, de lapide fiſſili, de ſpeculari, ſeu Mariæ, lapide. *Sexto* agitur de lapidibus igni liquabilibus, ac in vitrum ſolitis conflari, nominatim de ſabulo puro ac tincto, de lapide arenario, de ſilice, granatite, pyrite, matre cryſtalli montanæ, cryſtal-

Digitized by Google

cryſtallis montanis, fluoribusque cryſtallinis. *Septimo* diſſeritur de lapidibus in marmore figuratis, de aetitis, oſteocolla, ceraunijs, ſeu belemnitis, ac de lapide, violarum odorem emittente. *Octavo* recenſentur corpora petrefacta, eaque vel ex regno vegetabili, lithoxyla, lithophyta, & lapides corallini, fungitæ, & aſtroitæ; vel ex regno animali, lapides inſectiferi, ichthyolithi, ichthyodontes, ammitæ, echinitæ, entrochi, &c. *Nonum* aperit expoſitionem de lapidibus, intra animalia varia progenitis, e. g. intra equos, oves, hircos, porcos, aves, cancrosque. *Decimum* repræſentat metalla dimidia, antimonium, bismutum, marcaſitam, ſtannum cinereum, zincum, plumbaginem, magneſiam, hæmatitidem, magnetem, ſniridem, viride ac cœruleum montanum, cadmiam, auripigmentum, glaream ſulphuream, cupream, ferreamque, ſchorletum, ſterilia nigra, &c. *Undecimo* exponitur inventio metallorum, ac ſeptem regulæ inveniendi metalla ſuppeditantur. *Duodecimo* recenſentur venæ metallorum, auri, argenti, æris Cyprii, chryſocollæ, ſtanni, plumbi, ac ferri. Oſtenditur ſimul, venis auri Sueciam haud carere. Nec tamen credendum, ſingulas lapidum ac minerarum ſpecies in Suecia legi eruique. Lac lunæ ea haud reddit. *Umbram*, colorem terreum furvum, Italia præbet. Terra viridis ad Veronam effoditur, fiſſilis & æris Cyprii venas comprehendens. *Gur metallicum* eſt ſuccus fere Pag. 8.
lacteus, vel pultiforme ſedimentum, argenti aliquid continens, Sueciæ familiaris. Torfam Sueci in terræ ſuæ gremio nondum repererunt. Sale ipſam carere culinari, in vulgus ivit. Sal gemmæ, ſeu foſſile, provenit in Hungaria, Polonia, ac Ruſſia. Nitri materiam Sueci detegere cœperunt. Vitriolum Suecicum incipit evehi ad præſtantiam ejus, quod Goslaria & Leo- 16.
dium præbent. Succini parum habet Scania. Componitur 21.
illud ex petroleo, ſeu naphtha, in aquam marinam ſalſamque delapſo, ibique condenſato. Amianthum ab asbeſto diſtinguit Au- 28.
tor. Lapidem ſuillum exteri plerumque ignorant. In Suecia ille provenit copioſus in agris campiſque ac ſubter fiſſilibus ſaxis, vocatus vulgo *Orſten* ex *Oran*, morbo porcorum, & *ſten*, lapide. Fricatus ferro fœtet in modum urinæ felium, ſeu ex- 34.
uſti

uſti piſcis, muria conditi. Exuſtus adhibetur formandæ inde calci. Ex lazulo lapide, qui in ſacris literis vocatur ספיר, in calcem redacto, efficitur color pretioſus, quem vocant *ultra-*
Pag. 35. *marinum*. Marmor Oſtrogothlandicum maculoſum eſt & ad-
55. ſpectu pulchrum. *Brontias* vulgares habet Autor pro telis ac
83. malleis, pugnæ adhibitis ævo veteri. Trochitas, ſeu Entrochos, ſuſpicatur eſſe membra animalis, quod vocant ſtellam marinam, petrefacta. Eſſe autem trochitas membra petioli, cui inſiſtit ſæpius *encrinos*, fidem oculatam fecit Cel. *Jo. Chriſtoph. Harenbergius*, laborum noſtrorum ſocius diligentiſſimus, & de literis univerſim omnibus bene, ut vix quiſquam alius, promeritus, in libello *de Encrino*, Helmſtadii A. 1729, 4, edito, ac denuo recuſo in *Hiſtoria* ejus *Gandersheimenſi diplomatica pag. 1669 ſeq.* unde potiora dedimus decerpta in hiſce *Actis A. 1732 Febr. pag. 73 ſeq.* Nautilitæ & cornua Ammonis, cochlitæque,
97. quibus Sueci e ſolo ſuo collectis gaudent, videntur eſſe minori pulchritudine, quam ii, quos terræ reddunt auſtrales. De reliquo commendandum eſt Autoris *Specimen ſecundum Lithographiæ Suecanæ*, A. 1727 in Suecia luci datum. Perlis Sueciam olim abundaſſe, conſtat inter omnes. Quantum vero ars colligendi eas inſtaurata ſit, & quo ſucceſſu excolatur, poſteri docebunt. Autor ſtudioſe exquirit ea, quæ ad hanc unionum ſeu margaritarum cauſam ſpectant, & uſibus publicis cedunt. Liceat vero monere, operæ pretium fore, conſuluiſſe *Leonh. Dav.*
113. *Hermanni* Commentationem *de Conchis fluviatilibus margaritiferis Masla-Sileſiacis*, quæ inſerta legitur *Miſcellaneorum Berolinenſium Tomo V pag. 162 ſeq.* Magnes in Suecia cœpit deficere. Smiris ibi haud provenit. Coboltum, colori cœruleo parando aptum, adhuc exulat ibidem. Quæ tandem Autori lubuit de venis varii metalli, in Suecia provenientis, ediſſerere, ea in libris quoque aliis leguntur, excepto, quod hic adduntur loca Sueciæ, in quibus illæ inveniri ſolent. Optandum ſane foret, ut viri ſingularum regionum indefeſſi ad exemplum Autoris noſtri, & formam libelli hujus, colligerent Minerologiam inteſtinam ac domeſticam. Ordo certe libri ejusmodi vix exſtrui poteſt concinnior & commendabilior.

* * *

INDEX

Digitized by Google

INDEX AUTORUM,
quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Abicht (*Jo. Ge.*) *Prælectiones de Creatione mundi.* 184

Andreucci (*Andr. Hieron.*) *de Epiſcopo titulari, ſeu in partibus infidelium, Tract. Canonico-theologicus.* 442

Anonymi Bibliotheca Janſeniſtica. 127

Conſtitutio Unigenitus cum Animàdverſionibus. 356

Epiſtolæ de Religione, homini accommodatiſſima, ſecreta ab eo, quod non niſi acceſſorium eſt. 500

Antonii (*Pauli*) *Harmonica expoſitio Sanctorum quatuor Evangeliſtarum, multis Annotationibus illuſtrata a* Jo. Aug. Meiero. Pars III & IV. 244

Balthaſari (*Jac. Henr.*) *Doctrina Polycarpi de præcipuis Chriſtianæ fidei capitibus.* 527

Bertrami (*Jo. Frid.*) *Illuſtrata & propugnata Friſiæ Orientalis tum Reformationis, tum Eccleſiaſtica, Hiſtoria.* 249

Caſtellionis (*Sebaſt.*) *Dialogorum ſacrorum Libri IV, cum Notis criticis & philologicis, item uberrimo Latinitatis Indice, editi a* Jo. Ludolph. Bünemann. 274

Comenii (*Jo. Amoſi*) *Compendioſa Hiſtoria eccleſiaſtica Fratrum Bohemorum.* 256

Cremeri (*Bernh. Sebaſt.*) *Antiquitates Moſaico-typicæ.* Tomus I. 97

Dugueti, *Abbatis, Faſcis Opuſculorum magni momenti.* 120

Eckhardi (*Pauli Jacobi*) *Vindiciæ D. Lutheri & D. Melanchthonis ab infami pictura Commendatariorum Jutrebocenſium.* 45

Eichleri (*Chriſtiani Gottlob*) *Diſſertationum Anti-Harduinarum Biga: 1) de Galilæa monte; 2) de Harmonia apparitionum Chriſti redivivi.* 138

Digitized by Google

Francolini (*Balthaſ.*) *Clericus Romanus contra nimium rigorem munitus duplici Libro.* 481

Gerdeſii (*Dan.*) *Doctrina Gratiæ, ſive Compendium Theologiæ dogmaticæ, ex Scripturarum fontibus hauſtum.* 234

Gotti (*Vincent. Lud.*) *de Eligenda inter diſſentientes Chriſtianos ſententia Liber.* 392

H. (*F. R.*) *de Baptiſmo in ſolius Jeſu Chriſti nomine nunquam conſecrato, adverſus* Jo. Auguſtin. Orſi *Diſſ. reciproca.* 101

Hanſſenii (*Petri*) *Ethica Chriſtiana, ſeu Theologia moralis.* 53

Hofmanni (*Car. Gottlob*) *fuſior Hiſtoria Reformationis urbis & Academiæ Lipſienſis.* 89

Mehlhornii (*Jo. Chriſtiani*) *Solida Expoſitio ſacrarum literarum Vet. Teſt. per pleniores epitomas ex Diſſertationibus, in Menthenii & Ickenii Theſauris alibique obviis, atque ex acceſſionibus nonnullis, concinnata.* Volumen I. 280

Miſſorii (*Raymundi*) *Diſſ. Epiſtolaris Apologetica de Canonibus, vulgo Apoſtolicis.* 445

Oporini (*Joach.*) *Commentatio theologica de Uſu doctæ ſimplicitatis contra Scepticos.* 59

Orſi (*Joſephi Auguſtini*) *de Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti, & de Hæreticis, qui Baptiſmi formam olim adulterarunt, Diſſ. hiſtorica.* 51

Pflugii (*Hermanni*) *Cogitata de anxie expectanti creatura, in Rom. VIII, 19.* 253

Reckenbergeri (*Jo. Leonh.*) *Sacri Judæorum ritus antiqui.* 488

Remy (*Anton.*) *Paulus elucidatus, ſive Commentarius paraphraſticus in omnes Epiſtolas D. Pauli.* 148

Rotigni (*Conſtantini*) *Diſſ. Epiſtolaris critica de Canonibus, vulgo Apoſtolicis.* 445

Werneri (*Andr. Conr.*) *Liber Ruth illuſtratus duplici verſione.* 532

Wolleb (*Jo. Jac.*) *Syſtema harmonicum decreti abſoluti ac conditionati gratiæ particularis & univerſalis.* 278

II. *Libri*

Digitized by Google

II. *Libri Juridici.*

Anonymi Argumenta pro Sede Apoſtolica in controverſiis, quæ ei cum aula Taurinenſi intercedunt. 49

Tractatio de Diſſolutione matrimonii ob impotentiam. 359

Buderi (*Chriſtiani Gottlieb*) *de Legationibus obedientiæ Romam miſſis Liber ſingularis.* 416

De Chlingenſperg (*Antonii Mariæ*) *Conſilia & Reſponſa Criminalia ſuper diverſis caſibus & delictis.* Tomi II. 72

Dandini (*Herculis Franc.*) *de ea diſtribuentis Juſtitiæ parte, quæ in præmiis largiendis verſatur, Commentariolus.* 450

Dithmari (*Juſti Chriſtoph.*) *Diſſertationum Academicarum, atque Exercitationum, varii, ex Jure publico, naturali, & Hiſtoria, deſumti, argumenti, Sylloge.* 111

Grandi (*Guid.*) *Epiſtola de Pandectis ad* Joſeph. Averanium, *iterum edita, & Appendice locupletata.* 164

Vindiciæ pro ſua Epiſtola de Pandectis, Florentiæ ſecundo edita cum Notis. 168

Grevii (*Jo.*) *Tribunal reformatum, in quo ſanioris & tutioris juſtitiæ via Judici Chriſtiano in Proceſſu Criminali commonſtratur, rejecta & fugata tortura, ex ed.* Jo. Ge. Pertſchii. 30

Griſpolti (*Caſp.*) *Juris Civilis Elementa, ex Inſtitutionibus Juſtiniani ad uſum forenſem educta.* 110

Gundlingii (*Nic. Hieron.*) *Exercitationes Academicæ, cum Præf.* Jo. Gottlieb Heineccii. 74

Mariani (*Evangeliſtæ*) *de Juſtitia diſtribuente Dialogus.* 452

Micheli (*Dominici*) *Ordo Judiciorum civilium Veronenſium.* 24

de Succeſſionibus ab inteſtato ſecundum legem & uſum fori Veronenſis Liber. 200

Tract. de Prælatione in venditionibus, ſive de Jure retractus ex capite conſanguinitatis, communionis, & vicinitatis. 399

De Münchhauſen (*Car. Wilh. Ern.*) *Meditationes Juris naturalis, methodo Mathematicorum prolatæ.* 255

Digitized by Google

Reſenii (*Olai*) *Tractatus Juris publici de Epiſcopis regni Suionici Romano-Catholicis.* 259

III. *Libri Medici, & Phyſici.*

Anonymi Catalogus Conchyliorum, aliorumque naturæ momentorum curioſiorum, Commentario illuſtratus. 413
Selecta medica Francofurtenſia. Volumina IV. 454
Blancardi (*Steph.*) *Lexicon medicum renovatum, auctum, & emendatum, a* Jo. Henr. Schulzio. 350
Boerhaave (*Herm.*) *Prælectiones Academicæ in proprias Inſtitutiones rei medicæ, cum Notis* Alberti Halleri. Volumen I. 172
De Bromell (*Magni*) *Minerologia & Lithographia Suecicana, ex Suecico in Latinum converſa a* Micrandro. 550
Canneti (*Petri Franc.*) *Commentarii de Uſu & abuſu aquarum mineralium Recoarienſium.* 246
Deſaulti (*Petri*) *Diſſertationum medicarum Tomi tres.* 401
Ernſtingii (*Arthuri Conr.*) *Phellandrologia phyſico-medica.* 247
Forzellini (*Antonii*) *Commentarii in Jo. Andreæ de Cruce Caput XIII de Ulceribus cum carie oſſium.* 246
Heilbronneri (*Jo. Chriſtoph.*) *Specimen hiſtoriæ aeris.* 510
Hummelii (*Jo.*) *Commentatio de Arthritide, tam tartarea, quam ſcorbutica.* 31
Jahr (*Frid. Guil.*) *Syſtema influxus phyſici in priſtinum dignitatis ſplendoriſque ſtatum reſtitutum.* 273
Krafftii (*Ge. Wolfg.*) *Experimentorum phyſicorum præcipuorum brevis deſcriptio.* 355
Krügeri (*Jo. Gottlob*) *Inſtitutiones phyſicæ, cum Præf.* Frid. Hoffmanni. 460
Monro (*Alexandri*) *Tentamina duo de artificioſa injectione & conſervatione partium bene præparatarum, ex Anglico Latine verſa a M.* Jo. Benj. Wolffrum. 207
Rabe (*Jo. Chriſtiani*) *Fons medicatus Hagæ Schaumburgicæ.* 509
Riedlini *Curarum medicarum millenarius, ſeu Obſervationum phyſico-medicarum Sylloge.* 119

Digitized by Google

Roncalli (*Franciſci*) *de Aquis mineralibus Coldoni ad oppidum Leuci in agro Mediolanenſi Diſſ.* 86

Roſchmanni (*Anton.*) *Regnum animale, vegetabile, & minerale medicum Tyrolenſe.* 263

Schmidii (*Rud. Jo. Frid.*) *Enchiridium Alchymico-phyſicum, ſive Diſquiſitio de Menſtruis univerſalibus.* 352

Schulzii (*Jo. Henr.*) *Prælectiones de Viribus & uſu medicamentorum, quæ in officinis pharmacopolarum parata proſtant.* 116

Commentatio de Curatione calculi, tum per medicamenta interna generatim, tum ſpeciatim per remedia, noviſſime apud Britannos publicata. 206

Zarini (*Sanctis*) *de Curatione per ſanguinis miſſionem Libri IV.* 202

IV. *Libri Mathematici.*

Grandi (*Guidonis*) *Flores Geometrici, ex Rhodonearum & Clæliarum Curvarum deſcriptione reſultantes.* 178

Krafftii (*Ge. Wolfg.*) *Brevis Introductio ad Geometriam theoreticam.* 354

V. *Libri Hiſtorici, Chronologici, Genealogici, &c.*

Anonymi Deſcriptio Baſilicæ cathedralis Argentoratenſis. 35

Argumenta pro Sede Apoſtolica in controverſiis, quæ ei cum aula Taurinenſi intercedunt. 49

Elogium Guilielmi Derhami. 142

Danielis Duncani, Medici Londinenſis. 237

Hiſtoriæ Piſtorienſes, ſive de rebus Florentinis ab A. 1300 uſque ad A. 1348. 241

Variorum Scriptorum Seculi Italicæ linguæ cultioris Chronica vetera minora. 337

Conſpectus Hiſtoriæ de Comitibus Saxoniæ Palatinis. 341

Singularia hiſtorica & literaria. Tomus I. 427

Deſcriptio geographica Principatus Friſiæ orientalis & finitimæ terræ Harlingorum, cum Sicilimento. 478

Digitized by Google

B. (*D.*) *Vitæ Pontificum Romanorum, Alexandri VI & Leonis X.* 197
Ballenſtedii (*Jo. Arnoldi*) *de Vita & obitu Viri Clariſſimi, Chriſtiani Auguſti Saligii, Epiſtola.* 525
Bertrami (*Jo. Frid.*) *Illuſtrata & propugnata Friſiæ Orientalis tum Reformationis, tum Eccleſiaſtica, Hiſtoria.* 249
Biacca (*Franc. Mariæ*) *Tractatio hiſtorica & chronologica, oppoſita Tractationi hiſtoricæ & chronologicæ* Cæſaris Calini. 1
Brenneri (*Eliæ*) *Theſaurus nummorum Sueo-Gothicorum.* 433
Buderi (*Chriſtiani Gottlieb*) *de Legationibus obedientiæ Romam miſſis Liber ſingularis.* 416
Budgellii (*Euſtatii*) *Commentarius de vita & charactere Comitis de Orrery, & de familia Boyliorum.* 388
C. (*L. C. D.*) *Hiſtoria Principis Sabaudiæ & Pedemontii.* 160
Cogroſſi (*Jo. Bapt.*) *Faſti hiſtorici urbis Cremæ, verſibus deſcripti.* 339
Dithmari (*Juſti Chriſtoph.*) *Diſſertationum Academicarum, atque Exercitationum, varii, ex Jure publico, naturali, & Hiſtoria, deſumti, argumenti, Sylloge.* 111
Eutropii (*Flavii*) *Breviarium Hiſtoriæ Romanæ, ex ed.* Laur. Reinhardi. 269
Des Fontaines, *Abbatis, Hiſtoria viciſſitudinum Poloniæ, inde ab exordio hujus Monarchiæ uſque ad mortem Auguſti II.* Tomi II. 232
Gebhardi (*Julii Juſti*) *Hiſtorica Commemoratio de Capitulo S. Matthæi, quod viget Brunſuici.* 231
De Hemmer (*Ludov.*) *Reſpublica Tenediorum, e tenebris antiquitatum eruta, numisque illuſtrata.* 130
Hofmanni (*Car. Gottlob*) *fuſior Hiſtoria reformationis urbis & Academiæ Lipſienſis.* 89
la Martiniere (*Bruzenii*) *Introductio ad Hiſtoriam Aſiæ, Africæ, & Americæ.* 484
Monaldi *Diarium.* 241
De Nœufville (*Simonis la Moral le Pipre*) *Epitome chronologica & hiſtorica de Origine, progreſſu, & ſtatu Domus Regiæ, ac omnium copiarum Galliæ.* 529

Noltenii

Digitized by Google

Noltenii (*Rudolphi Aug.*) *Diatribe literaria de Genuinis Hiſtoriæ Ruſſicæ fontibus.* 235

Palmeri (*S.*) *Hiſtoria Typographiæ generalis, ab inventione ejus prima ad annum 1520 & 1550.* 385

Reſenii (*Olai*) *Tract. de Epiſcopis regni Suionici Romano-Catholicis.* 259

Rivalii (*Petri*) *Diſſertationes hiſtoricæ & criticæ in diverſa argumenta.* 15

De Rohr (*Juli Bernhardi*) *Geographica & hiſtorica Hercyniæ ſuperioris memorabilia.* 37

Schrodt (*Jo. Henr.*) *Lotharingia, bellifera olim, nunc pacifica.* 40

Stiſſeri (*Frid. Ulr.*) *Hiſtoria rei foreſtoriæ ac venatoriæ Germanorum.* 421

Tackii (*Frid. Petri*) *Diſſ. Epiſtolaris de Eruditis, quibus dies natalis fuit fatalis atque ultimus* 191

Thienpont (*Dan.*) *Introductio in Hiſtoriam univerſalem.* 193

VI. *Libri Miſcellanei.*

A. (*H*) *Epitome ex Jo. Chriſtoph. Harenbergii Reſponſione ad nonnullas objectiones, quibus quidam Viri doctiſſimi adverſus Hiſtoriam Eccleſiæ Gandershemenſis Diplomaticam, ab eodem olim editam, inſurrexerunt.* 41

Abicht (*Jo. Ge.*) *Prælectiones de Creatione mundi.* 184

Ahlwardt (*P.*) *Rationales & ſolidæ cogitationes de viribus intellectus humani, & recto earum uſu in cognitione veritatis.* 540

Anonymi Opera varia: Diſſ. de Fine, quem ſibi propoſuit Virgilius, Bucolica ſcribendo, &c. 18

Diſſertatio philoſophica de Morte. 472

Bibliotheca Janſeniſtica, ſeu Catalogus Alphabeticus primariorum librorum Janſeniſticorum, vel Janſeniſmi ſuſpectorum. 127

Singularia hiſtorica & literaria. Tomus II. 427

Cogitationes liberæ de Anima. 511

D'Argens, *Marchiſii, Epiſtolæ morales & criticæ de differentibus conditionibus diverſiſque occupationibus hominum.* 347

Baumgarten (*Alexandri Gottlieb*) *Metaphyſica.* 266
Ethica philoſophica. 251
(*Sigiſm. Jac.*) *Programmata, cum Appendice Epiſtolarum, collecta a* Chriſtoph. Gotthilf Bakio. 365
Bouget (*Jo.*) *Lexicon Hebraicum & Chaldæo-Biblicum.* 145
Broholm (*Henr.*) *Ortus & progreſſus vernacularum, quæ regiæ vulgo appellantur, per Daniam ſcholarum 240 feliciſſimus.* 429
Canzii (*Iſr. Gottlieb*) *Doctrinæ morales omnes perpetuo nexu traditæ.* 152
Grammàticæ univerſalis tenuia rudimenta. 215
Oratoria ſcientiarum familiæ toti cognata. 218
Carpovii (*Pauli Theodori*) *Ars ideam diſtinctam de voce Hebræa formandi, cum Præf.* Jo. Gottlob Carpzovii. 285
Clavii (*Andreæ*) *Philoſophiæ antiquiſſimæ & recentiſſimæ Prodromus.* 431
Dreſigii (*Sigiſm. Frid.*) *Animadverſiones in Fabri Theſaurum iterum continuatæ.* Pars I. 259
Pars II. 367
Dugueti, *Abbatis, Faſcis Opuſculorum magni momenti.* 120
Facciolati (*Jacobi*) *Acroaſes duæ: una de Scientia & inſcitia, quæ ad mores pertinet; altera, de quo quærendum non ſit.* 276
Rudimenta Logicæ. Editio ſecunda, retractatior. 472
Foppens (*Jo. Franc.*) *Diplomatum Belgicorum nova Collectio, ſive Supplementum ad Opera Diplomatica* Auberti Miræi. Tomus III. 229
le Gendre (*Gilberti Caroli*) *Tractatus de Opinione, ſeu Commentarii, hiſtoriæ mentis humanæ inſervituri.* Tomi V. 103
Gundlingii (*Nic. Hieron.*) *Exercitationes Academicæ, cum Præf.* Jo. Gottlieb Heineccii. 74
Hanovii (*Mich. Chriſtoph.*) *Compendioſa expoſitio Hevriſtices, Logices practicæ Pars prima.* 535
Jahr (*Frid. Guil.*) *Syſtema influxus phyſici in priſtinam dignitatis ſplendoriſque ſtatum reſtitutum.* 273

Kochii

Digitized by Google

Kochii (*Frid. Chriſt.*) *Fundamenta liagua Hebrææ, ſuis undique rationibus ſolide firmata.* 521
Laderchii (*Jac.*) *Controverſiæ literariæ hodiernæ.* 519
Luccheſe (*Matthæi*) *Cogitata ſuper novella detectione ornatus Tuſcanici ſuperioris, expoſiti ab Autore Operis Amphitheatrorum.* 234
De Ludewig (*Jo. Petri*) *Cyrus ætatis noſtræ, ſeu Oratio de Modis, quibus Reſpublica & felix & valida redditur, in Gallicum converſa a* Godofredo Sellio. 21
Macrobii (*Aur. Ambroſ. Theod.*) *quæ exſtant, omnia.* 391
Perizonii (*Jac.*) *Diſſertationes ſeptem, cum Præf.* Jo. Gottlieb Heineccii. 243
Orationes XIV. ibid.
Perſii (*A. Flacci*) *Satyræ, ex Latino in Germanicum ſermonem translatæ a* Jo. Dan. Heyde. 132
Pilgeri (*Martini*) *Via ad cognitionem veritatis demonſtrativam.* 544
Plantin (*Olavi*) *Vindemiola literaria, in qua Hellas ſub Arcto, ſive merita Suecorum in linguam Græcam, exponuntur.* 272
Reckenbergeri (*Jo. Leonh.*) *Collegium fundamentale Græcum.* 47
Reuſs (*Jerem. Frid.*) *Meletema de Scylla quadam Philoſophiæ recentioris.* 222
A Rheden (*Caſpari*) *Idea honeſti, promovendæ hominum felicitati conducens.* 546
Schultens (*Alberti*) *Vetus & regia via hebraizandi aſſerta contra novam & metaphyſicam hodiernam.* 210

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abaſſinorum *Regum ſucceſſio quæ?* 486
Abdicationum *illuſtriorum exempla.* 114
Adminiſtrorum *regni virtutes & vitia deſcripta.* 348
Adſcribo, *vox, apud Ciceronem quid notet?* 368

Adſpirare & adſpiratio *apud Ciceronem quid notet?* 259
Adumbratio, *vox, explicata.* 260
Ægyptiacum *Iſraelidarum exilium quot annos duraverit?* 13 ſeq.
Aeris *præcipuæ proprietates explicatæ.* 510 ſeq.
Æſtus, *vocabulum, de timidis uſurpatum.* 368
Affirmo; *vocis, primaria notio quæ?* 260
Æternitas *mundi refutata.* 185 ſeq.
Affectuum *doctrina explicata.* 549
Afflo, *vox, de ſideribus & fulminibus uſurpata.* 368
Africæ *Hiſtoria in Compendio deſcripta.* 485
Aliger, *vox, de telis uſurpata.* 368
De Agendis *Eccleſiaſticis Luneburgicis ſingularia.* 255
Alchemica *quædam experimenta deſcripta.* 34 ſeq.
Albinagii *jus explicatum.* 113
Alexandri *VI, P. M. vita deſcripta.* 197 ſeq.
Amalaſunthæ, *Oſtrogothorum Reginæ, hiſtoria deſcripta.* 15
Amalfitanæ *Pandectarum inventionis fabula refutata.* 165 ſeq. 169
Americæ *Hiſtoria in Compendio deſcripta.* 485
Ammiani *Marcellini locus quidam reſtitutus.* 428
Anima *hominis an agat machinæ inſtar?* 188
ejus cum corpore conjunctio unde? 189
affectiones explicatæ. 272
De Anima, *& in quo ea conſiſtat, variæ variorum opiniones.* 108 ſeq.
Animæ *ſenſitivæ a rationali diſtinctio deſtructa.* 511 ſeq.
natura & facultates explicatæ. 512 ſeq.
ſtatus futurus expoſitus. 515 ſeq.
Anni *decretorii ratio quæ?* 113
Anonymi *varii detecti.* 127 ſeq.
Antediluviani *ſtatus politici quæ fuerit ratio?* 114
Anteſtationis *ritus ex numis illuſtratus.* 78
Apollineus *idem quod gemellus.* 368
Apparitionum *Chriſti tempus definitum.* 141
Appellationum *uſus antiquiſſimus.* 85
Aquarum *mineralium Recoariensium uſus & abuſus.* 246
Argentoratenſis *Baſilica Cathedralis deſcripta.* 35 ſeq.
Argeus *idem quod Argivus.* 369
Arthritis *vaga & ſcorbutica unde oriatur?* 33

Digitized by Google

Arthritis *quibus remediis tollenda?* 33 ſeq.
Aſiæ *Hiſtoria in Compendio deſcripta.* 485
Aſſeveratio, *vox, de corpore uſurpata.* 369
Aſſigno, *vocis, rara ſignificatio.* ibid.
Aſſumo, *vocis, ſignificatio notata.* ibid.
Aſyli *eccleſiaſtici jus quem habeat in homicidio effectum?* 73
Athei *quibus argumentis refutandi?* 61
Atomi *an dentur?* 462 ſeq.
Attractiva *vis demonſtrata.* 468
Averto, *vox, de ſiti uſurpata.* 369
Avertor *an ſit deponens apud Virgilium?* 260
Auguſtinus *an Concilium Oecumenicum ſuperius Papa dixerit?* 448 ſeq.
De Auſpex, *voce, obſervatio critica.* 260
Automaticus *motus deſcriptus.* 175 ſeq.

B.

Balſamandi *artis origo & progreſſus.* 210
Baptiſmus *an ab Apoſtolis interdum ſolius Jeſu Chriſti nomine adminiſtratus ſit?* 101 ſeq.
Baptiſmi *forma a quibus hæreticis adulterata?* 52
Baſilica *cathedralis Argentoratenſis deſcripta.* 35 ſeq.
Baumgarten (*Sig. Jac.*) *laudatus.* 365
Beatæ *memoriæ viri dicti olim viventes.* 168
Belgii *Diplomata collecta.* 229 ſeq.
— *ſacri ſtatus deſcriptus.* 231
Bicornis, *vox, de fluviis uſurpata.* 369
Bigamis *quale ſupplicium decernendum?* 72 ſeq.
Blancardi (*Steph.*) *Lexicon medicum auctius editum.* 350 ſeq.
Bochbarda *a Boppardio diverſa.* 42
Bœrhaavii (*Herm.*) *ſcripta ab Hallero illuſtrata.* 174 ſeq.
Bohemorum *fratrum hiſtoria deſcripta.* 257 ſeq.
— *diſciplina eccleſiaſtica quæ?* 258
Bonizonii, *Placentini Epiſcopi, memoria inſtaurata.* 429
Bonum *a malo an per naturam ſuam diſtingui poſſit?* 475
Borgiæ (*Cæſaris*) *indoles deſcripta.* 198
Borſati (*Lucretii*) *vita.* 340
Boſſuetus *refutatus.* 448 ſeq.

Digitized by Google

Boylii (*Rogerii*) *vita & ſcripta.* 389
(*Roberti*) *vita & ſcripta.* ibid.
(*Caroli*) *vita & ſcripta.* 390
Boyliorum *familia deſcripta.* 388 ſeq.
Breithaupt (*Joach. Juſt.*) *cum Auguſtino comparatus.* 366
ejus vita. ibid.
Brencmanni (*Henr.*) *de Pandectis Piſanis ſententia refutata.* 164 ſeq.
Bruta *hominibus eſſe inferiora, demonſtratur.* 515
Buccinus, *vox, an de perſona uſurpetur?* 261
Bulgarus, *JCtus, unde ortus?* 168
Bünemanni (*Jo. Ludolphi*) *in Caſtellionis Dialogos ſacros merita.* 275

C.

C *litera, a Suecis in K mutata.* 437
In Cadaveris *vaſa materiam injiciendi methodus.* 209
Cainan *ex genealogia Chriſti extruſus.* 195
Calcare *idem, quod contemnere.* 369
Calculum *veſicæ curari poſſe, demonſtratur.* 207
Calculum *veſicæ an methodo Anglorum curari expediat?* 208 ſeq.
Calculus *unde oriatur in humano corpore?* 409 ſeq.
quomodo diſſolvendus? 411 ſeq.
Calinus (*Cæſar*) *refutatus.* 1
Calvinus *an fuerit hiſtoriæ ſacræ ignarus?* 18
Calumniari *idem ac judicium criticum interponere.* 169
Canonum *Apoſtolicorum duo in dubium vocati.* 446 ſeq.
Cantatus *apud Silium quid notet?* 370
Cantus *idem quod buccina.* ibid.
Capponii (*Gini*) *libelli duo editi.* 338
Carpovius (*Jac.*) *ab Oporino notatus.* 70 ſeq.
In Caſtellionis (*Seb.*) *Dialogos ſacros Index Latinitatis.* 276
De Celſi *ſcientia medica judicium.* 178
Cera *apud Poetas quid notet?* 370
Chaldæo-*Biblicum Lexicon novum editum.* 145
Childericus *III num a Zacharia Papa ſolio dejectus ſit?* 16
Chriſmatis *confirmatorii in eccleſia uſus.* 42
Chriſti *apparitio in Galilæa explicata.* 138 ſeq.

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti *apparitionum variarum tempus definitum.* 141
cum Samaritide colloquium illuſtratum. 245 ſeq.
vitæ reſtituti memoria feſtis olim celebrata. 366
natalitiorum feſtorum origo. 367
ſatisfactio inſulſe negata. 507
Chriſtianæ *religionis veritas demonſtrata.* 64
Chronica *quædam vetera collecta.* 337 ſeq.
Chronologia *ſacra in ordinem redacta.* 194 ſeq.
Chymiæ *fata quæ?* 178
Clemens *Romanus vitæ Apoſtolorum teſtis.* 528
De Clericis *judicium inſulſum.* 503
Clericus (*Jo.*) *refutatus.* 393 ſeq. 429
Clivoſus *idem quod difficilis.* 370
Clœliarum *Curvarum deſcriptio.* 179 ſeq.
Coadjutorum *eccleſiaſticorum dignitas explicata.* 113
Cogitatio *in quo conſiſtat?* 542
Cohæſionis *doctrina explicata.* 467
Çoldonenſes *aquæ minerales commendatæ.* 86 ſeq.
Collinus *refutatus.* 155
Colorum *theoria Neutoniana adſtructa.* 471
De Columbo (*Chriſtoph.*) *ſingularia.* 487
Comes *Palatinus & Comes Palatii an fuerint unum idemque?* 43
Comites *an in Sigillis repræſententur ſedentes?* 44 ſeq.
Comitum *Palatinorum Saxoniæ origo & ſeries.* 341 ſeq.
Conchyliorum *rariorum catalogus.* 414 ſeq.
Concilii *Nicæni autoritas quæ?* 17
Francofurtani decreta illuſtrata. ibid.
quinti generalis hiſtoria deſcripta. 18
Ad Concilium *Oecumenicum an a Papa provocari poſſit?* 448 ſeq.
De Conſcientia *doctrina explicata.* 158
Conſiſtorium *an ex ſolis Clericis formandum ſit?* 85 ſeq.
Conſtans *apud Petronium quid notet?* 370
Contentio *idem quod comparatio.* ibid.
In Controverſiis *ſacris vis commendata.* 520 ſeq.
Corniger, *vox, de fluviis uſurpata.* 370
De Cornu, *voce, obſervatio critica.* 261. 371

Cornua *quale olim ſymbolum fuerint?* 242
Corona *Imperii an ſit Caroli M an Conradi I?* 82
Cortex *apud Silium quid?* 371
De Courthardy (*Petri*) *memori. inſtaurata.* 42
Creatio *mundi adverſus Leibnitium aſſerta.* 185 ſeq.
quid ſit? 473
ejus poſſibilitas & certitudo demonſtrata. 518 ſeq.
Creatura *anxie expectans, quid notet?* 253 ſeq.
Cremæ *urbis memorabilia deſcripta.* 339 ſeq.
Cuneus *apud Ovidium quid?* 371
Curvarum *Rhodonearum & Clæliarum deſcriptio.* 179
Cyri *exemplum Principibus commendatum.* 22

D.

Dandinus (*Hercules Franc.*) *a Mariana refutatus.* 453 ſeq.
Decretum *Ivonis an ex Pandectis ſit deſumtum?* 172
abſolutum defenſum. 279 ſeq.
Deducere *apud Silium quid?* 371
Deficere, *vox, de navibus uſurpata.* ibid.
Dei *providentia propugnata.* 61
omnipræſentia adſtructa. 61 ſeq.
Dei *exiſtentia demonſtrata.* 159 ſeq.
attributa demonſtrata. 272 ſeq.
gratia univerſalis & particularis propugnata. 279 ſeq.
ſanctitas in quo conſiſtat? 237
gratia univerſalis explicata. 238
juſtitia in quo conſiſtat? 507
Demugitus *apud Ovidium quid notet?* 262
Deponere *apud Cæſarem quid?* 371
Depoſitorum *in monte tria genera deſcripta.* 29
Derhami (*Guil.*) *vita & ſcripta.* 142 ſeq.
Deſtringere *idem quod leviter vulnerare.* 371
Diplomata *Belgii collecta.* 229 ſeq.
Ex Diſſertationibus *theologicis Commentarium in Scripturam S. conficiendi inſtitutum.* 280 ſeq.
Dithmari (*Juſt. Chriſtoph.*) *Diſſertationes laudatæ.* 111
Divortium *ob impotentiam defenſum.* 360 ſeq.
ejus proceſſus quomodo inſtituendus? 364

Domus

Digitized by Google

Domus *regia Gallorum deſcripta.* 530 ſeq.
Duellici *Judicii quæ olim ratio?* 114
Duncani (*Dan.*) *vita & ſcripta.* 237 ſeq.
Duratio *quid ſit?* 270

E.

Eccleſia *vetus & nova a rigore abſoluta.* 482 ſeq.
Eclogæ *ratio & vitia monſtrata.* 20
Educatio *pueri quomodo inſtituenda?* ibid.
Effrænare *apud Silium quid notet?* 372
Egerere *idem quod conſumere.* ibid.
Eginhardi *an ſit Epiſtola, ei a Ducheſnio tributa?* 428
Electorum *origo unde?* 112
Epiſcopi *officia deſcripta.* 120 ſeq.
titularis dignitas & jura deſcripta. 442 ſeq.
origo unde? 443
titulares a Seculo XIII præcipui recenſiti. 445
Epiſcoporum *Suionicorum dignitas & jura deſcripta.* 259 ſeq
titularium tria genera. 443 ſeq.
Epochæ *variæ Chronologiæ ſacræ definitæ.* 195 ſeq.
Eruditorum *paralogiſmi quidam notati.* 429
Eſſentias *rerum eſſe æternas, demonſtratur.* 257
Ethica *Chriſtiana explicata.* 53 ſeq.
Evam *intra ſextiduum fuiſſe creatam, demonſtratur.* 8 ſeq.
Eugenii (*Franciſci*) *Principis Sabaudiæ, res geſtæ deſcripta.* 161 ſeq.
Evincere *apud Ovidium quid notet?* 372
De Evnuchi *matrimonio quid ſentiendum?* 360 ſeq.
Eutropii *loca quædam illuſtrata.* 271
De Eutropii *ſtilo judicium.* 270 ſeq.
Exanimatus *quid proprie notet?* 262
Experientiæ *ſupernaturalis & ſpiritualis leges propoſitæ.* 536
Exſpiro *quid proprie notet?* 262
Extorquere, *vox, de luxatione membrorum uſurpata.* 372
Extremus *idem quod minimus.* ibid.

F.

Febrium *intermittentium perverſæ curationes deſcriptæ.* 458
Flatus, *vox, de equis uſurpata.* 373
Floren-

Digitized by Google

Florentinarum *rerum Annales editi.* 242 ſeq.
Flores *geometrici deſcripti.* 179
De Fœderibus *cum diverſæ religionis hominibus quid ſentiendum?* 114
Fons *medicatus Hagæ Schaumburgicæ deſcriptus.* 509 ſeq.
Foreſtoria *res Germanorum illuſtrata.* 422 ſeq.
Foreſtum *quid notet?* 422 ſeq
Francicæ *Monarchiæ origo an ſit ad Chlodoveum referenda?* 428
De Fremere, *verbo, obſervatio critica.* 373
Friderici *Wilhelmi, Boruſſorum Regis, ars regnandi commendata.* 22
Friſia *Orientalis an Confeſſionem Reformatorum receperit?* 251 ſeq.
— *geographice deſcripta.* 479 ſeq.
— *ejus Comitum Tabula genealogica.* 480
— *Hiſtoria eccleſiaſtica deſcripta.* 250
Friſii *unde dicti?* 479
Fritillus *quid notet?* 262
Fulguro *per metaphoram quid notet?* 373
Fulmen *&* *fulmineus, voces, de apris ſævis uſurpatæ.* ibid. 374

G.

De Galeni *ſcientia medica judicium.* 178
Galilæa *an fuerit pars montis oliviferi.* 138
Gallicanæ *linguæ origo.* 428
Gallicarum *copiarum & domus regiæ ratio deſcripta.* 530 ſeq.
Gemere, *&* *gemitus, voces, de apro uſurpatæ.* 374
Geometriæ *Elementa edita.* 354 ſeq.
Geometrici *flores deſcripti.* 179 ſeq.
Georgii *Barbati in urbem & Academiam Lipſienſem merita.* 90
— *molitiones adverſus Lutherum deſcriptæ.* 92
Germanicorum *Scriptorum veterum defectus unde?* 115
Gladius *Imperii an ſit Caroli M. an Caroli IV?* 82 ſeq.
Globus, *vox, de ſanguine Ovidio uſurpata.* 374
Græca *lingua ex Samaritana derivata.* 48
— *ejus præcepta tradita.* ibid.
— *definitio.* ibid.
— *per Suecos incrementa.* 272 ſeq.
Græco-

Græcorum *accentus unde ducant originem?* 48
Grammaticæ *generalis, ſeu philoſophicæ, ſpecimen.* 216 ſeq.
quot ſint partes? 216 ſeq.
Gratiæ *univerſalis doctrina explicata.* 123 ſeq. 238 ſeq.
& particularis conjunctio tentata. 278 ſeq.
Gratiani *Decretum an ex Pandectis deſumtum ſit?* 170 ſeq.
Gravitas *corporum explicata.* 466
Grevii (*Jo.*) *fata deſcripta.* 31
A Gruberi (*Jo. Dan.*) *accuſatione vindicatus Harenbergius.* 41

H.

De Habitare, *voce, obſervatio critica.* 263
Hagæ *Schaumburgicæ fons medicatus deſcriptus.* 509
Halleri (*Alb.*) *in ſcripta Bœrhaavii merita.* 173 ſeq.
Hamatus, *&* Hamus, *voces, de unguibus aquilæ uſurpatæ.* 374
Harduinus (*Jo.*) *refutatus.* 138 ſeq.
Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *vindiciæ.* 41 ſeq.
De Harmonia *præſtabilita judicium.* 57 ſeq. 230. 271. 274. 257. 549
Hebraicæ *linguæ fontes quomodo eruendi?* 211
fundamenta explicata. 521 ſeq.
methodo philoſophica docendæ ratio propoſita. 522
Hebraicarum *vocum Lexicon novum editum.* 145 ſeq.
ſignificatus quomodo eruendi? 211 ſeq.
criteria explicata. 286 ſeq.
Hercinici *tractus memorabilia deſcripta.* 37 ſeq.
Hevriſtices *Elementa propoſita.* 535 ſeq.
Hippocrates *quam ſit Philoſophorum ſectam ſecutus?* 177
ejus in variis Medicinæ partibus ſcientia quæ? ibid.
Hiſtoriæ *univerſalis novum Compendium.* 193 ſeq.
Hobbeſii *vindiciæ.* 83
Homicidii, *ex cauſa zelotypiæ commiſſi, pœna.* 73
Honeſti *doctrina explicata.* 547
Horn, *vox Germanica, quid notet?* 480
Humida *verba apud Gellium quæ?* 375

I.

In Janſeniſtica *cauſa formula ſubſcriptionis præſcripta.* 126

Digitized by Google

Janſeniſticorum *librorum Index editus.* 127
Idealiſmus *refutatus.* 432
Idearum *quot ſint genera?* 544 ſeq.
De Jeſuitis *judicium.* 356 ſeq.
Imaginum *cultus quibus olim controverſiis anſam dederit?* 16
Immortuus, *vox, quid notet?* ibid.
Impedio, *verbi, conſtructio notata.* ibid.
Imperioſus, *vocis, conſtructio cum dativo.* ibid.
De Impertiri, *voce, obſervatio critica.* ibid.
Ob Impotentiam *an diſſolvendum ſit matrimonium?* 360 ſeq.
Inambitioſus *apud Ovidium quid notet?* 263
Incidere *idem quod abrumpere.* 375
Incoctus *apud Silium quid notet?* 376
Increpito, *verbi, conſtructio notata.* ibid.
Incumbere, *verbi, ſignificationes notatæ.* ibid.
Indeſtrictus *apud Ovidium quid notet?* 263
Indiſcernibilium *principium demonſtratum.* 270
Influxus *phyſicus denuo ſtabilitus.* 189. 274 ſeq.
Influxus *phyſicus in quo conſiſtat?* 275
Ingemiſcere *cum quarto caſu compoſitum.* 377
Inrotulationis *vocabulum explicatum.* 85
Inſibilare *apud Ovidium quid notet?* 264
Inſido *apud Ovidium quid notet?* 377
Inſpicere, *verbum judicibus proprium.* ibid.
In Inſtitutiones *Juris Commentarius novus.* 110
Inſtruo, *vocis, prima ſignificatio quæ?* 264
Intermorior, *verbum, de igne uſurpatum.* 377
Intrare *apud Statium quid notet?* ibid.
Intratus *apud Silium quid notet?* ibid.
Inveniendi *ars in ſyſtema redacta.* 535 ſeq.
Joachimi II, *Electoris Brandenb. hiſtoria deſcripta.* 15
Joſephi, *ſcriptoris rerum Judaicarum, fides vindicata.* 1 ſeq.
nævi varii notati. 13 ſeq.
horum defenſio. 4 ſeq.
Irnerius *an idem, qui Garnerius?* 167
Islandia *an A. 834 Chriſtianis ſacris fuerit imbuta?* 428

Digitized by Google

Judæorum *ritus antiqui deſcripti.* 488 ſeq.
dogmata præcipua. 497 ſeq.
Judicia *de aliorum ſcriptis quomodo ſint ferenda?* 21
Judiciorum *civilium Veronenſium ordo deſcriptus.* 24 ſeq.
Sub Jugum *mittere, formula illuſtrata.* 271
Ivonis *Decretum an ex Pandectis ſit deſumtum?* 172
Juris *Gentium Corpus integrum promiſſum.* 93 ſeq.
publici Germaniæ origo unde derivanda? 112
Jurisprudentia *ex numis antiquis illuſtrata.* 74 ſeq.
Jus *Naturæ methodo mathematica explicatum.* 255 ſeq.
Juſtitia *in numis antiquis repræſentata.* 76
Juſtitiæ *diſtribuentis vera ratio explicata.* 450 ſeq.
ex mente Peripateticorum explicatio. 453 ſeq.

K.

K, *litera, a Suecis pro C uſurpata.* 437
Krügerus (*Jo. Gottlob*) *laudatus.* 461 ſeq.

L.

Labes *quid proprie notet?* 264
Laborare *apud Silium quid notet?* 377
'*A* Labris *ſummis venire, formula explicata.* 264 ſeq.
Lactantii *an ſit liber de Mortibus perſecutorum?* 429
Langius (*Joach.*) *refutatus.* 279 ſeq.
Lapicidina, *vox, an ſingulari numero legatur?* 265
Lapidum *ferax Suecia.* 552
Laſci (*Jo.*) *errores & ſcripta.* 255
Legationum, *obedientiæ cauſa Romam miſſarum, hiſtorica deſcriptio.* 416 ſeq.
Legis *naturæ generalia præcepta.* 157. 159
Legitimus *idem quod uſitatus.* 377
Leibnitii (*G. G.*) *conſilia, fodinas metallicas aquarum copia liberandi, laudata.* 39
doctrinæ variæ examinatæ. 225 ſeq.
De Leibnitio (*G. G.*) *judicium.* 185
Leonis X, *P. M. vita deſcripta.* 197 ſeq.
Lex *quid?* 268
Libare *idem quod leviter tangere.* 377
Libertas *in quo conſiſtat?* 63. 151. 257. 548
ejus quot ſint genera? 151 ſeq.

Libertas *hominis ſtabilita.* 155 548

Lipſiæ *ad ſacra Lutheri reductæ hiſtoria.* 89 ſeq.

Litera *pro epitaphio uſurpata.* 378

Literatorum *infelicium exempla.* 349

Livere, *vox, de prunis uſurpata.* 378

Logicæ *definitio.* 477

Compendium novum. 540 ſeq. 544 ſeq.

Lotharingiæ *hiſtoria in nuce deſcripta.* 40

Lutherus *infami imagine dehoneſtatus.* 46

ejus vindiciæ & vita. 46 ſeq.

Epiſtola edita. 47

an aliquando opinionem de præſentia reali in S. Cœna foverit? 254

M.

Macrobius (*Aur. Ambr.*) *unde ortus?* 391

ejus nova editio. ibid.

Magi *ex Oriente an vere Chriſtum adoraverint?* 429

Malum *an pertineat ad perfectionem mundi?* 247

in quo conſiſtat? 269

& bonum an diſtingui poſſint? 475

Mali *origo unde?* 189 ſeq. 273

Mannelli (*Amaretti*) *Chronicon editum.* 337

Materiam *ſubtiliſſime eſſe dividuam, demonſtratur.* 462 ſeq.

Matrimoniorum *veterum ritus.* 84 ſeq.

Matrimonium *venale quid?* 84

ejus ob impotentiam diſſolutio defenſa. 360 ſeq.

S. Matthæi *Capitulum Brunſuicenſe deſcriptum.* 232 ſeq.

Medicæ *Obſervationes collectæ.* 454 ſeq.

Medici *officium, medicamentorum omnium vim inveſtigandi, deſcriptum.* 116

Medicamentorum *officinalium vires & uſus.* 117

Meinerſius (*Eduardus*) *refutatus.* 250 ſeq.

Melanchthon (*Phil.*) *infami pictura dehoneſtatus.* 46

ejus vindiciæ & vita. 46 ſeq.

Epiſtolæ tres editæ. 47

Meli (*Jo. Ant.*) *vita & ſcripta.* 340

Memnonides *aves an a Memnoniis diverſæ?* 265

In Menagii (*Æg.*) *Origines linguæ Gallicæ annotationes.* 428

Menſtruum *univerſale deſcriptum.* 353

Men-

Menſtrui *univerſalis origo unde?* ibid.
Menſura *virium vivarum a menſura virium mortuarum diſtinguenda.* 465
Merces *idem quod uſura.* 378
Merere *apud Flaccum quid notet?* ibid.
Milichus, *vox, Silio uſurpata.* ibid.
Militaris *rei cura Principibus commendata.* 22
Mineralia *Sueciæ deſcripta.* 550 ſeq.
Miræi (*Auberti*) *Diplomata Belgii continuata.* 229 ſeq.
Modus *Poetis idem quod finis.* 378
De Monadibus *Leibnitii judicium.* 187
Monaldi *Diarium editum.* 242
Monetaria *res Cenomanenſis antiqua illuſtrata.* 429
Monro (*Alex.*) *Tractatus duo denuo editi.* 209 ſeq.
Montes *glaciales Tyrolenſes deſcripti.* 264 ſeq.
Morales *leges e doctrina Chriſti explicatæ.* 53 ſeq.
Moralis *doctrinæ fata deſcripta.* 547
Morari *cum præpoſitione* ab *conſtructum.* 379
Morbi *Polonici hiſtoria.* 455
Morbos *venereos curandi nova methodus.* 402 ſeq.
Morborum *venereorum cauſa quæ?* 402 ſeq.
Ex Morte *an ſit judicium de virtute heroica ferendum?* 349
Mortis *definitio.* 473
— *metus an ſit naturalis?* 474
Moſaicæ *antiquitates ex Scriptura S. explicatæ.* 97 ſeq.
Moſis *nomen quid notet?* 242
— *cornua quid notent?* ibid.
— *librorum autoritas propugnata.* 243
De Münchhauſen (*Wilh. Ern.*) *laudatus.* 255 ſeq.
Mundus *an ſit machina?* 187
Mundi *creatio adverſus Leibnitium aſſerta.* 185 ſeq.
Münſter, *Baſilica cathedralis Argentoratenſis, deſcripta.* 35 ſeq.
Muſea *Galliæ & Belgii præcipua enumerata.* 413
Muſica *an Seculo VI in Eccleſia fuerit in uſu?* 428

N.

Natalis *dies multis fatalis atque ultimus.* 191 ſeq.
Natura *quid ſit?* 473
Naturæ *lex in quo conſiſtat?* 157
— *ejus præcipua fundamenta.* 159

Naturaliſtæ *quibus argumentis oppugnandi?* 67 ſeq.
Neceſſitas *quotuplex?* 154
Nequam *idem quod deſpectus.* 379
Nexus *idearum quotuplex?* 544 ſeq.
Nicolii *de gratia univerſali doctrina examinata.* 123 ſeq.
In Nomine *alicujus aliquid facere, formula, quid notet?* 102
Numi, *ad legationes, obedientiæ cauſa Romam miſſas, ſpectantes.* 421
Suco - Gothici præcipui deſcripti. 434 ſeq.
Guſtavum Adolphum, Suec. Regem, referentes. 441
Numiſmatum *in Jurisprudentia uſus.* 74 ſeq.
Numophylacia *Sueciæ præcipua recenſita.* 442

O.

Oblatio, *vox, quid notet?* 265
Obligatio *quid ſit?* 155
quotuplex? 156
Obnubo *idem quod obnubilo.* 379
Obverſor *idem quod oberro.* ibid.
Occidere *de lucernis uſurpatum.* ibid.
Oeconomiæ *ſtudium Principibus commendatum.* 23 ſeq.
Officia *hominum varia explicata.* 252
Opificum *Collegia apud Germanos emendandi conſilia.* 114 ſeq.
Opinionum *in ſcientiis humanis tyrannis demonſtrata.* 104 ſeq.
Oratoriæ *cum aliis ſcientiis nexus demonſtratus.* 218 ſeq.
definitio. 219
Ordinis & *confuſionis idea quæ?* 268
De Orrery, *Comitis, vita & character.* 388 ſeq.
Ovatio *an unquam curru ſit peracta?* 265 ſeq.
Ovantes *flammæ apud Silium quid notent?* 379

P.

De Palla, *voce, obſervationes criticæ.* 266
De Pandectarum *uſu antiquo varia.* 166. 169
Pandectas *ante Seculi XIII finem apud Piſanos fuiſſe in uſu, demonſtratur.* 164 ſeq.
Paracelſi *patria quæ?* 178
Parietina, *vox, an ſingulari numero legatur?* 266
Paulus *cur nomen ſuum Epiſtolæ ad Hebræos non præfixerit?* 152
D. Pauli *Epiſtolæ integro Commentario illuſtratæ.* 148 ſeq.

Digitized by Google

Pentecoſtales *antiquitates illuſtratæ.* 367
Perfectio *in quo conſiſtat?* 268 ſeq.
Perizonii (*Jac.*) *quædam Opuſcula conjunctim edita.* 243 ſeq.
vita. 243
Orationes conjunctim editæ. 244
Perlecto, *verbum, Apulejo uſurpatum.* 379
Perſibro, *vox, quid notet?* 266
Permittere, *vox, quid proprie notet?* 266 ſeq.
Perſii *vita.* 137
editiones nonnullæ recenſitæ. ibid.
Germanica verſio. ibid.
Pertinentiarum *nomen explicatum.* 426 ſeq.
Petri *Blæſenſis Epiſtola examinata.* 170
Phalaridis *aliquot Epiſtolæ Anglice converſæ.* 390
Phellandrii *hiſtoria naturalis deſcripta.* 248
in variis morbis uſus. 248 ſeq.
Philoſophia *antiquiſſima cum recentiſſima comparata.* 432
A Philoſophia *recentiori quid ſit metuendum?* 223 ſeq.
Philoſophiæ *veræ ratio explicata.* 461 ſeq.
Philoſophorum *nævi deſcripti.* 350.
Phthiſis, *morbus, deſcriptus.* 405 ſeq.
ejus curandæ methodus. 406
Phyſica *quædam experimenta collecta.* 355
De Phyſicis *rebus, Scriptura S. contentis, judicium.* 100 ſeq.
Pictura *infamis, Lutherum & Melanchthonem repræſentans.* 46 ſeq.
Piſanis *quando primum innotuerint Pandectæ?* 164. 171
Piſanorum *Epiſcoporum catalogus emendatior.* 168
Piſtorienſium *rerum Commentarii editi.* 241 ſeq.
Piſtoris (*Simonis*) *vita.* 92
Plagiarii *exemplum.* 428
Plutarchi *de audiendis Poetis libellus Germanice verſus.* 132
Podagra *unde oriatur?* 32
quo remedio tollenda? 32 ſeq.
ejus indoles & curatio. 407 ſeq.
Pœnarum *& præmiorum ad legem factumque ratio demonſtrata.* 258
Poeſis *Græcorum & Romanorum ſatirica deſcripta.* 132 ſeq.
Polonici *regni variæ viciſſitudines deſcriptæ.* 232 ſeq.
Polycarpi *de præcipuis Chriſtianæ*

Digitized by Google

næ fidei capitibus doctrina expoſita. 527 ſeq.
Polycarpi *vita.* 528
Polytheiſmus *refutatus.* 272
A Pontifice *an ad Concilium Oecumenicum provocari poſſit?* 448 *ſeq.*
Pontificum *in ſubjugandis Regibus conatus deſcripti.* 16
Porcia *lex ex numo antiquo illuſtrata.* 77
Prælationis *jus in venditione explicatum.* 399 ſeq.
Principum *felicitas quibus miſeriis turbari poſſit?* 348
Pronus, *vox, de currentibus uſurpata.* 380
Prudentius *quidam, Epiſcopus detectus.* 428
Pſalmorum *aliquot poetica interpretatio Gallica.* 20
Pſeudonymi *varii detecti.* 127 ſeq.
Puffendorfii (*Sam.*) *Introductio Hiſtoriæ continuata.* 485
Pulſare *apud Silium quid notet?* 380
De Punctis *Hebraicis quid ſentiendum?* 522 ſeq.
Purpuræ *albæ confluentis ratio deſcripta.* 457

Q.

Quærere *de quo non liceat?* 277
Quatuorviratus *an ab Ottone III in Germania ſit inſtitutus?* 113
Quietiſticorum *Autorum Index.* 130

R.

Rabies *a morſu canis rabidi.* 404 ſeq. *ejus curandæ methodus.* 405
Ratio *ſufficiens an omnium effectuum naturalium dari poſſit?* 461
Reckenbergerus (*Jo. Leonh.*) *modeſte notatus.* 499 ſeq.
Reclamare *quid proprie notet?* 267
Recoarienſium *aquarum mineralium uſus & abuſus.* 246
Recondere *idem quod rurſus ponere.* 380
Recumbere *apud Silium quid notet?* ibid.
Reducere *de mente uſurpatum.* ibid.
Referre *labores, Silio quid notet?* ibid.
Reficere *idem quod ſanare.* ibid.
Reformatio *ſacrorum an fuerit neceſſaria?* 397
Regiomontano (*Jo.*) *inter præcipuos typographos locus tributus.* 388
Regnandi *artis præcepta tradita.* 22
Reineke *Vos, liber, unde dictus?* 40 ſeq.
Reinhardus (*Laur.*) *laudatus.* 269

Rein-

Digitized by Google

Reinhardi (*Laur.*) *in Eutropium merita.* 270
Religio *interna quibus capitibus conſtet?* 252
Religionis, *homini accommodatiſſimæ, falſum ſyſtema propoſitum.* 501 ſeq.
De Religionis *veritate an tantum ex N. Teſt. ſit judicandum?* 396
Remolior, *vox, quid notet?* 267
Remy (*Ant.*) *notatus,* 149
Renidens, *vox, de vultu torvo uſurpata.* 381
Renidere *apud Horatium quid notet?* ibid.
Repetere *apud Ovidium quid notet?* ibid.
Reſalutare *idem quod iterum ſalutare.* ibid.
Reſonare *idem quod facere reſonare.* ibid.
Reſpiro, *quid propie notet?* 267
Retractare *idem quod reficere.* 381
Retractus *jus explicatum.* 399 ſeq.
Revelationis *ſacræ veritas demonſtrata.* 64 ſeq.
Revolvo, *quid proprie notet?* 268
Rhodonearum *Curvarum deſcriptio.* 179 ſeq.
Riedlini *Curæ medicæ ſub alieno titulo iterum editæ.* 119
Rigor *a veteri & hodierna Eccleſia alienus.* 482 ſeq.
Rivaltii (*Dav.*) *vita & ſcripta.* 429
Romana *Hiſtoria deſcripta.* 197
Eccleſia an una credendorum normam præbeat? 394 ſeq.
Roſtra *vetera deſcripta.* 271
Ruſſicæ *Hiſtoriæ fontes præcipui.* 235 ſeq.
Ruth *Liber Latine verſus & illuſtratus.* 532 ſeq.

S.

Sabaudicæ *curiæ cum Romana controverſia.* 49 ſeq.
Sal *terræ quid notet?* 248
Saligii (*Chriſt. Aug.*) *vita & ſcripta.* 525
Sanguinis, *per venæſectionem emiſſi, varii colores.* 203
mittendi ratio præſcripta. 203 ſeq.
Saponis *in calculo veſicæ curando uſus.* 208 ſeq.
Satira *quid ſit?* 137
Satirica *Græcorum & Romanorum poeſis deſcripta.* 132 ſeq.
De Satiricis *Romanorum Poetis judicium.* 136
Saxoniæ *Comitum Palatinorum origo & ſeries.* 341 ſeq.
Scholarum *apud Ebræos ratio deſcripta.* 430
Daniæ catalogus. 430 ſeq.

Digitized by Google

Schulzii (*Jo. Henr.*) *in Lexicon medicum Blancardi merita.* 350 ſeq.

Scientia & *inſcitia in doctrina morali explicata.* 277

Scriptura S. *in rebus phyſicis num ſubtilitatem ſectetur?* 101

an unicam de religionis veritate judicandi normam præbeat? 396 ſeq.

ejus divinitas demonſtrata. 235 ſeq.

loca quædam explicata aut illuſtrata:

Gen. I, 1-3. 245
27. 54
37. 8
II, 1. ibid.
4. 533
IV, 7. 524
VIII, 21. 245
XI, 12. 195
XII, 20. 11
XIII, 2. ibid.
12. ibid.
XIV, 14. 10
XV, 13. 14
XXIV, 2. 11
50. ibid.
XXV, 7, 8. 12
XXIX, 27. ibid.
XXXVIII, 24. 491
XXXIX, 1. 12
Exod. II, 1, 2. ibid.
VII, 22. 13
Exod. X, 8. 288
XII. 195
14. 14
40. ibid.
XX, 11. 8
XXX, 22-33. 98
Num. I, 7. 534
IV, 19. 288
X, 14. 534
XII, 1. 13
3. 242
XXVI, 59. 14
Deut. XIV, 22. 286
XXV, 9. 494
XXXII, 26. 287
XXXIII, 5. 244
Joſ. XI. 288
XXIV, 2. 10
26. 287
Judic. XIII, 8. 286
XIX, 18. 288
XX, 16. 214
Ruth I, 9. 533
13, 14. ibid.
II, 20, 21. ibid.
III, 1. ibid.
6-8. 533. 534
13-15. 533. 534
IV, 21. 534
1 Sam. IX, 18. 288
2 Sam. I, 21. ibid.
1 Reg. II, 20. ibid.
VI, 1. 534
XII, 9. 288
1 Par. I, 195
II, 10. 534

Digitized by Google

1 Par. VI, 1. 14
16. ibid.
18. ibid.
22. ibid.
XXIII, 12, 13. ibid.
Job. XXXI, 10. 45
Pſ. I. 20
XII, 6. 248
XIX, 1 ſeq. 10
XLV, 3. 246
XLIX, 20. 279
LXIII, 2. 212
XCIV. 20
8 ſeq. 61
XCVI, 12. 287
CX. 20
CXV. ibid.
CXIX. ibid.
CXXVII. ibid.
CXXXVI, 15. 286
CLIII. 20
Prov. I-IV. ibid.
XXXI, 26. 235
Eccleſ. VII, 21. 54
XII, 7. 517
Cant. I, 16. 248
IV, 7. ibid.
15. ibid.
Eſ. IX, 1-3. 98
6. ibid.
XX, 4. 287
XLIII, 27. 10
LXI, 1-3. 98
LXVI, 24. 279
Jer. XV, 23. 126
XXXI, 31 ſeq. 55
Jer. XXXV. 288
XXXVIII, 5. 287
LI, 7. 245
Ezech. VI, 18. 287
XVI, 31. ibid.
Dan. II, 34. 287
VII, 7. 243
24. ibid.
VIII, 3. ibid.
6. 242
20. ibid.
Hoſ. X, 4. 287
Nah. III, 4. 245
Sirac. XX, 3. 361
XXIV, 1. 246
17, 18. ibid.
22. ibid.
40. ibid.
2 Macc. VII, 1 ſeq. 159
Matth. III. 102
V. 247
4. 248
13. ibid.
48. 55
VI. 247
VII. ibid.
XIII, 23. 499
XX, 5. 140
XXV, 11, 12. 279
XXVI, 31. 138
XXVIII. 102
7-10. 138. 139. 141
16. 138
17. 139
Marc. I, 23-29. 244
IX, 44. 279

Marc. X, 6. 254
XVI, 5. 141
Luc. II, 41. 140
III, 23. 196
IV, 22. 246
V, 1-11. 244
X, 20. 285
XVI, 26. 279
XXIV, 3, 4. 141
25. 244
26. 499
33. 138
34. 142
35. 139
Jo. III, 3, 4. 499
5. 239. 499
6-10. 499
IV, 5. 245
14. ibid.
26. 246
45. 140
V, 39. 244
46, 47. ibid.
VII, 38. 245
VIII, 25. 246
XII, 20. 140
XIV, 23. 55
XVI, 2. 359
4. ibid.
XVII, 9. 238
XIX, 34, 35. 246
XX, 24. 141
XXI, 2. 139
14. 140
Act. I, 11. ibid.
IV, 11. 359
Act. VII, 22. 13
51. 282
XIII, 48. 285
XV, 11. 56
XVII, 34 *ſeq.* 67
XX, 6, 7. 367
Rom. I, 17. 151
19, 20. 61
22. 247
III, 22. 151
23. 57
28. 151
V, 12. 57
VII, 5. 549
15. 188
19. 55. 188. 549
20 55
23. 188. 549
VIII, 3. 255
19. 253. 255
28-30. 285
IX, 6. ibid.
8. ibid.
11. ibid.
13. ibid.
X, 4. 56
12. 151
XI, 2. 285
5. 238. 285
6. 238
7. 285
1 *Cor.* I, 12-14. 245
17. 69
21. 64
II, 4. 69
IV, 1. 245

2 Cor.

1 Cor. IV, 4. 154
V, 7, 8. 366
VII, 1 ſeq. 151
XII, 29. 499
XIII, 5. 227
XV, 6. 139. 141
23. 239
XVI, 2. 367
2 Cor. I, 22. 52
V, 16. 499
17. 254. 499
Gal. II, 14. 151
III, 17. 195
VI, 15. 254
Eph. I, 4-6. 285
II, 10. 254
IV, 11-13. 56
15. 55
22, 23. 54
24. 54. 254
V, 15. 55
VI, 16. 500
Phil. IV, 3. 285
Col. I, 15. 254
III, 9, 10. 55
1 Theſſ. IV, 1-10. 55
1 Tim. II, 4. 255
III, 2. 151
15. 236
2 Tim. I, 9. 285
II, 13. 156
Tit. III, 5. 499
1 Pet. I, 17. 55
23. 499
II, 2. ibid.
2 Pet. I, 5. 55
III, 9. 255
1 Jo. III, 22. 55
61. ibid.
V, 6. 246
9. ibid.
Ebr. XI, 6. 508
23. 12
XII, 1. 55
14. ibid.
Jac. III, 2. 54
Apoc. II, 5. 55
13. 247
26, 27. 100
III, 5. 285
14. 255
20. 281
XVII, 12. 243
14. ibid.
XVIII, 3. 245
XX, 10. 279
14, 15. ibid.
XXI, 23. 517
XXII, 15. 279
Senium *idem quod ruina.* 381
Sichemum *urbs cur Sichar vocetur?* 245
Silii *locus emendatus.* 376
De Simonis (*Jo.*) *Arcano formarum judicium.* 524
Simplicitatis *doctæ ratio explicata.* 59 ſeq.
Sincerus *idem quod illæſus.* 382
Sinus, *vox, de intimis terræ receſſibus uſurpata.* ibid.

Sonare *idem quod clamare.* 382
Sponſiones *num ſint licitæ?* 114
Statuum *Imperii nota characteriſtica quæ?* 42
Stellatus *apud Silium quid notet?* 382
De Stephens (*Joannæ*) *methodo curandi calculum judicium.* 208 ſeq.
Stromeri (*Henrici*) *vita.* 93
Struvii (*Burch. Gotth.*) *liber promiſſus.* ibid.
Stupere *cum Accuſativo junctum.* 382
Subducere *idem quod ſurſum ducere.* ibid.
Suberigo *apud Silium quid notet?* 268
Submittere *idem quod ſurſum mittere.* 383
Subſido *apud Ovidium quid notet?* ibid.
Succeſſionum *ab inteſtato materia ex legibus Veronenſibus illuſtrata.* 200 ſeq
Sueciæ *mineralia deſcripta.* 550 ſeq.
Suecorum *in Græcas literas merita.* 272 ſeq.
Sueo-Gothicorum *Regum hiſtoria ex numis illuſtrata.* 434 ſeq
Suionici *regni hierarchia quæ?* 260
Suionici *regni Epiſcoporum catholica jura deſcripta.* 260 ſeq.
Superinſtrepo, *vox Silio uſurpata.* 384
Supprimere *idem quod ſubmittere.* ibid.
Syllogiſmorum *doctrina explicata.* 545 ſeq.
Synagogæ *an fuerint Hieroſolymis?* 428

T.

Taurum *tollere, proverbii, origo.* 268
Teiſterbant *Comitatus Hiſtoria deſcripta.* 115
Tenediorum *reipublicæ antiquitates illuſtratæ.* 130 ſeq.
N. Teſtamenti *veritas & divina origo demonſtrata.* 527 ſeq.
Tetzelii *fata in urbe Lipſienſi deſcripta.* 91
Themis *in numis antiquis repræſentata.* 76
De Thermometris *obſervationes.* 469
Thoracicum *ductum inveſtigandi methodi præcipuæ.* 456. 458.
methodus nova. 459
Tonare, *verbi, constructio apud Senecam.* 384
Tormentis *an recte exquiratur veritas?* 30

Della

Digitized by Google

Della Toſa (*Simonis*) *Chronicon editum.* 338
Trabeatæ *Comœdiæ quæ fuerint?* 384
Transactio *an valeat de teſtamento, non inſpectis ejus tabulis?* 81 ſeq.
Trithemii (*Jo.*) *Epiſtola quædam edita.* 354
Tuſcanici *ordinis in Architectura ratio quæ?* 234 ſeq.
Typographicæ *artis incunabula deſcripta.* 385 ſeq.
— *inventores qui?* 386
Tyrolenſis *terræ hiſtoria naturalis illuſtrata.* 263 ſeq.
— *montes glaciales deſcripti.* 264 ſeq.

V.

Vacuum *an detur in corporibus?* 463
Valturius (*Rob.*) *compilator Ammiani Marcellini.* 428
Venæſectio *quomodo inſtituenda?* 202 ſeq.
— *quibus in morbis commendanda?* 204 ſeq.
Venalitium, *vox, quid notet?* 268 ſeq.
Venatoria *res Germanorum illuſtrata.* 422 ſeq.
Veneficii, *ab impubere commiſſi, pœna.* 73
Veritas *metaphyſica in mundo ſtabilita.* 543 ſeq.
Veritatis *patrocinium ab omnibus ſuſcipiendum.* 127
— *duplex criterium deſcriptum.* 478
Veronenſium *judiciorum civilium ordo deſcriptus.* 24 ſeq.
— *leges de ſucceſſionibus ab inteſtato expicatæ.* 200 ſeq.
Verſus *apud Silium quid notet?* 384
Vicariorum *Germaniæ origo & progreſſus.* 112 ſeq.
Virgilii *Bucolica quem in finem ſcripta?* 19
— *de his judicium.* 18 ſeq.
Virginum *pudicitia nihil ſanctius Romanis.* 83
Virium *ſumma ante ac poſt percuſſionem æqualis.* 465
Vis *attractiva demonſtrata.* 468
Vitiatus *idem quod infectus.* 384
Ulcera *cum carie oſſium quomodo tollenda?* 247
Unctionis *in confirmatione eccleſiaſtica uſus.* 52 ſeq.
De Unctione *ſacra ſententiæ Moſis & Eſaiæ comparatæ.* 97 ſeq.
In Unigenitus *Conſtitutionem Annotationes editæ.* 356

Digitized by Google

Urbes *Germaniæ plurimæ unde ortæ?* 82

W.

Wolffianæ *Philoſophiæ cum Platonica harmonia demonſtrata.* 432

De Wolffiana *Philoſophia judicium.* 249

Wolffii (*Chriſtiani*) *ſententiæ variæ examinatæ.* 226 ſeq.

X.

Ximenii *Cardinalis vita deſcripta.* 198

Z.

Zimmermanni (*Jo. Liborii*) *vita.* 366

Potiora operarum errata ſic Lector corrigat: *Pag. 108 lin. 7* pro *hiſtoriarum* leg. *hiſtoriam; pag 110 lin. 4* pro *argmumento* l. *argumento; pag. 146 lin ult.* pro *cho* l. *hoc; pag. 175 lin. 9* pro *opuculo* l. *opuſculo; pag. 195 lin. ult.* pro *eleucidarum* l. *Seleucidarum; pag 207 lin. 6* pro *inſectione* l. *injectione;* & *pag. 409 lin. 11* pro *Buxtorffiianæ* l. *Buxtorfſianæ.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z165790801
Digitized by Google

Digitized by Google